14
1 E
9 ½

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

14-10, 9, 23

48. 7. 7.
48 47
a α
7 15

Digitized by Google

Digitized by Google

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

Auctore Ludouico Dias Franco Olyſipponenſi.



Bibl. Inst. Soc. ... Coll. Rom. Soc.

Cum facultate Sanctæ Inquiſitionis, Ordinarij, & Regis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

OLYSIPPONE.

Ex officina Petri Crasbeek.

Anno Domini MDCXVIII.

Cum Preuilegio.

Dñic.º Vrbin fecit.

IVDICIA EORVM, QVIBVS HOC OPVS perlegendi cura demandata eſt à ſupremo ſanctæ Inquiſitionis Senatu.

LIbrum, cui titulus *Doctrina Philoſophica*, in varios tractatus diſtributum, auctore Ludouico Dias Franco, quo potui ſtudio legi, atque expendi, & cùm in eo nihil reperiatur, quod bonis moribus, ſanæque doctrinæ aduerſetur, opuſque ipſum perutile ſit, & ad rem ac commodatum, iudico valde dignum eſſe, vt typographorum opere in lucem immitatur. In monaſterio D. Bernardi die 12. Februarij 1618.

Fr. Melchior de Abreu.

HÆc Doctrina Philoſophica, nihil continet quod cum Catholica fide, aut ſanctorum Patrum ſententijs pugnet, ſed potiùs elaborata eſt, & Philoſophiæ ſtudioſis iure commendanda. Olyſipone in domo D. Rochi Societatis Ieſu 21. die Februarij anno Domini 1618.

Petrus de Nouais.

Facultas ſupremi S. Inquiſitionis Concilij.

VIſta a informação podeſe imprimir eſte liuro intitulado *Doctrina Philoſophica*, & depois de impreſſo torne a eſte conſelho pera ſe dar licença pera correr, & ſem ella não correra. Em Lisboa aos 21. de Feuereiro 1618.

Bertolameu da Fonſeca. Antonio Dias Cardoſo. Fr. Manoel Coelho.
Ioão Alueres Brandão. Gaſpar Pereira. Dom Franciſco de Bragança.

Facultas Ordinarij.

POdeſe imprimir eſte liuro aos 21. de Feuereiro de 1618.

Damião Viegas.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Facultas Regij Senatus.

DAõ licença a Luis Dias Franco pera mandar imprimir eſte liuro intitulado *Doctriua Philoſophica*, viſto a que tem do ſancto Officio, & do Ordinario. Depois de impreſſo não correrà ſem primeiro tornar à meſa pera ſe taixar a 26. de Feuereiro 1618.

Monis. *L. Machado.*

TAxão eſte liuro intitulado *Doctrina Philoſophica*, em reis em papel, A 9. de Outubro de 618.

Franciſco Vaz Pinto. *Luis Machado de Gouuea.*

BIBLIOTECA ... VITO...

COLLE-

COLLEGIO OLYSIPPONENSI D. ANTONII SOCIETATIS IESV,

hanc Doctrinam Philoſophicam,dicat, & conſecrat Ludouicus Dias Francus.

DEcreuerã has ingenij mei primitias Beatiſsimæ Virginis filio, adhuc puero conſecrare, quia tamen diffido meritis, aliquis mihi fuit ex illius ſocietate patronus deligẽdus; neq; vllus apparebat maioris auctoritatis,quã veſtra ſit (ampliſsime,ac digniſsime Rector,grauiſsimi,Religioſiſsimiq; Patres eiuſdẽ Societatis) apud quos creuere mentis meæ vires, doctrinæ veſtræ fontibus irrigatæ; adoleuere ſapientiæ veſtræ fulgore irradiatæ. Ecquis enim tot adhibitis diligentiæ calcaribus,tot excitatus ſtimulis præmiorũ,quibus vos indulgentiſsimi Mecænates noſtri ingenij pungitis tarditatem, iam ſeſe contineat intra carceres? Liceat ergo liberè ſpatiari,& in apertum,quod intra ſepta audiuimus adducere. Vt verò in lucem prodeat,veſtro patrocinio multis nominibus debetur. Inter quæ illud ſibi

locum vendicat, non poſtremum quòd Olyſipponenſem iuuentutem ad omnem morum probitatem, & humanitatem, veſtro exemplo, ac doctrina informatis. Omnes enim huius vrbis adoleſcentes, veſtras ad ſcholas confluunt, tanquam ad eruditionum, virtutumque clariſſimarum nundinas, ibique veluti in fortiſsimo quodam armamētario induuntur, vt è tota vrbe, & Regno, fœda vitiorum monſtra longiſsimè auertant, & inde tanquam minores ignes è Sole lucem mutuentur, quam reliquis orbis partibus maximo cum fænore valeāt communicare; ac in vtilitatem publicam deriuare.

Quæ enim barbaries totam Luſitaniam non inuaderet? Quæ morum ruſticitas, aut inurbanitas illius adoleſcentes nō inficeret, ſi doctrina veſtra ſtatim à primis annis non imbueremur. Iaceret proculdubio in tenebris noſtræ Reipublicæ dignitas exularet ex animis, ex domibus, ex foro; imò & ex toto regno pax aurea, vbique rixæ, vbique iurgia miſcerentur, & inteſtina odia ciuium animos ad mutuas cædes exagitarent; ſicut enim languente capite, reliqua omnia corporis languent membra, nec ſuo munere fungi valent, ita moribus ægra Olyſippone (quæ totius regni caput eſt) facilè ad reliquas regni partes ſerperet ægritudo. Et qui ex hoc regni capite bonarum artium ſtudia auferre conaretur, non minori ſe crimine implicaret, quàm ſi toti Reipublicæ oculos eruere laboraret; quod enim in capite præſtant oculi, hoc ipſum in benè inſtituta Republica valent liberalium diſciplinarū ſtudia cum pietate coniuncta.

Ariſt. 5. de generat. animaliū. c. 1 & de hiſt. animal. cap. 10 & 11.

De oculorum formatione ſcripſit Ariſtoteles vltimo

loco

loco abſolui, quos ideo natura in ſuprema hominis parte collocauit, vt inde tanquam è ſuperiori quadam ſpecula vniuerſa proſpectent, hoſtiumque explorent aduentus, ne improuiſa irruptione occupent otiantem. Vnde iam non ſine magno ſupremi Numinis arcano conſilio factum arbitror, vt in toto ſacrarum Religionum corpore ſocietas veſtra in vltimis orbis terræ partibus, diuina manu architectante formaretur. Hæc enim inter alias ſacrorum virorum familias, oculorum vice fungitur, dum ſcientiarum omnium ſplendore illuſtrata, non ad ſupernaturalem tantùm felicitatem viam aperit; ſed etiam ad humanas res gerendas, conſilia adhibet ſalutaria. Hac exoriente errorum tenebræ, & falſitatum caligines extenuari prorſus atque euaneſcere cæperunt, ſerenuſque illuxit veritatis dies, quo quidquid clauſum, ſub ignorantiæ latebat inuolucris, quidquid difficultatum tegebatur in tegumentis, depoſito ſupercilio tandem prodijt ita facile, ac peruiũ, vt plurima, quæ priſcis ſeculis aßequi non potuerunt, veſtræ ſapientiæ ſplendoribus illuſtrata diſcipulorum, vel mediocria ingenia aſſequantur.

Totum igitur Chriſtianæ Reipublicæ corpus lucidum erit, dum veſtra in ſocietate fulgebit ille tam ſacrarum, quàm humanarum literarum ſplendor, qui hactenus totum terrarum orbẽ ſua luce diffuſa colluſtrat, & præcipuè hanc vrbem, in qua veluti in Luſitani regni imperij capite, non ſine cæleſti conſilio Luſitanorũ Regum prouidentia, duo clariſsima ſocietatis domicilia, duplici in monte collocauit, quæ Olyſipponẽſi Reipublicæ tanquam fulgentiſsima lumina prælucerent,

& errorum, atque ignorantiæ tenebras longiſsimè propulſarent; indeque tanquam ex editiſsima ſpecula irruentes, vitiorum phlanges præuiderent, præuiſaſque denunciarent, ne cum maxima ciuium iactura in Luſitanam irruerent iuuentutem. Eſtis igitur nō ſolius Olyſipponeñſis, ſed totius orbis lumina (Patres grauiſſimi) quòd veſtrū ſit lucē omnibus fænerare. Noſtrū erit hæc clariſſima orbis, & vrbis lumina in oculis habere, & in delicijs has præeuntes faces ad æternam felecitatem ſequi, veſtris cōſilijs acquieſcere, quidquid in nobis fuerit gloriæ, & ſplendoris veſtræ doctrinæ acceptum referre.

Accipite igitur has ingenij mei qualeſcunque primitias, & lucis veſtræ præcoces fructus, quos ſiqua ſoletis benignitate intuemini, non obſcuri, & abiecti deliteſcent in tenebris, ſed clari, & perilluſtres ſub tanto nomine conſtituti, in theatrum feliciter procedent, & ad maiora forſan ingenij mei tenuitas, veſtri fauoris aura flante, indies aſpirabit. Valete.

Ludouicus Dias Francus.

Præfatio ad Lectorem.

Videbitur fortaſſe (Lector humaniſsime) nimium audax hoc inceptum meum, vt qui ex Philoſophorum vmbraculis vix emerſerim, iam in ſolé, & in arenam audeam prodire; neque inuidentiũ aculeos, aut detrahentiũ genuinos pertimeſcam; (quos ſapientiſsimi viri, & qui in literarum ſtudijs conſenuerunt, vt effugiant, facilè patiuntur ſtudiorum ſuorum labores, & lucubrationes in tenebris deliteſcere.) Fateor equidẽ hunc timorem me non ſemel à ſuſcepto conſilio auertiſſe, & incitatos animi impetus ad ſcribendum ſæpiùs retardaſſe: nihilominus tamen cùm ſtudentium facilitatem, ſeu potiùs incipientiũ leuamen inde futurum mihi ante oculos proponerem (ne tantum pretium iret incaſſum, ſed potiùs, vt in poſterum magna animi alacritate, literarum ſtudioſi in eas propenſiùs incumberent) ad hunc breuem compẽdioſumque tractatum aggrediendum ſum commotus.

Incepi igitur eo animo, vt integram Philoſophiæ doctrinã, mihi ipſi compararem, quin ad aliorum commodũ prodijſſet in lucem; cùmque opus hoc ad finẽ iam eſſet adductũ, doctiſſimis, ac ſapientiſsimis viris illud tradidi præuidendũ, relegendum, & emendandũ; memor illius, quod ſapienter dixit Tullius. *Quæ facimus ea ſapientiſsimo cuique viro probata eſſe volumus.* *Tullius lib. primo de Officijs.* Præuiderunt ipſi, relegerunt, & emendarunt; ac tandem aliqui monuere, vt in publicum darem hos primos ingenij mei fructus, & ſtudij labores; atque auctoritate ſua interpoſita ſunt polliciti non ſine maxima ſtudioſorum vtilitate, ac fauſta omnium ſapientium acclamatione excipiendos fore; addebantque hos eſſe præcipuos, ac germanos totius Philoſophiæ partus, admodùm accuratè, & exquiſitè digeſtos, ſi breuitas, & dilucicitas veterum inimicitiarum oblitæ, ac depoſito inteſtino odio, quo ſe mutuò inſequuntur in concordiam venerint aliquando.

Inclinabant plures aliæ ad obſequendum rationes, quæ

tandem

tandem animum ad hoc tam audax propoſitum impulere, inter quas illa ſeſe primò obtulit non contemnenda, nam qui Philoſophicum tyrocinium adiere, in ijs, quæ à diuerſis ſcripta ſunt, plurimùm ſolent impediri, vel propter quæſtionum diffuſarum multitudinem, & argumentorum, hinc inde inſurgentium farraginem; vel etiam quòd ij, qui hactenus totam Ariſtotelis Philoſophiam commentarijs ſuis illuſtrarunt, non doctrinæ ordinem, ſed librorum expoſitionem videntur ſequuti. Quod tamen ſecus accidit in hoc opere, in quo Auctorum teſtimonijs non paucis, quæſtionibus, quæ minùs ad rem facerent, & argumentis ſectis, ſatius mihi viſum eſt eum modum inſcribendo tenere, vt nec dicerem ſuperflua, nec tacerem neceſſaria, ſed ita eſſem longus, vt omnes ſine tædio legerent; ita eſſem breuis, vt nihil, quod ad explicationem totius rei philoſophicæ pertineret, prætermiſſum eſſe videretur. In Philoſophia enim res ſpectantur non verba penduntur, vt ſcitè Diuus Auguſtinus: *Laborant homines in diſcendo, & breuia non valent intelligere, & prolixa non amant legere.*

In Philoſophia res ſpectantur, nō verba penduntur.

quem citat, ac ſequitur Soarius in Opuſculis breui reſolutione de auxilio efficaci.

Hùc acceſsit, quòd ex his noſtris lucubrationibus, ea fortè vtilitas crederetur prouenire non ſolùm tyronibus diſcipulis, ſed etiam veteranis profeſſoribus, vt ſine magno librorum ſumptu, & apparatu, res omnes Philoſophicas ſcitu dignas ex hoc vno veluti promptuario poſsint deducere. Vnde iam non erit cur illi, qui tenuiori ſunt ſubſtantia propter pretij magnitudinem, & voluminum copiam à Philoſophia comparanda retardentur.

Videtur deinde creari in adoleſcentibus indies inteſtinum Philoſophiæ addiſcendæ faſtidium, quod appoſita ferculorū multitudine, non minuitur, ſed augetur, maximo cum ægrotantium periculo, qui faſtidio ſuo, & diuturna mentis nauſea ſenſim ſine ſenſu contabeſcunt. Sicut ergo artis medicæ peritiſsimi, vt tanto morbo medeantur, ſolent cibum aliquem excogitare, qui vno hauſtu poſsit ad ſtomachum demitti, & faſtidientis vires reficere; ita oportuit hoc adoleſcentum erga Philoſophiam tædium quodammodo mederi,

non

non quidem copioſa aliqua librorum multitudine; ſed vno tantùm in quo reliquorum omnium ſapores adunétur, & veluti mutuo fœdere conſpirent, ad conferendam adoleſcẽtibus ſanitatem, quæ librorũ nimietate ſæpius obruitur, & opinionum congerie diſsipatur. Quidquid igitur Philoſophia habet veri, quidquid ſapidi & iucundi in hoc vno ferculo continetur. Deerit fortaſſe condientis, & præparantis induſtria, quam ego tibi (candide Lector) probare priùs non potero, quàm oblatum, & ori iam applicitum ferculum deguſtes. Curaui enim, vt nihil in eo aſperum aut durum inueniretur; ſed omnia æquabilia, ac lenia, ſuiſque librata ponderibus, breuiter intuerentur; vt maiori cum facilitate memoriæ commendentur, & non facilè ab ea abijci queant, erit enim ibi ſcientia mentis pabulum, animi nutrimentum, vitæ ſeminarium, ſolamen in triſtitia, leuamen in laboribus, conſilium in dubijs, auxilium in periculis, & inter ſapientes ſapientiam, inter nobiles honorem, inter vulgares afferet reuerentiam.

Accipe igitur (Lector humaniſsime) beneuolo cum animo hanc Doctrinam Philoſophicam, quam primò in lucem damus, in Dei Optimi, Maximi gloriam, in bonarum quoque artium profeſſorum, ſtudentiumque vtilitatem elaboratam. Quam ſi hilari vultu, tanquam fauoris tui, & beneuolentiæ radijs illuſtrandam intuebere, & maiores mihi nido pennas extendere, & ad altiorem eruditionis profectum (ſi vires ſuppétent) licebit euolare. Vale.

LICENTIATI ALVARI FERNANDII ad auctoris librum Proſopopœia.

DEſere magne liber iam ſcrinia parua: tenebras
Linque,quibus latitas, ac properanter abi.
Luce bona in lucem venies optata daturus
Lumina, queis luſtres Solis vtranque domum.
Tolle moras, fies hinc vſque ad ſidera notus,
Per quem ſit notum, quidquid in orbe viget.
In te, ceu ſpeculo ſolet apparere figura,
Impreſſit vultus ipſa Minerua ſuos.
Si legeris legitur Tritonia; diſſeris;ipſa
Diſſerit,alta docet dogmata, voce refers.
Naturæ arcanos largè tibi credere ſenſus
Gaudet,& ad Sophiam Dædala monſtrat iter:
Monſtrat iter,longa ſed non ambage,nec vllus
De Labyrinthæis flexibus error ineſt,
Fila ſed, in reliquis ſi ſint veſtigia libris
Cæca,quibus facili calle regantur, erunt.
Non alibi credam Phyſeos documenta fuiſſe
Aptius: ò quantò tu grauiora doces!
Aſtra coruſcanti debent ſua lumina Phœbo,
Terra tibi haud Phyſica cognitione minus.
Ergo liber famæ celebrabere gutture dignus,
Quem manibus iuuenes nocte, dieque terant.
Occupet ora rubor neute meminiſſe quòd auctor
Dum non barba cadit,ſcripſerit iſtud opus.
Gratior agricolis maturans ſedula fructus
Arbor, & à tenero noſcitur vnge leo.
Qui nunc te talem ſine næuo in corpore finxit,
Poſtmodo ſi fieres, gloria quanta foret?

EIVSDEM

EIVSDEM ASCLEPIADEVM ENCOmium in laudem auctoris.

O France indecoris gloria temporis,
Vrbis delicium, & grande decus tuæ:
Ipſam nobilibus ſedulus artibus
Annis à teneris (dum tibi pingitur
Vix lanuginibus barba) micantibus
Aſtris ingenij viribus inſeris.
Vitæ ſi ſpatijs tam iuuenilibus
Lumen das Patriæ tale, quid accidet,
Ornes quum niueis tempora crinibus
Nutritus Sophiæ ſemper in horreis?
Tu, quòd per geminam laudibus inclytus
Tendas Hesperiam Solis ad vltimum
Peruasurus iter: ſiue loquacibus
Famæ quòd reboet laus tua cantibus,
Excelſo feries ſidera vertice.
Noſtri, quòd teneris limina ſenſibus
Ludi contigeris, primaq; tempora
Mecum pro Latia Pallade trieueris;
Dum vicina Tagus littora proluet,
Sublimis feriam ſidera vertice.

FRANCISCI NONII AB AVILA
in laudem Auctoris.

EPIGRAMMA.

DVm iuuenem frænat rudis ignorantia turpem.
Dum ludo abſortus ſenſibus inuigilat;
Sordida dum ſtudijs iuuenilibus otia nauat,
Et pretioſa fluunt tempora delicijs.
Tu ætatis ſuperas vires, excedis, & annos
Viginti natus grandior ingenio:
Mens generoſa tamen fructus, non clauſa puſilli,
Corporis imperio prodit in ingenuos.
Non aliter per amœna legit ſtudioſa roſarum,
Nectar dulcis apes floribus ex varijs;
Quàm Sophiæ nobis ex pingui aduexeris agro
Selecta ex varijs munera principijs.
Iam Phyſeos penetrare datur ſecreta latentis
Limina, lector abi, quiſquis es ingredere.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LAVS DEO.

INDEX TRACTATVVM, QVÆSTIONVM, ET CAPITVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

TRACTATVS PRIMVS.

De Rebus naturalibus in communi, & de earum principijs, & proprietatibus. pag. 1.

PROŒMIVM.

Quid ſit Philoſophia, & quomodo diuidatur. pagina 1.

QVÆSTIO I.

De cognitione, terminis, ac principijs rerum naturalium.

Cap. 1. *De cognitione rerum naturalium. pag. 3.*

Cap. 2. De terminis rerum naturalium. pag. 5.

Cap. 3. De principijs rerum naturalium. pag. 6.

Cap. 4. Quid ſit natura, quid res naturales. pag. 7.

QVÆSTIO II.

De rerum naturalium cauſis in communi.

Cap. 1. De principio in communi. pag. 8.

Cap. 2. Quid ſit cauſa phyſica, & illius cauſalitas. pag. 9.

QVÆSTIO III.

De cauſis internis rerum.

Cap. 1. De cauſa materiali interna, & ſubſtantiali, ſeu de materia prima. pag. 11.

Cap. 2. De forma phyſica ſubſtãtiali. pag. 13.

Cap. 3. De mutua cauſalitate materiæ, & formæ, & de ipſarũ vnione. pag. 15.

Cap. 4. De toto phyſico. pag. 17.

QVÆSTIO IIII.

De cauſa materiali accidentali, & illius effectibus.

Cap.1. De materiali cauſa accidētium. pag.19.

Cap.2. De cauſa formali accidentali. pag.24.

Cap.3. Vtrum omnes formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti. pag.26.

Cap.4 De effectu formæ accidētalis, & de illius cauſalitate. p.27.

QVÆSTIO V.

De cauſa formali externa, & de illius cauſalitate, atque effectibus.

Cap.1. Vtrum detur exemplar, & quid ſit. pag. 29.

Cap.2. Vtrum exemplar conſiſtat in conceptu formali, an in obiectiuo. pag.31.

Cap.3. De Ideis Diuinis, & de earum effectibus. pag. 32.

Cap 4. De cauſalitate exemplaris. pag.35.

Cap.5. De cauſa extrinſecùs ſpecificante. pag.35.

QVÆSTIO VI.

De cauſa efficiente in communi.

Cap.1. Quid ſit cauſa efficiens, & quomodo diuidatur. pag.38.

Cap.2. De principio per quod cauſa efficiēs totalis operatur. p.39

Cap.3. De principio per quod ſubſtantia producit accidens. pag. 42.

Cap.4. De cauſalitate cauſæ efficientis. pag.44.

Cap.5. De efficientia cauſarum ſecundarū, & de conditionibus, quas requirit ad operandum. p. 44.

Cap.6. De diſsimilitudine requiſita inter agens, & patiens. p.48.

QVÆSTIO VII.

De efficientia cauſæ primæ circa effectus, quos ſe ſola producit.

Cap.1. Quid ſit creatio, & quomodo fiat. pag.52.

Cap. 2. De rerum conſeruatione. pag.54.

QVÆSTIO VIII.

De cooperatione cauſæ primæ cum ſecundis.

Cap. 1. Vtrum omnes cauſæ efficientes ſecundæ Dèo eſſentialiter ſubordinentur. pag.55.

Cap 2. Quomodo Deus tribuat ſuum actualem concurſum cauſis ſecundis. pag.56.

Cap. 3. Quid ſit iſte concurſus actualis ex parte Dei. pag.57.

Cap. 4. Quomodo cauſa prima, & ſecunda ſe mutuò determinent. pag. 59.

QVÆSTIO IX.

De modo agendi cauſarum ſecundarum, & de earum effectibus.

Cap.1. Quid ſit cauſa totalis principalis, & quomodo operetur ſuos effectus. pag.61.

Cap.2. Vtrū quælibet cauſa totalis habeat certos, ac determinatos effectus. pag.62.

Cap.3. Vtrū quælibet cauſa totalis habeat certas, ac determinatas actiones. pag.63.

Cap.4. Vtrū idem effectus poſsit ſimul, vel ſucceſsiuè fieri à duplici cauſa totali. pag.64.

QVÆSTIO X.

De cauſa inſtrumentali efficiente.

Cap.1. Quid, & quotuplex ſit cauſa inſtrumētalis. p.66.

Cap.2. De modo agendi naturaliū inſtrumentorum. pag. 67.

Cap.3. De diuinis inſtrumētis, & de modo agendi illorū. p. 68.

QVÆTSIO XI.

De cauſa finali, & eius ratione cauſandi.

Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit cauſa finalis. pag.71.

Cap.2. Quæ ſit ratio cauſandi cauſæ finalis, & quas requirat conditiones, vt cauſet. pag.72.

Cap. 3. Vtrum impoſsibile poſsit eſſe cauſa finalis. pag.74.

QVÆSTIO XII.

De cauſalitate cauſæ finalis, & eius effectibus.

Cap. 1. Quid ſit cauſalitas cauſæ finalis. pag.75.

Cap.2. Quæ cauſæ operentur propter finem. pag.76.

Cap. 3. Vtrum actiones, & effectus Dei ad extra habeant propriā cauſam finalem. pag.77.

Cap. 4. De effectibus cauſæ finalis per ordinem ad creatam voluntatem. pag.79.

QVÆSTIO XIII.

De motu rerum naturalium.

Cap.1. Quid ſit motus, & quotuplex. pag.80.

Cap.2. De diſtinctione motus à termino, & à ſubiecto, & de illius vnitate. pag.82.

QVÆSTIO XIIII.

De Infinito.

Cap. 1. Quid, & quotuplex ſit infinitum. pag.84.

Cap. 2. Vtrum infinitum poſsit dari viribus naturæ, vel de facto detur. pag.85.

Cap.3. Vtrum infinitum actu ſaltem diuinitùs poſsit dari. ibid.

Cap.4. De cognitione, quæ poteſt haberi de infinito. pag. 87.

QVÆSTIO XV.

De Loco reali, in quo fit motus.

Cap.1. Quid ſit locus, & quomodo definiatur. pag.88.

Cap.2. Vtrùm duo corpora poſsint eſſe ſimul in eodẽ loco. p.89.

Cap.3. Vtrùm idem corpus poſsit diuinitus poni in diuerſis locis. pag.90.

Cap.4. De loco vacuo, & vtrũ poſſit dari motus in illo. pag.92.

QVÆSTIO XVI.

De Tempore, quod eſt menſura motus.

Cap.1. Quid ſit tempus, & quomodo definiatur, & diuidatur. pag.93.

Cap.2. Quomodo tempus à motu diſtinguatur. pag.94.

Cap.3. De alijs durationibus à tẽpore diuerſis. pag.95.

QVÆSTIO XVII.

De Cauſa efficiẽte motum phyſicum.

Cap.1. Vtrum omne, quod mouetur motu phyſico, moueatur ab alio realiter diſtincto. pag.96.

Cap.2. A quo moueantur corpora grauia, & leuia quãdo in propria loca tendunt. pag.97.

Cap.3. Vtrum dandus ſit aliquis primus motor. pag.98.

Cap.4. Vtrũ motus aliquis potuerit eſſe ab æterno. pag.99.

QVÆSTIO XVIII.

De Inceptione, & Deſitione rerum.

Cap.1. De inceptione, & deſitione rerum ſucceſsiuarum pag.101.

Cap.2. De inceptione, & deſitione formæ certæ, & incertæ in ſubiecto. pag.102.

Cap.3. De inceptione, & deſitione ſubſtantiarum. pag.104.

TRACTATVS SECVNDVS.

De Cælo, & Mũdo. pag.107.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Mundus, & de illius perfectione.

Cap.1. Quomodo definiatur mũdus, & vtrũ ſit perfectus. pag.108.

Cap.2. Vtrum mundus ſit vnus tantum. pag.109.

Cap.3. De mundi duratione. pag.110.

QVÆSTIO II.

De natura corporis cæleſtis.

Cap.1. Quid ſit cælum, & quibus partibus conſtet. pag.112.

Cap.2. Vtrum cælum ſit diſſolubile, & aliquando in re ipſa diſſoluẽdum. pag.114.

Cap.3.

Digitized by Google

Cap. 3. Vtrum cæleſtes orbes ſint animati. pag. 115.
Cap. 4. Vtrum cæleſtes orbes quò ſuperiores eò ſint nobiliores. pag 116.
Cap. 5. De numero, figura, & ordine orbium cæleſtium. pag. 118.

QVÆSTIO III.

De Motu Cæli.

Cap. 1. Diſtribuitur motus in ſuas ſpecies, & inquiritur quomodo conueniat cælo. pag. 119.
Cap. 2. A quo fiat cælorum motus. pag. 120.
Cap. 3. Vtrùm in vnoquoque cælo vnus tantùm motus detur, an plures. pag. 122.

QVÆSTIO IIII.

De ſtellis, & cælorũ influxu.

Cap. 1. De numero ſtellarũ, & illarum diuiſione. pag. 125.
Cap. 2. De influxu cælorum, ſyderum, ac planetarum. pag. 127.
Cap. 3. Qui effectus poſſint in terra fieri per cæleſtes influxus. pag. 129.
Cap. 4. Vtrùm corpora cæleſtia poſſint influere in noſtram voluntatem pag. 130.

QVÆSTIO V.

Proponũtur aliqua dubia circa doctrinã ſupra poſitã.

Cap. 1. Quibus terminis definiantur potentiæ actiuæ naturalium agentium. pag. 132.
Cap. 2. Qua ex cauſa motus corporum ſublunarium ſint inæquales. pag. 135.

QVÆTSIO VI.

De Mundo elementari.

Cap 1. De elementis. pag. 137.
Cap. 2. De figura elementorum. pag. 139.
Cap. 3. De magnitudine terræ. pag. 142.
Cap. 4. De diuiſione totius terræ. pag. 145.

TRACTATVS TERTIVS.

De rerum naturalium ortu, & interitu. pag. 148.

QVÆSTIO I.

De Diſpoſitionibus, quæ præcedunt generationẽ ſubſtantialem.

Cap. 1 Quid ſit alteratio. & in quo ſubiecto recipiatur. pag. 149.
Cap. 2. Quomodo diſpoſitiones concurrant ad introductionẽ formæ ſubſtantialis. pag. 151.
Cap. 3. In quibus conueniat, & differat alteratio à generatione ſubſtantiali. pag. 153.

QVÆSTIO II.

De Generatione ſubſtantiali.

Cap.1. Vtrum detur generatio ſubſtantialis, & quid ſit. pag.154.
Cap.2. De generatione rerum viuentium. pag.155.
Cap.3. Quomodo facultas nutritiua ſe gerat circa alimentum, & quomodo quatuor humores generentur, & in quo loco. p.171.
Cap.4. Vtrum animalia ſanguine prædita ſolo ſanguine nutriantur, & quale debeat eſſe alimentum. p.172.

QVÆSTIO V

De accretione, & decretione.
Cap.1. Quid ſit accretio, & quomodo à nutritione differat. p. 175.
Cap.2. Vtrum accretio fiat in omnibus partibus viuentis, & vtrū ſit motus continuus in quouis poro. p.176.
Cap.3. Vtrum corpus, quod rareſcit, nouā acquirat quātitatē, & accreſcat. pag.177.

QVÆSTIO VI.

De Mixtione, & quid ſit, quomodo ve fiat?
Cap.1. Vtrum inter agens, & patiens eiuſdem ordinis detur actio reciproca. pag.179.
Cap.2. Vtrū detur mixtio, & quid ſit. pag.180.

QVÆSTIO VII.

De quatuor primis qualitatibus, & de mixtorum temperamentis.
Cap.1. Vtrū dentur quatuor primæ qualitates, & quomodo definiantur. pag.182.
Cap.2. De varietate temperamentorum. pag.183.
Cap.3. De præſtantia humani tēperamenti. pag. 185.
Cap.4. De partium anni, & ætatum temperamentis. pag. 187.

QVÆSTIO VIII.

De rerum Interitu.
Cap.1. Vtrum omnia viuentia naturali lege debeāt interire. pag. 188.
Cap.2. Vtrum per vires naturales poſſit idem, quod ſemel interijt, aut ſaltem diuinitùs redire. pag. 189.

TRACTATVS QVARTVS.

De Meteoris. pag.191.

QVÆSTIO I.

De cauſis, & de locis, in quibus fiunt Meteora.
Cap.1. De materia, ex qua fiunt Meteora. pag.192.
Cap.2. De cauſa efficiente meteororum, & de locis vbi fiūt. pag. 193.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

De Meteoris ignitis.

Cap.1. Numerantur, & explicãtur meteora ignita.p.194

Cap.2. De tonitru, fulgure, & fulmine.pag.196.

Cap.3. De cometis, & eorum præſagijs.pag.198.

QVÆSTIO III.

De alijs meteoris, quæ in ſublimi apparent.

Cap.1. Quid ſit lacteus circulus.p. 200.

Cap.2. De coloribus, qui in aere apparent, & de alijs ſimilibus meteoris.pag.201.

QVÆSTIO IIII.

De Iride, ſeu arcu cæleſti, & de Ventis.

Cap.1. De natura, & ortu iridis. pag.203.

Cap.2. Quæ ſit materia, & natura ventorum.pag.204.

Cap.3. De ventorum numero, ac varietate.pag.205.

Tabella ventorum.pag.207.

Cap.4. De alijs ventis prouincialibus, anniuerſarijs, & irregularibus.pag.207.&208.

Cap.5. De qualitatibus ventorum. pag.209.

QVÆSTIO V.

De aqueis concretionibus.

Cap.1. De Nubibus. Pruina, deque eius ſignis.pag.210.

Cap.2. De Nebula, Niue, Glandine, & Glacie.pag.212.

Cap.3. De Rore, Pruina, Melle, Sacharo, & Manna.pag.213.

QVÆSTIO VI.

De Mari.

Cap.1. De maris ortu, ſitu, ac varietate.pag.215.

Cap.2 De motibus maris, & illius æſtu.pag.216.

Cap.3. De diluuijs vniuerſalibus, & prouincialibus.pag.219.

QVÆSTIO VII.

De fontibus, & fluminibus, alijsque ſimilibus.

Cap.1. De fontium, ac fluminum materia.pag.220.

Cap.2. De fontibus ſubitò naſcentibus, & aliquorũ mirabili natura.pag.222.

Cap.3. De aquarum qualitatibus. pag.223.

QVÆSTIO VIII.

Cap.1. De cauſis terræmotus.pag. 225.

Cap. 2. De ignibus ſubterraneis. pag. 227.

Cap.3. De Metallis. pag. 228.

TRACTATVS QVINTVS.

De Anima. pag. 230.

QVÆSTIO I.

De Natura, & eſſentia animæ.

Cap. 1. Quid ſit Anima, & quo modo diuidatur. pag. 231.

Cap. 2. Vtrùm omnes animæ per ſe ſubſiſtant. pag. 234.

Cap. 3. Vtrùm omnes animæ ſint diuiſibiles. pag. 235.

QVÆSTIO II.

De Animabus in ſpecie, & de potentijs earum.

Cap. 1. De Anima vegetatiua tantùm, & potentijs, quas habet. pag. 239.

Cap. 2. De Anima ſenſitiua, & de illius potentijs. pag. 242.

Cap. 3. De Anima rationali, & de illius potentijs. pag. 244.

Cap. 4. Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa animam rationalem. pag. 248.

Cap. 5. Vtrùm potentiæ oriantur effectiuè, & immediatè à ſubſtantia animæ, & in eadem recipiantur. pag. 252.

QVÆSTIO III.

De Potentia ſentiendi in cõmuni, & de ſpeciebus.

Cap. 1. Vtrùm ſenſus ſit potentia actiua, an tantũ paſſiua. p. 254.

Cap. 2. Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa ſpecies ſenſibus impreſſas. pag. 256.

Cap. 3. De ſenſibilibus communibus. pag. 260.

Cap. 4. De actu ſentiendi, & obiecto illius. pag. 262.

Cap. 5. Vtrùm ſenſus aliquando erret circa proprium ſenſibile. pag. 263.

QVÆSTIO IIII.

De Senſibus externis in particulari, & primò de viſu.

Cap. 1. Quod nam ſit obiectũ proprium viſus. pag. 265.

Cap. 2. De organo viſorio, & illius ſtructura. pag. 278.

Cap. 3. Quomodo lumẽ requiratur ad viſionẽ, & quomodo fiat viſio, & in qua parte oculi. p. 279.

Cap. 4. Soluuntur aliqua dubia ad viſum ſpectantia. pag. 281.

QVÆSTIO V.

De Senſu Auditus.

Cap. 1. De obiecto huius ſenſus, quod eſt ſonus pag. 283.

Cap. 2. Quomodo in nobis, & in alijs animãtibus vocalibus formetur vox. pag 284.

Cap. 3. De organo potentiæ audiẽdi, & de alijs ad ſonum ſpectãtibus. pag. 285.

QVÆSTIO VI.

De reliquis tribus ſẽſibus externis, & eorum obiectis.

Cap. 1. De ſenſu odorandi, illius obiecto, & organo. pag. 287.

Cap. 2. De guſtu, & tactu, eorumque obiectis, & organis. p. 289.

QVÆSTIO VII.

De ſenſibus internis, & de ijs quæ ad eos ſpectant.

Cap. 1. De numero, & ſede ſenſuũ internorum. pag. 292.

Cap. 2. De modo cognoſcẽdi horum ſenſuum internorum. p. 294.

QVÆSTIO VIII.

De Intellectu agente, & eius munere.

Cap. 1. Vtrum detur intellectus agens, & quid ſit. pag. 296.

Cap. 2. Quod nam ſit intellectus agentis munus. pag. 297.

Cap. 3. Proponuntur aliqua dubia circa ſpecies intelligibiles. pag. 299.

QVÆSTIO IX.

De Intellectu patiente, & illius intellectione.

Cap. 1. Vtrũ detur in nobis intellectus patiens, & quid ſit. pag. 302

Cap. 2. De actu intellectus patiẽtis in genere. pag. 303.

Cap. 3. De rebus, quas cognoſcit intellectus noſter in hac vita. pag. 306.

Cap. 4. Vtrum oporteat intelligentem ſpeculari phantaſmata, & de Ecſtbaſi. pag. 307.

QVÆSTIO X.

De Appetitu, pręſertim rationali, & de potentia illius.

Cap. 1. Quid ſit Appetitus, & quotuplex. pag. 310.

Cap. 2. Vtrum voluntas realiter differat ab intellectu, & ſit nobilior illo. pag. 312.

Cap. 3. De Potentia motiua animalis. pag. 313.

TRACTATVS SEXTVS.

De Paruis naturalbus. p. 315.

QVÆSTIO I.

De Memoria, & Reminiſcentia.

Cap. 1. Quid ſit memoria, & quotuplex. pag. 316.

Cap. 2. Quibus animantibus cõpetat memoria ſenſitiua. p. 317.

Cap. 3. De organo memoriæ, & actu memorandi. pag. 318.

Cap. 4. De vtilitate memoriæ, & quibus potiſsimũ iuuetur. p. 319.

QVÆSTIO II.

De

De Somno, Vigilia, & Somnijs.

Cap.1. Quid ſit ſomnus, & quomodo fiat. pag. 321.

Cap.2. Vtrum ſomnus cõpetat omnibus animantibus, & vtrũ ab illo vitã auſpicẽtur, & quomodo expergiſcantur. pag. 333.

Cap.3. De ijs, qui dormientes obambulant. pag. 334.

Cap.4. Soluũtur aliqua dubia circa ſomnum. pag. 335.

Cap.5. De ſomnijs, quæ dormientibus accidunt. pag. 336.

Cap.6. De varijs generibus ſomniorum. pag. 338.

Cap. 7. De diuinatione per ſomnium. pag. 339.

QVÆSTIO III.

De Reſpiratione.

Cap.1. De cauſis reſpirationis, & inſtrumentis, quæ ad reſpirationem concurrunt. pag. 340.

Cap.2. Quibus animantibus conueniat reſpiratio. pag. 343.

QVÆSTIO IIII.

De Iuuentute, & Senectute.

Cap. 1. De Ætatum varietate. p. 344.

Cap. 2. Soluuntur aliqua dubia circa ætates. pag. 345.

Cap. 3. De alijs, quæ ad ætates ſpectant, quales ſunt dentes, & capilli. pag. 346.

QVÆSTIO V.

De Vita, & Morte.

Cap.1. Quid ſit vita, & Quid mors pag. 348.

Cap.2. de corde, quod eſt principium vitæ. pag. 349.

Cap.3. De perturbationibus animi, quæ oriuntur à corde. pag. 350.

Cap.4. De longitudine, & breuitate vitæ. pag. 352.

TRACTATVS SEPTIMVS.

De Anima ſeparata. p. 354.

QVÆSTIO I.

De natura, & conditionibus Animæ rationalis.

Cap. 1. Oſtenditur Animam rationalem eſſe ſpiritualem, & natura ſua immortalem. pag. 355.

Cap. 2. Proponuntur, & ſoluuntur obiectiones in contrarium. pag. 359.

Cap. 3. Vtrum anima rationalis eſſentialiter ab Angelis differat. pag. 361.

Ca. 4. De ſtatu animæ ſeparatæ, & de modo, quo in eo exiſtit. p. 363.

QVÆSTIO II.

De

De principijs, per quæ anima ſeparata cognoſcit.

Cap. 1. Vtrum potentiæ cognoſcentes dentur in anima ſeparata. pag. 366.

Cap. 2. Vtrum habitus naturales noſtris actibus acquiſiti in hac vita, & ſpecies intelligibiles comitentur animam ſeparatam. pag. 368.

Cap. 3. Vtrũ anima ſeparata præter ſpecies, quas hinc defert, alias de nouo acquirat. pag. 369.

QVÆSTIO III.

De actu, & obiecto cognitionis Animæ ſeparatæ.

Cap. 1. Vtrũ anima ſeparata actualiter cognoſcat, & quomodo. p. 373.

Cap. 2. Quæ obiecta poſsit anima ſeparata naturaliter cognoſcere. pag. 375.

Cap. 3. Vtrũ anima ſeparata poſsit naturaliter cognoſcere res futuras. pag. 377.

Cap. 4. Vtrum anima ſeparata poſsit naturaliter cognoſcere futura contingentia, vel ſecreta cordis. pag. 379.

QVÆSTIO IIII.

De voluntate animæ ſeparatæ, & de actibus illius.

Cap. 1. Vtrum detur volũtas in anima ſeparata, quid ſit illius obiectũ, & quæ libertas pag. 383.

Cap. 2. De actibus voluntatis animæ ſeparatæ. pag. 384.

QVÆSTIO V.

De potentia motiua animæ ſeparatæ.

Cap. 1. Vtrum in anima ſeparata detur potẽtia motiua. p. 387.

Cap. 2. De actu huius potentiæ motiuæ in anima ſeparata. p. 389.

Cap. 3. De motu, quem anima ſeparata poteſt exercere in alias res à ſe diſtinctas. pag. 392.

TRACTATVS OCTAVVS.

IN libros Ethicorum. pag. 369.

QVÆSTIO I.

De Bono.

Cap. 1. Quid ſit bonum. pag. 397.

Cap. 2. De diuiſione boni. pag. 398.

De Fine.

Cap. 3. Vtrum finis, & bonum ſint idem inter ſe. pag. 398.

De Felicitate.

Cap. 4. In quo conſiſtat felicitas huius vitæ. pag. 400.

QVÆSTIO II.

De tribus principijs humanorum actuum, Voluntate, Intellectu, & Appetitu ſenſitiuo.

Cap.1. Vtrùm omnes actus humani à libera voluntate proficiſcãtur. pag.402.

Cap. 2. Vtrum voluntas moueat omnes alias potentias ad ſuos actus exercendos. pag. 403.

Cap.3. Vtrum bonitas, & malitia humanarum actionum petenda ſit ab obiecto, an non. p. 405.

Cap.4. Vtrum bonitas, & malitia humanarum actionum pendeat etiam à circumſtantijs. p.405.

QVÆSTIO III.

De Affectionibus animi, quæ *Paſſiones* vocantur.

Cap.1. Vtrum appetitus ſenſitiuus rectè diuidatur in concupiſcibilem, & iraſcibilem. pag.407.

Cap.2. Definiuntur, & diuidũtur paſsiones. pag.408.

QVÆSTIO IIII.

De virtutibus in communi.

Cap.1. Vtrum definitio virtutis rectè ſe habeat, pag.410.

Cap.2. Vtrum ne virtutes hominis naturales ſint, an proprijs actibus eas acquirat. pag.412.

Cap.3. Vtrum in appetitu ſenſitiuo aliquæ inſint virtutes. pag. 414.

Cap.4. Sitne apta virtutum diuiſio, an non. pag.415.

QVÆSTIO V.

De Prudentia.

Cap.1 Vtrum Prudentia rectè ab Ariſtotele definita ſit. p.417.

Cap.2. Vtrum actus Prudentiæ, eiusque partes rectè tradantur. pag.418.

QVÆSTIO VI.

De cæteris virtutibus moralibus.

De Iuſtitia.

Cap.1. Quid ſit Iuſtitia, & quæ eius partes integrantes, aut ſubiectiuæ. pag 420.

De Fortitudine.

Cap.2. Quid ſit Fortitudo, qui eius actus, & quæ partes. pag 423.

De Temperantia.

Cap.3. Quid ſit Temperantia, & quæ eius partes integrantes, ſubiectæ, & potentiales. pag.424.

FINIS.

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

TRACTATVS PRIMVS.

De rebus naturalibus in communi, & earum principijs, & proprietatibus.

Quid ſit Philoſophia, & quomodo diuidatur.

PROOEMIVM.

Variæ definitiones Philoſophiæ.

1 NAturalium rerũ ſcientia à Pythagora primò eſt *Philoſophia* nuncupata. Vnde ab aliquibus definitur *Amor ſapientiæ*, quòd excellens rerum cognitio ſine amore, nequaquam conſtet. Ab alijs dicta eſt *Humanarum, diuinarumque rerum cognitio*, id eſt: corporalium, ac ſpiritualium rerum ſcientia. Tertiò deſcribitur Philoſophia, *Eſt mortis contemplatio*. Aptiùs tamen definitur à Damaſceno lib.4. Dialecticę, & Ariſtotel.10.Metaph.cap.3. *Cognitio rerum, vt ſunt*, ſeu, *Eſt cognitio rerum per ſuas cauſas*. Sicut enim res habent proprium eſſe per cauſas, ita tunc perfectè percipi dicũtur, quando per eaſdem cognoſcuntur. Quapropter ille iure optimo Philoſophus appellabitur, qui cauſarum cognitionẽ fuerit aſſecutus.

Qui Philoſophus vocetur.

Diuiditur philoſophia communiſsimè ſumpta.

2 Philoſophia communiſsimè ſumpta diuidirur primò in Naturalem, Moralem, & Dialecticam. Cum enim philoſophia ad naturalem felicitatem aſſequendam dirigatur, & naturalis felicitas partim in actionibus virtutum, partim in contemplatione veritatis conſtituta ſit, neceſſariò danda eſt ſcientia aliqua, quæ ad virtutum actiones, & ad morum probitatem dirigatur, & hæc eſt moralis philoſophia. Deinde alia, quæ in cognoſcenda veritate occupetur, & hæc naturalis philoſophia appellatur; cum verò iſta veritatis cognitio diſputando, & diſcurrendo comparetur, oportuit attem aliquam ſtatuere, quæ rectè differendi normas præſcribat: & hæc Dialectica nuncupatur.

Diuiditur philoſophia naturalis.

3 Naturalis philoſophia in phyſiologiam, ſeu Phyſicam, Mathematicas, & Metaphyſicam diſtribuitur;

Digitized by Google

buitur; quæ non ſunt partes integrantes vnam totalem ſcientiam, ſed ſcientiæ diuerſæ. Quarum prima eſt vna ſcientia ſpecie, tractatque de ente mobili, ſeu de rebus, quæ conſtant materia, & forma. Mathematica verò agit de ente quanto, ſeu de ente prout abſtrahit à materia ſenſibili, non tamen intelligibili, diuiditurque in Arithmeticam, & Geometriam. Metaphyſica autem eſt vna ſpecie ſcientia, habetque pro obiecto adæquato ens prout abſtrahit ab omni materia, tam ſenſibili, quàm intelligibili. Cum enim ſcientiæ diſtinguantur per obiecta materialia, prout ſtant ſub aliqua ratione formali, inde fit vt triplex tantùm detur ſcientia ſpeculatiua naturalis, quia in ente ſolùm poteſt conſiderari illa triplex ratio formalis, quę ſpecificet diuerſas ſcientias ſpeculatiuas.

Naturalis philoſophia eſt ſcientia ſpeculatiua.

4 Hinc colliges philoſophiam naturalem eſſe verè, ac propriè ſcientiam ſpeculatiuã, ſiſtit enim in ſola veritatis cognitione, habetque obiectum ſaltem formaliter diſtinctum ab obiectis aliarũ ſcientiarum, ac reliquas conditiones ad verã ſcientiam requiſitas: demonſtratque ſuas concluſiones per veras cauſas, ſaltem phyſicè neceſſarias; quidquid in contrarium dixerint Heraclitus, & Pythagoras.

Illius obiectum adæquatum.

5 Obiectum verò huius ſcientiæ adæquatum, eſt ens mobile, ſeu ens conſtans ex materia, & forma ſubſtantiali, quod aliter dicitur corpus mobile, ſeu ens naturale. Hoc enim per ſe à naturali philoſophia explicatur, & ad illius cognitionem diriguntur omnia, quæ in naturali philoſophia tractãtur.

Et locus inter alias ſcientias.

6 Inter tres ſcientias ſpeculatiuas, tam ordine dignitatis, quàm ordine doctrinæ, ſecundum locũ ſibi vendicat, & omnibus practicis diſciplinis nobilitate ſimpliciter antecellit, quanuis ſit inter ſpeculatiuas Metaphyſica inferior, vt patet ex obiecto vtriuſque, nam obiectum Metaphyſicæ, eſt præſtantius, quàm obiectum philoſophiæ naturalis.

Ex quibus partibus integretur.

Quo ordine de rebus philoſophicis egit Ariſtoteles.

7 Hæc igitur naturalis Philoſophia integratur ex octo quaſi partibus apud Ariſtotelem. In prima phyſico more agit de principijs, & cauſis rerum naturalium. Hanc autem primam partem concluſit octo libris, quos inſcripſit, *De naturali auſcultatione*, ſeu, *De phyſico auditu*. Eo quòd res, quæ in illis tractãtur, maxima egeant audientium attentione, vt intelligantur. In ſecunda parte tractat de totius orbis ſtructura, & compoſitione, eiuſque partibus, quarum præcipuæ ſunt quinque corpora ſimplicia, nempe cæleſte corpus, & quatuor elementa. Continetur autem hæc ſecunda pars quatuor libris, qui *De Cælo* inſcribuntur. In tertia parte explicat naturalium rerum ortum, & interitum, & quæ ad hoc conducũt per duos libros, qui *De Ortu, & Interitu* ſeu *De Generatione, & Corruptione* inſcribuntur. Quarta pars continet doctrinam de aliquibus mixtis imperfectis, vt de niue, glacie, cometis, & ſimilibus, quæ *Meteòra* nuncupantur. Quinta pars continet doctrinam *De Anima*. In ſexta diſputat de aliquibus viuentium affectionibus, vt de ſomno, de vigilia, de ſenſu, &

ſenſi-

ſenſibili, de vita, & morte. In ſeptima multa narrat de animantibus, quæ ideo *Hiſtoria animalium* eſt inſcripta. Tandem in vltima parte agit de partibus animalium, eorumque generatione, & motu.

Quo ordine in hoc opere procedēdum ſit.

8 Hoc igitur ordine ſeruato, dicemus de ſingulis, quę fuerint magis certa, quanuis de ſeptima, & octaua parte, nihil in præſenti ſit dicendum; quia de animalibus, & eorum partibus tractans Ariſtoteles, egit potius hiſtoriographum, quàm philoſophum. Loco tamen illius hiſtoriæ apponemus aliqua ad moralem philoſophiam ſpectantia, de quibus egit Ariſtoteles in libris Ethicorum, & ita tota hęc noſtra doctrina philoſophica abſoluetur.

DE ÇOGNITIONE, TERMINIS, AC principijs rerum naturalium.

QVÆSTIO I.

De cognitione rerum naturalium.

CAPVT I.

Quo ordine in rerū cognitione ſit procedēdum.

1. CVm philoſophia ſit cognitio rerum vt ſunt, docuit Ariſtoteles in libro primo Phyſicorum, capite primo, in cognitione rerum naturalium progrediendum nobis eſſe à communioribus ad minùs communia cognoſcenda. Cognitio igitur vel eſt perfecta, vel imperfecta. Cognitio perfecta diuidi poteſt in comprehenſiuam, definitiuam, & demonſtratiuam. Cognitio autem imperfecta eſt cognitio alicuius rei cōfuſa tantùm, vel per quam non cognoſcitur aliquod obiectum, ſecundùm omnes ſuas partes. Cognitio comprehenſiua eſt ea, per quam cognoſcitur res aliqua, quantùm cognoſcibilis eſt, & requirit cognitionem omnium cauſarum, & effectuum, quos res aliqua naturaliter edere poteſt, ſaltem in ſpecie, & omnium proprietatum, ac virium, quæ talis rei eſſentiam conſequuntur.

Varia genera cognitionum.

Cognitio imperfecta quid.
Cognitio comprehēſiua quid.

Cognitio definitiua quid.

2. Cognitio definitiua eſt ea, quæ habetur de re aliqua per definitionem propriam, & eſſentialem talis rei. Hæc autem cognitio definitiua, ſi fuerit omnibus modis perfecta, debet haberi per omnes definitiones eſſentiales, quæ contineant internas cauſas rei, quæ cognoſcitur; ſi autem fuerit perfecta in vno tantùm genere, ſatis eſt quòd cognoſcatur res per definitionem eſſentialem in eo genere, verbi gratia in genere metaphyſico.

Cognitio demōſtratiua quid.

3. Cognitio ſimpliciter, & perfectè demonſtratiua eſt ea, quæ habetur per cauſam á priori; ſi autem eſt cognitio demonſtratiua omnib⁹ modis perfecta, debet haberi per omnes cauſas, tā internas, quā externas; non tamē opus eſt vt cognoſcantur cauſæ per accidęns, quia eſſe rei ab illis ſimpliciter non pendet.

Totum duplex eſt

4. Totū duplex eſt, vel totum eſſentiale, quod etiam vocatur ac-

Totũ eſſentiale quid.

tuale,vel totũ vniuerſale,quod alitet vocatur totũ potentiale. Totũ eſſentiale eſt illud, quod conſtat ex partibus eſſentialibus, v. g. homo, quatenus cõſtat ex materia,& forma rationali,dicitur totũ Phyſicũ eſſentiale; quatenus verò conſtat ex animali,& rationali, dicitur totũ eſſenriale metaphyſicũ.

Totũ potẽtiale quid.

Totũ potentiale eſt quælibet natura communis, reſpectu ſuorũ inferiorum,in quibus reperitur. Vnũquodque ex his poteſt cognoſci, vel cognitione diſtincta,vel cognitione confuſa.

Cognitio cuiuſuis totius vel eſt confuſa, vel diſtincta.

Totũ eſſentiale tũc cognoſcitur diſtinctè, quãdo omnes illius partes clarè,& diſtinctè cognoſcuntur: & hæc cognitio totius eſſentialis appellari ſolet cognitio diſtincta actualis. Tũc autẽ totum eſſentiale cognoſcitur cõfuſè,quando illius partes,vel ſaltẽ aliqua ex illis tãtùm cõfuſè attingitur, & talis cognitio dicitur confuſa actualis.

5. Totũ potẽtiale cognoſcitur clarè, quãdo omnia inferiora illiꝰ diſtinctè percipiuntur: confusè autẽ,quando inferiora ſolũ promiſcuè,& permixtim attingũtur. Si primo modo cognoſcatur, illa cognitio dicitur diſtincta potentialis: ſi ſecundo modo,appellatur cognitio confuſa potentialis.

Cognitio cõfuſa præcedit diſtinctam.

Inter quas cognitiones ferè ſemper cõfuſa præcedit diſtinctã,ſaltẽ pro hoc ſtatu: priùs enim incurrimus in totũ,& poſtea diſquirimus eius partes. Cognitio diſtincta actualis poteſt dari ſimul cũ cognitione confuſa potentiali,& è cõtrà,poteſt enim quis cognoſcere partes, ex quibus cõponitur eſſentia animalis, quin diſtinctè cognoſcat eſſe genus. Poteſt etiã cognoſcere omnes ſpecies animalis,quãuis diſtinctè nõ cognoſcat partes eſſentiales, nec teneat animalis definitionẽ.

Vtrũ ambæ poſsint dari in eodem actu.

Cognitio tamẽ diſtincta actualis non dabitur ſimul in eodẽ actu cũ confuſa ſimiliter actuali de eodẽ obiecto, nec potentialis diſtincta cũ potentiali cõfuſa; in diuerſis tamen actibus nõ repugnant ſimul. Poteſt etiã dari cognitio diſtincta alicuius totius per vnum tantùm actum, quanuis ferè ſemper illam habeamus per plures.

Cognitione diſtincta actuali quæ faciliùs cognoſcamus.

6. Cognitione igitur diſtincta actuali res magis vniuerſales faciliùs à nobis cognoſcuntur, quàm minùs vniuerſales, quia habent pauciores partes, ſeu gradus, & ſunt entia minùs cõpoſita. Deinde quia requirũtur ad cognitionẽ diſtinctã minùs vniuerſalium, ſeu inferiorũ,

Et quæ cognitione diſtincta potentiali.

cognitione autẽ diſtincta potẽtiali faciliùs cognoſcimus minùs vniuerſalia, quia habent pauciores partes,ſeu pauciores ſpecies,& indiuidua, quã magis vniuerſalia. Secundò, quia vt perfectè cognoſcam magis vniuerſalia,opus eſt vt priùs incipiã ab eorum ſpeciebus.

Quæ priùs cognoſcamus cognitione confuſa actuali.

7. Cognitione autẽ confuſa actuali,& remotis impedimẽtis, ex naturis communibus priùs concipimus ſpeciem infimam, quia ſenſibus eſt propinquior; vnde Metaphyſica ſcientia ordine doctrinæ,eſt reliquis poſterior, quia tradit cognitionem rerum magis vniuerſalium. Poſitis tamen impedimẽtis, priùs cognoſcimus cognitione confuſa actuali magis vniuerſalia; vt patet experientia

quando

quãdo aliquod obiectũ cernimus è lõginquo. Si autẽ cõparatio fiat inter vniuerſalia, & ſingularia, pri⁹ cognoſcimus confuſè ſingularia, & inter hæc prius ſingularia accidẽtis, quàm ſubſtantiæ: quia hæc ſunt externis ſẽſibus propinquiora; quãuis autẽ ſingulare ſubſtantiæ ſit ſecundũ ſe magis cognoſcibile, nõ tamẽ quoad nos. In quo ſenſu dixit Ariſtoteles, nõ eadem eſſe nobis, & natura ſua notiora.

De terminis rerum naturalium.

CAP. II.

8. Qvatuor ſũt termini, intra quos circũſcribuntur res naturales: duo appellãtur magnitudinis, alij duo paruitatis, ex quibus vnus eſt internus, alter externus. Terminus internus magnitudinis ab alijs vocatur *Maximum quod ſic.* Et eſt illa magnitudo quãtitatis, ſub qua res naturalis eſſe poteſt, & ſub maiori nõ poteſt. Terminus externus magnitudinis aliter dicitur *Minimum quod non.* Et eſt ille, ſub quo res eſſe non poteſt, & ſub quolibet minori poteſt.

Terminus internus magnitudinis quid.

Terminus externus magnitudinis quid.

9. Terminus intrinſecus paruitatis ab alijs vocatur *Minimũ quod ſic*, & eſt ille, ſub quo res eſſe poteſt, & ſub minori nõ poteſt. Terminus paruitatis extrinſecus eſt, ſub quo res aliqua eſſe nõ poteſt, erit tamen ſub quouis maiori, & hic appellatur *Maximum quod non.*

Terminus paruitatis internus quid.

Terminus externus paruitatis quid.

10. Cũ igitur res naturales in hoc ordine, & ſtatu nõ poſsint eſſe cuiuſcũque magnitudinis, neque in ſua prima generatione fieri in quacũque, ideo habere debent certos aliquos magnitudinis, & paruitatis terminos, tã quoad primũ fieri, & generari, quàm quoad cõſeruari: vnde quælibet ſpecies viuẽtis habet terminũ intrinſecũ ſuæ magnitudinis, & paruitatis, verbi gratia: indiuiduũ hominis poteſt generari ſub quãtitate digitali, & nõ ſub minori, vel poteſt generari ſub palmari, & non ſub maiori. Ratio eſt, quia homo, v. g. non poteſt generari ſub maxima quantitate: ſumatur ergo illa, ſub qua nõ poteſt, & minuatur paulatim, tandẽ deueniendũ erit ad aliquã, in qua poſsit, & ſub maiori nõ poterat; illa ergo erit terminus intrinſecus magnitudinis hominis, quoad generationẽ; ſimiliter ſumatur minima in qua nõ poſsit generari, & augeatur, quouſque poſsit generari ſub hac, & nõ ſub minori, tunc illa quãtitas erit terminus internus paruitatis, quoad generationem.

Quælibet ſpecies viuẽtis habet certum magnitudinis, & paruitatis terminum.

11. Res autẽ viuẽtes quoad conſeruationẽ in ſuo naturali ſtatu ſimiliter vendicãt terminos magnitudinis, & paruitatis internos, quia vis nutriendi in ſuo naturali ſtatu poteſt augere viuens ad certũ terminũ, & nõ ampliùs. Similiter anima, cũ ſit actus corporis organici, nõ poterit naturaliter conſeruari, niſi in quantitate ſufficiente ad corporis organizationẽ. Dixi *In ſuo naturali ſtatu*, quia vis nutriẽdi, ſi coniungatur alicui qualitati noxiæ, vel diſponatur modo aliquo præternaturali, tunc nõ erit mirum, ſi debitum naturæ ordinẽ excedat, vt in gigantibus, qui inter monſtra numerantur.

De terminis quoad conſeruationem.

12. Res verò inanimes, quæ ſũt

Cadauerũ termini.

ex viuentibus, verbi gratia, cada ueta quoad generationem habẽt terminum magnitudinis internũ; at quoad cõſeruationẽ ſolùm externũ; poteſt enim cadauer generari in hac quantitate, & in maioti non poteſt, quia homo in ea nunquã interibit, quia nunquã ad illã poteſt peruenire. Deinde quo ad conſeruationẽ, cũ in ſe nõ poſſint conuertete alia corpora, ſed potius ipſa conuertantur in alias ſubſtantias, non poſſunt in infinitum extendi, ſed habent aliquem terminũ, ſub quo nõ poſsint cõſetuati, & ſub quouis alio poſsint.

De terminis non viuentium.

13. Reliqua autẽ non viuentia nullũ habent terminũ magnitudinis nec viã generationis, nec viã conſeruationis: quò enim ignis habet maiorẽ quantitatẽ, eò magis viget, & conſeruatur. Quoad generationẽ tamẽ, quælibet non viuentia habent internũ paruitatis terminũ, quia nõ poſsũt generari in quauis minima quãtitate, quæ ſi augeatur, deueniendũ erit ad eam, in qua poſsit generari, & non ſub minori, & ille erit terminus intetnus paruitatis, viã genetationis.

De principijs rerum naturalium.

CAP. III.

14. Circa rerũ naturalium principia, diſcrepãtes fuere Veterum ſentẽtiæ. Quidã enim vnũ tantũ principium phyſicũ agnoſcebant; alij innumera, partim finita, partim infinita. Meliùs tamen philoſophantur, qui tria tãtùm principia phyſica agnoſcunt, nempe Materiã primã, Formam ſubſtantialẽ, & Priuationem fotmæ in materia. Nam quidquid generatur partim erat, partim non erat, quia generatio eſt actio eductiua, quæ præſupponit ſubiectum, ſeu matetiã, & tendit ad formã ſubſtantialem producendã, vel ſaltẽ vniendã cũ materia præiacente, quæ mareria debet eſſe priuata illa forma, quã denuo recipit; ergo erat materia cum priuatione formæ, & aduenit de nouo ipſa forma, ac proinde ſunt tria rerũ naturaliũ principia; quorũ duo ſunt poſitiua, nẽpe Materia, & Forma, & tertium negatiuũ, nẽpe Priuatio; & ideo Ariſtoteles docuit res naturales fieri ex cõtrarijs, ſumẽdo cõtraria pro oppoſitis priuatiuè qualia sũt forma ſubſtantialis, & illius priuatio in materia. Res autẽ naturales, quæ ſecundùm ſe totas fierẽt per creationẽ, non haberẽt alia principia, præter materiã, & formam quæ ſimul producerẽtur per vnã impattibilẽ actionẽ, & ideo materia non ptæſupponeretur priùs cum priuatione formæ.

Tria ſunt principia phyſica.

In quo ſenſu dicantur res naturales fieri ex contrarijs.

15. Principia igitur phyſica ita Philoſophus definiuit lib. 1. Phyſicorũ cap. 5. *Principia ſunt ea, quæ nec ex ſeſe mutuo, nec ex alijs, ſed ex ipſis omnia ſunt*. Per particulam *Ea* intelligitur ens prout abſtrahit à negatiuo & poſitiuo, vtibi etiam cõprehendatur priuatio. Similiter particula *Ex* ſumẽda eſt prout dicit, vel terminũ, á quo incipit totũ phyſicũ, (quod quãdo fit per genetationẽ, incipit á priuatione formę:) vel prout ſignificat partes reales, & intrinſecas, ex quibus totũ phyſicũ eſſentialiter conſtat.

Definitio principiorum.

Additur

Additur in definitione *Quæ nec ex ſeſe mutuo, nec ex alijs, &c.* vt indicetur materiã non cõponere formã, nec formã cõponi ex materia, aut ex quouis alio, ſed eſſe entia phyſicè ſimplicia, ex quibus cõponũtur res omnes naturales, ſeu omnia cõpoſita phyſica. Non tamen obſtat his principijs phyſicis compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia.

Quid ſit natura, quid res naturales.

CAP. IIII.

Variæ acceptiones naturæ.

16. NAtura variè ſumitur apud Philoſophos. Primò pro ipſo Deo. Secũdò pro rebus omnibus creatis, ſeu pro tota rerũ creatarũ vniuerſitate; & quando ſumitur pro Deo, ſolet appellari natura vniuerſalis; quando autem pro rebus creatis, dicitur particularis. Tertiò ſumitur pro eſſentia cuiuſque rei, & ita dicimus in diuinis vnam tantũ eſſe naturã. Quartò pro cauſis naturalibus operantibus modo ſuo, & ordine naturali; in quo ſenſu dicitur natura nihil fruſtrà moliri, & facere optimũ, quod poteſt. Quintò pro cuiuſque viuentis tẽperamento. Tandẽ accipitur pro cuiuſque rei viuentis natiuitate, & generatione. Quia verò generatio oritur ab interno principio, inde deductum eſt hoc nomen *Natura* ad ſignificandũ internum cuiuſq; rei prĩcipiũ, ex quo primo vnaquæq; res habet vt moueatur.

Definitio naturæ propriè ſumptæ.

17. Atque in hoc ſenſu definitur ab Ariſtotele. *Natura eſt principiũ, & cauſa vt id moueatur, & quieſcat, in quo per ſe, & immediatè, & nõ ex accidente ineſt.* In qua definitione explicantur materia, & forma prout in rebus naturalibus ſunt cauſæ, vt detur motus, & quies: quia tamen ex iſtis duabus, forma eſt nobilior, ac præſtãtior pars, ideo illa præſertim aliquando dicitur natura. Res autẽ naturales in hoc ſenſu ſunt omnia compoſita phyſica, quæ ex materia, & forma ſubſtantiali componuntur.

Quid ſint res naturales.

18. In definitione autẽ naturæ per *Principium, & cauſa* reijciũtur ea, quæ talia nõ ſunt, reijcitur etiã priuatio, quę quãuis ſit principiũ, nõ tamen eſt cauſa, cũ realiter nõ influat: Per illud *Moueatur, & quieſcat* intelligitur quælibet mutatio phyſica, ſiue inſtantanea, ſiue tẽporaria: & reijciuntur quæuis alię mutationes, quæ phyſicæ nõ ſunt, vt motus Angelorũ; reijciuntur etiã cauſæ, quæ nõ ſunt cauſę motus, & quietis. Per ſequentẽ verò partem *In quo ineſt* reijciũtur cauſæ, quæ extrinſecùs concurrũt ad motum, ſeu ad mutationes phyſicas, vel quæ concurrunt ex accidẽte. Cõuenit autẽ iſta definitio tã materię, quã formæ ſubſtantiali, & rationali, quia eſt principiũ effectiuum operationum vitaliũ, quæ inter mutationes phyſicas numerantur.

Conuenientia inter naturam & artem.

19. Conuenit autẽ natura cum arte. Primò, quòd vtriuſque opera ordinatè procedant. Secũdò, quia ſicut effectus naturæ prius continentur aliquo modo in cauſa, ita effectus artis prius continentur in mente artificis ratione exẽplaris. Tertiò, quia ſicut ars ſupponit naturam, ita natura, vt operetur, ſup-

ponit Deũ auctorem ſuum, & ſicut ars ſupponit materiã ſecundã, ita natura vt operetur, ſupponit materiã primã. Quartò quòd vtraq; incipit à minus perfectis ad perfectiora. Quintò ſicut natura diuinã artem, ita ars naturam imitatur.

Diſconuenientiæ.

20. Differunt verò quia natura veras res conficit; ars tantùm adũbratas. Secundò, quia quando ad idem opus concurrũt, ars perficit naturã. Tertiò, quia formæ artificiales nõ gignũt alias ſibi ſimiles; naturales autẽ formæ alias ſibi ſimiles producũt; vnde formæ artificiales nõ ſunt operatiuæ, naturales verò maximè. Quartò, quia ars occupatur in ſola externa ſuperficie, natura etiã, & præcipuè interiùs. Atq; hinc colliges nõ poſſe artẽ per ſe ipſam efficere opera naturę, cũ ſolas formas artificiales poſsit inducere in materiã ſecundã, & nõ ſubſtantiales in materiã primã. Applicãdo tamẽ actiua paſſiuis poſſunt per artẽ aliquãdo euadere aliqui effectus naturales, verbi gratia, animalia quædã imperfecta; poteſt etiã ars artẽ parare naturales motus, ita vt concinnè, & eleganter fiant, & adhibitis machinulis, & argẽto viuo, efficere in ſtatua aliquẽ motũ, vel quid ſimile. Vtrũ verò per artẽ chymicam verum aurum poſsit efformari? dubium eſt pro parte affirmante probabilius, quamuis id rarum ſit, ac perdifficile.

DE RERVM NATVRALIVM CAVSIS in communi.

QVÆSTIO II.

De principio in communi.

CAPVT I.

1. Res naturales plures habẽt cauſas, ex quibus quædã ſunt internæ, aliæ externę. Internæ ſũt materia, & forma, ſeu cauſa materialis, & formalis; externæ ſunt efficiẽs, & finalis. De his ergo cauſis dicemus ſuo ordine, primò in cõmuni, deinde ſingulas percurremus. Cũ autẽ omnes in hoc conueniãt, quòd ſint principia, videndum prius eſt, Quid ſit Principium.

Principium late quid comprehendat.

2. Principiũ laté ſumptũ cõprehendit tã principia propria, quã impropria. *Principiũ improprium eſt illud quod cũ dicatur alicuius rei principiũ, tamen non influit aliquod reale eſſe in talẽ rem.* Hac ratione aurora dicitur principiũ diei, fons principiũ fluminis, & primo loco ſedẽs principiũ reliquorũ, fundamentũ principiũ domus, &c. De hoc genere principiorũ nõ agimus, ſed de alio magis proprio, quod ſub ſe continet ea principia, quæ vel dãt verũ eſſe rebus, quarũ ſunt principia, vel ſaltẽ ad illas neceſſariò præſupponũtur, vt ſe habet priuatio formæ in materia reſpectu rerum, quę generantur.

Definitio Principij preſſè ſumpti.

3. In quo ſenſu definitur Principiũ à S. Thoma *Principiũ eſt id, à quo aliquid procedit quocumque modo.* Ab Ariſtotele autẽ definitur. *Principium*

Definitio Principij præſsé ſumpti.

cipiũ eſt id, vnde aliquid est, ſit, aut cognoſcitur. In qua definitione indicatur ſimul diuiſio Principij, in principiũ rei, & principiũ cognitionis; ſeu in principiũ ſimplex, & principiũ complexũ. Principium cognitionis, ſeu cõplexum recurrit cũ principijs ſcientiarũ, ex quibus deducũtur concluſiones ſciẽtificæ, de quibus agitur libro primo Poſteriorũ. Principiũ autẽ rei idẽ eſt atque principiũ ſimplex; & optimè definitur per illã definitionẽ S. Thomæ; quæ definitio nõ ſolũ cõuenit principio creato, ſed etiã increato nã Filius eſt à Patre, Spiritus ſanctus eſt à Patre, & á Filio, vt ab vno principio adæquatò.

Quędã corollaria.

4. Vnde colliges de ratione principij nõ eſſe vt det eſſe cum dependẽtia, nã principiũ in diuinis dat eſſe ſine vlla depẽdentia. Colliges ſecũdó latiꝰ patere principiũ, quã cauſam, quia in diuinis datur verũ principiũ, nõ tamẽ datur cauſa. Colliges tertiò de ratione principij non eſſe, vt conferat aliud eſſe diſtinctum ab eo, quod in ſe habet; nã Pater æternus eſt principiũ Filij, & tamẽ nõ illi cõfert aliud eſſe. Semper tamen inter principiũ, & rẽ, cuius eſt principiũ, requiritur alia cõnexio, vel cõſecutio, aut habitudo; requiritur etiã aliqua prioritas, vel tẽporis, vel naturæ, vel ſaltem originis, quæ ſimpliciter prioritas non eſt, & ſolũ importat, vt principiũ habeat eſſe abſque tali origine.

Diuiſio principij ſimplicis.

5. Colliges quartò principium ſimplex, quod dat verũ eſſe, poſſe diuidi vt quid analogũ, in principiũ creatũ, & increatũ. Principiũ creatũ recurrit cũ cauſis creatis; Principiũ verò increatum vel eſt principium rei increatæ, vt eſt Pater reſpectu Filij, Pater, & Filiꝰ, reſpectu Spiritus ſancti; vel eſt principiũ rerũ creatarũ, vt eſt tota Trinitas reſpectu creaturarũ. Eſt autem principiũ ita ſumptum quid analogũ, quia reſpectu Dei, & creaturarũ nihil datur vniuocũ. Similiter principiũ creatum ad omnes cauſas creatas, quocũque modo ſumatur, ſiue materialiter pro rebus, quæ dicũtur principia, ſiue pro cauſalitatibus, ſiue pro relationibus principij, ſemper eſt aliquid analogum.

Principium eſt analogum.

Quid ſit cauſa phyſica, & illius cauſalitas.

CAP. II.

Cauſæ phyſicæ definitio.

6. CAuſa igitur phyſica, & quæ verè influit in effectũ cõmuniſsimè ſũpta definitur. *Cauſa eſt id, à quo aliquid per ſe pendet.* Clarius definiri poteſt. *Cauſa eſt principiũ per ſe influens eſſe in aliud*, & per hanc definitionẽ excluditur á numero cauſarũ priuatio, & cauſæ per accidẽs, & quidquid nõ eſt principiũ influens in aliud. Verbum autem *Influens* debet ſumi laté prout ſignificat quãcumque cõmunicationẽ, & influxũ, ſiue ſit vt á principio efficiẽte, ſiue vt ab aliquo principio interno, vel externo. Per illã partẽ definitionis *Aliud* intelligitur aliquid, quod habeat eſſentiã ſaltẽ numero diſtinctã à cauſa, & ita reijcitur á definitione cauſæ principium in diuinis, quod non eſt cauſa, quia non communicat

diſtinctum eſſe.

Quid ſit cauſalitas.

7. Quælibet cauſa phyſica habet ſuã cauſalitatẽ, per quã veluti per viam actualiter, & immediatè cauſat ſuũ effectum; quæ actualis cauſalitas nõ eſt ipſa entitas cauſæ, neq; effectus à cauſa immediatè productus, nã tota entitas cauſæ, & tota entitas effectus poteſt perſeuerare ſimpliciter, & abſolutè loquẽdo, quin perſeueret cauſalitas actualis. Cauſalitas igitur in cauſis nihil aliud eſt, quàm influxus ille, ſeu cõcurſus, quo vnaquæq; cauſa in ſuo genere actualiter influit in effectũ, ſiue talis influxus à parte rei diſtinguatur ab entitate cauſæ, vel effect⁹, ſiue nõ: de quo dicemus in ſingulis cauſis. Eſt autẽ omnis cauſalitas *Dependẽtia quædã actualis, per quã effectus pendet à cauſa*, & ideo aptiùs in re depẽdente, ſeu in effectu cõſtituitur.

Diuiditur variè cauſa phyſica.

8. Cauſa phyſica, & realis varias habet diuiſiones. Primò diuiditur in totalẽ, & partialem. *Totalis eſt, quæ habet virtutẽ ſufficientem ad producendũ totũ effectũ.* Partialis *eſt illa, quæ ſine conſortio alterius non poteſt totũ effectũ producere.* Secundò diuiditur in proximã, & remotam. *Proxima eſt ea, quæ immediatè influit in effectũ.* Remota eſt, *quæ influit mediante alia.* Tertiò diuiditur in cauſam principalẽ, & inſtrumentalẽ. *Principalis eſt, quæ virtute ſibi propria influit in effectũ.* Inſtrumentalis *eſt ea, quæ influit in virtute alterius.* Quartò diuiditur in cauſã primã, qualis eſt ſolus Deus, & in cauſam ſecundam, quales ſunt omnes cauſæ creatæ.

Præcipua diuiſio cauſæ phyſicæ.

9. Præcipua tamẽ diuiſio eſt ea, qua Ariſtoteles diuiſit cauſã phyſicã in quatuor genera, nempe in cauſam efficientẽ, finalẽ, materialẽ, & formalẽ: quæ diuiſio eſt adæquata, cũ non detur effectus aliquis, qui plures cauſas requirat, & per iſtas cauſas ſatisfiat omnibus quæſtionibus, quæ de re aliqua poſſunt fieri. De quibus omnibus cauſis nõ eſt dubiũ eſſe veras, ac reales cauſas, & habere reales effectus: quanuis enim cauſa finalis videatur aliquibus cauſa phyſica tantùm impropriè, & veluti moralis, quia videtur aliquãdo cauſare non exiſtens; veriùs tamen philoſophantur, qui eam inter verè phyſicas numerant, vt oſtendit ipſius definitio, definitur enim *Illud, propter quod aliquid ſit, aut eſt*; vbi particula *Propter* indicat verã cauſalitatẽ; neque ad realẽ cauſam opus eſt, vt quãdo actualiter cauſat, actu exiſtat, ſed ſufficit exiſtẽtia obiectiua. Diuiſum in hac diuiſione quocũque modo accipiatur, eſt analogum, vt ſupra diximus de principio.

Diuiſum in hac diuiſione eſt analogum.

Alia diuiſio cauſæ.

10. Aliter diuiditur cauſa phyſica in cauſam internam, & externam. Cauſa interna diuiditur in materiam, & formam, quæ intrinſecè componunt totũ phyſicum. Cauſa externa vel eſt finalis, vel efficiens; reliquæ ad aliquam ex iſtis reuocantur. Et hæc diuiſio eſt magis immediata, quã præcedens: non tamẽ repugnat in vna, & eadem re materiali reperiri iſtas quatuor rationes cauſarum reſpectu diuerſorum effectuum.

Digitized by Google

DE CAVSIS INTERNIS RERVM.

QVÆSTIO III.

De cauſa materiali interna, & ſubſtantiali, ſeu de materia prima.

CAPVT I.

1 Cauſa phyſica interna componit totum phyſicum. Diuiditur autem in materiam, & formam, quæ ſunt principia phyſica, & realia rerum phyſicarũ, ſeu entis mobilis, quod eſt phyſiologiæ obiectum. Primò ergo dicemus illa, quæ ad materiam primam ſpectabunt. Deinde quæ ad formam ſubſtantialem. Tertiò illa, quæ pertinent ad totum.

Diuiſio totius quæſtionis.

2 Dari in rebus phyſicis materiam primam, oſtendũt quotidianæ mutationes, & generationes ſubſtantiales; cum enim generatio ſit actio ex præſuppoſito ſubiecto, & forma ſubſtantialis de nouo producatur, neceſſariò danda fuit materia prima, tanquam primum ſubiectũ, vt in ea exerceantur iſtæ mutationes ad nouas formas ſubſtantiales, & vt ex illa tanquam ex præſuppoſito ſubiecto fiant generationes ſubſtantiales. Idem etiam oſtendunt corruptiones, quæ paſſim fiunt, cum enim res corruptibiles aliæ ex alijs fiant, neceſſe eſt vt detur aliquod commune ſubiectum, quod pereunte iſta forma, maneat ſub alia; alioquin vna res corruptibilis non fieret ex alia, ſed inciperet ſecundùm ſe totam.

Probatur dari in rebus phyſicis materiam.

3 Quid autem ſit hæc materia non omnes eodem modo explicatunt. Quidã aſſeruere omnia, quæ fiunt, ex terra fieri, & ideo terram eſſe materiam primam. Alij dixerunt hanc materiam eſſe aquam. Tertiò affirmarunt aliqui cauſam materialem rerum omnium conflari ex corpuſculis quibuſdam indiuiſibilibus, ſeu atomis. Empedocles quatuor aſſignabat materias, nempe quatuor elementa: quæ omnes opiniones ſunt deliramenta veterum.

Variæ opiniones circa materiã primam.

4 Materia igitur prima nihil aliud eſt, quám entitas quædam ſubſtantialis minutiſsima, & incompleta, quæ natura ſua ordinatur ad formam ſubſtantialem, tanquam ad id, per quod perficitur, & cum qua tanquam cum proprio actu componit totum phyſicum. Quia hoc cum ſit ens completum ſubſtantiale, non poteſt componi, niſi ex partibus ſubſtantialibus, quarum vna ſe habeat tanquam ſubiectum, ſeu potentia, altera tãquam forma, ſeu actus. Dupliciter autem definitur materia prima ab Ariſtotele. Prima definitio explicat quid non ſit materia, & ita habet. *Materia non eſt quid, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur*. quaſi dicat. Materia non eſt integra eſſentia compoſiti, neque il-

Vera ſententia.

Definitiones materiæ. Prima definitio.

lius

lius quantitas, aut forma ſubſtantialis, quæ dat eſſe determinatum naturali compoſito.

Secunda definitio.

5 Secunda definitio explicat aliqua ratione quid ſit materia in hunc modum. *Materia eſt primum cuiuſque ſubiectum, ex quo quidpiam eo ſit pacto, vt non per accidēs inſit.* Per illam particulam *Primum cuiuſque ſubiectum* reijcitur materia ſecunda, reijcitur etiam forma ſubſtantialis, quæ non eſt ſubiectum, ſed actus; verbum *Fit* intelligendum eſt ſub hac diſiunctione, vel fit, vel cōſtat, & prout ſignificat realē, & veram compoſitionem, vt ex parte ſubſtantiali realiter diſtincta à quauis alia, & ita excluduntur partes metaphyſicæ, & aliæ cauſæ, quæ non componunt intrinſecè totum phyſicū, nec ad illius eſſentiam ſpectant.

Materia ſit per creationem, & nō per generationem.

6 Vnde colliges materiam primam fuiſſe factam per creationē, neque poſſe fieri per generationē, quia cum ſit primum ſubiectum, non poteſt habere aliud ſubiectū, de cuius potentia educatur. Colliges ſecundò materiam primam habere propriam entitatē diſtinctam á forma ſubſtantiali, quia cū facta fuerit per actionem diſtinctam ab ea, per quam fit forma, neceſſariò debet habere propriā entitatem diſtinctam à forma ſubſtantiali, quæ per talem actionem producatur. Deinde quia totum phyſicum non eſt ſola forma, ſed conſtat etiam ex materia, vt ex parte realiter diſtincta à forma ſubſtantiali. Colliges tertiò materiam primam eſſe entitatem incorruptibilem, quia cum ſit primum ſubiectum, & commune omnium formarum, nec illas poſsit ſimul habere, quamuis vnam exuat, manet ſub alia, quæ de nouo aduenit, ita vt non poſsit deſinere per cauſas naturales; cum nullas habeat contrarias diſpoſitiones. Vnde etiam fit, vt vna numero materia ſucceſsiuè plures induat ſubſtantiales formas.

Habet diſtinctam entitatem à forma.

Eſt incorruptibilis.

Sub quibus formis fuerit creata materia.

7 Fuit autem materia prima à Deo creata ſtatim in ipſo mundi exordio. Sub qua autem forma ſubſtantiali primò fuerit creata materia ſublunaris, dubium eſt: in quo aliqui dicunt fuiſſe creatam ſine omni forma; alij cum forma corporeitatis. Probabilius tamen eſt fuiſſe creatam ſub varijs formis, & præſertim ſub formis elementorum, terræ, & aquæ, ex quarū materia poſtea per varias tranſmutationes, & generationes producta ſunt reliqua viuentia, & non viuentia, ita vt abeunte vna forma ſubſtantiali, aduenerit alia, & corrupto vno compoſito, generaretur aliud.

In quo ſenſu dicatur pura potētia.

8 Dicitur autem materia pura potentia per comparationem ad formam ſubſtantialem, quæ dicitur actus; cum enim materia ſit primum ſubiectum, non poteſt informare aliud ſubiectum, & ideo non poteſt eſſe actus, ſeu forma, & in hoc ſenſu vocari ſolet pura potentia receptiua, quia totum ſuum eſſe habet per ordinem ad formas recipiendas, quas appetit vt proprios actus, ſine quibus, vel ſaltem ſine aliquo eorum naturaliter eſſe non poteſt. A nobis cognoſcitur primò per conceptum improprium, & per ſimilitudinē ad materiam artefactorum, poſtea per

Quomodo à nobis cognoſcatur, & ab angelis.

con-

conceptum proprium;ab Angelis verò ſtatim cognoſcitur, vt in ſe eſt,cum ipſi habeant proprias rerum ſpecies, & illas cognoſcant vt in ſe ſunt.

Materia prima in cõmuni eſt quoddã genus.

9. Materia prima in communi probabilius eſt quoddam genus, habetque ſub ſe materiam primã cæleſtem, & ſublunarem, quæ inter ſe diſtinguuntur ſpecie; cum enim corpora cæleſtia ſint ab intrinſeco incorruptibilia, & ſublunaria ſint corruptibilia, ſignum eſt materiam cæleſtem, & ſublunarem eſſe diſtinctas ſpecie. Materia verò ſublunaris in omnibus compoſitis corruptibilibus eſt eiuſdem ſpeciei infimæ. Vtrùm verò materia cæleſtis etiam ſit ſpecies infima, vel potiùs genus ad varias materias cælorum, problematicè defendi poteſt.

Quid Deus poſsit circa nouas materias.

10. Deus poteſt condere materias in infinitũ perfectiores; vtrũ verò poſsit condere alias hac noſtra imperfectiores, non ita conſtat, ſed affirmatiua pars eſt probabilior, cum in hoc nulla appareat implicatio. Non tamen poterit creare materiam primam ſpiritualem. quia de eſſentia materiæ primæ eſt vt habeat partes ſubſtãtiales integrantes, & ideo materia prima de ſe eſt diuidua ſubſtantialiter, quanuis per contactum phyſicum non ſit diuiſibilis, niſi ratione quantitatis.

De forma phyſica ſubſtantiali.
CAP. II.

Probatur dari formas ſubſtantiales.

11. DAri formas ſubſtantiales, quæ intrinſecè componãt entia naturalia, non fuit ita priſcis philoſophis notum, nobis tamen ex eo innoteſcit primò, quia ſi nõ darentur tales formæ, iam res naturales eſſent ſola materia, & omnes eſſent entia incompleta. Secundò iam haberent eaſdem proprietates, & inclinationes. Tertiò non eſſent generabiles, & corruptibiles, ſicut ipſa materia, nec generatur, nec corrumpitur, ſed experimur in rebus ſublunaribus diuerſas proprietates, & diuerſas mutationes in eâdem materia; ergo etiam dantur diuerſæ formæ, ſubſtantiales, ex quibus oriuntur illæ proprietates, & ad quas terminantur generationes ſubſtantiales. Idem etiam probatur ex anima rationali, quæ eſt vera forma corporis, illudque ſubſtantialiter viuificat; ergo idem dicendum eſt de alijs formis præſertim viuentibus, & ſuo modo, de non viuentibus idem dici poteſt, proportione ſeruata

12. Definitur forma ſubſtantialis. *Subſtantia ſimplex, & incompleta, quæ vt actus materiæ cum eâdem cõſtituit eſſentiam ſubſtantiæ compoſitæ.* Aliter etiam definitur. *Actus ſimplex vnum quid cum materia conſtituens.* Vnde ſi quælibet forma cõparetur cum propria materia, quã informat, ſemper eſt materia nobilior. Imò etiam quælibet forma ſubſtantialis comparata cum qualibet materia, etiam cæleſti, videtur tali materia præſtantior, cum ſit actus, & materia ſit pura potentia.

Definitio formæ ſub. ſtantialis.

13 Diuiditur autem forma ſubſtantialis in communi in materialem, & ſpiritualem. Spiritua-

Diuiſio formæ.

lis recurrit cum rationali, & eſt ſpecies infima. Forma materialis diuiditur in varias ſpecies eodem modo, & eadem diuiſione, qua diuiditur corpus de prædicamẽto ſubſtantiæ. De his ergo omnibus eſt dubium vtrùm omnes educantur de potentia materiæ? Educi autem vnam formam de potentia materiæ, nihil aliud eſt, quàm pendere in ſuo fieri, & in ſuo conſeruari à materia, ita vt neque naturaliter fieri poſsit ſine materia, neque naturaliter ſine materia conſeruetur; quæ materia habeat naturalem capacitatem, vt in ſe recipiat talem formam ſubſtantialem, & cum illa componat vnum totum phyſicum.

Quid ſit educi formã de potentia materiæ.

14. Dicendum igitur eſt omnes formas materiales ſublunares educi de potentia materiæ, & fieri per generationem ſubſtantialem, ſaltem tanquam terminos formales, & immediatos. Ratio eſt, quia omnes iſtæ formæ pendent in fieri, & conſeruari à materia, & materia naturaliter inclinatur ad illas recipiendas. De formis cæleſtibus eſt dubium, an fuerint eductæ de potentia materiæ, vel potiùs fuerint concreatæ cum ipſa materia cæleſti? In qua quæſtione vtraque pars facilè defendi poteſt, ſed probabilius eſt cælos fuiſſe creatos, & ita materiam cuiuſcumque cæli non præſupponi ante formam, ſed cum ipſa forma fuiſſe ſimul productam per vnam impartibilem actionem.

Omnes formæ materiales educuntur de potentia materiæ.

Probabilius eſt formas cæleſtes fuiſſe cõcreatas.

15. De forma rationali tenendum eſt de facto, & naturaliter non educi de potentia materiæ quia neque in fieri, neque in conſeruari pendet ab illa, ſed cum ſit ens per ſe ſubſiſtens, etiam dum eſt vnita materiæ, non habet conditiones requiſitas, vt dicatur educi de potentia illius. Solùm ergo fit ex nihilo per veram, ac realem creationem diſtinctam ab ea, per quam facta eſt, & conſeruatur materia. Imò nec diuinitꝰ fieri poteſt, vt forma rationalis pendeat in ſuo fieri, & conſeruari à materia, quia ab intrinſeco eſt forma per ſe ſubſiſtens, & immortalis, nec deſinere poteſt per cauſas naturales poſtquã ſemel eſt producta; quod aliter fieret, ſi educeretur de poteſtate ipſius materiæ.

Forma rationalis nõ educitur, neque educi poteſt de poteſtate materiæ.

16. Quanuis dicamus formas cæleſtes fuiſſe eductas de potentia materiæ cæleſtis, non ideo poterunt educi de potentia materię ſublunaris, in ea opinione, quæ illã ſpeciẽ diſtinguit à cæleſti. Vnde ex materia cæleſti, & forma ſublunari non fiet vnum per ſe, neque è contra, quia materia cæleſtis non ordinatur ex ſua natura ad formas ſublunares Non repugnat tamen diuinitùs vnam, & eamdem numero materiam informari ſimul pluribus formis ſubſtantialibus eiuſdem ordinis, quanuis naturaliter id repugnet propter diuerſas diſpoſitiones, quas formæ diuerſæ exigunt in eadem numero materia. Similiter poterit Deus efficere, vt eadem forma ſubſtantialis ſimul informet plures materias numero diuerſas.

Formæ cæleſtes non poſſunt educi de poteſtate materiæ ſublunaris.

De mutua

De mutua cauſalitate materiæ, & formæ, & de ipſarum vnione.

CAP. III.

Cõditiones requiſitæ vt forma informet materiam.

17. AD hoc vt materia informetur, & vt forma informet, aliquæ requiruntur conditiones. Primò enim opus eſt vt materia exiſtat, ſi verò non extiterit, non poterit etiam diuinitùs componere totum phyſicum actuale. Et eodem modo requiritur exiſtentia formæ ſubſtãtialis. Secundò neceſſaria eſt tam ex parte materiæ, quàm ex parte formæ, mutua propinquitas, & indiſtantia, quæ etiã diuinitùs ſuppleri non poteſt. Tertiò requiritur ex parte materiæ diſpoſitio accommodata formæ vniendæ, nimirũ tales, vel tales qualitates in tali, vel tali gradu; ad quã diſpoſitionem ſpectat etiam tanta, vel tanta quantitas. Quæ diſpoſitiones ſolùm phyſicè requirũtur; nam de potẽtia Dei abſoluta poterit vniri forma ſubſtantialis materiæ exiſtenti, & indiſtanti, quãuis non ſit ita diſpoſita.

Præterea requiritur vnio ſubſtantialis.

18. Præter has, & ſimiles alias cõditiones, dubiũ eſt vtrũ ſit neceſſaria aliqua vnio inter materiã, & formã ſubſtantialẽ? Cõmunis reſolutio eſt affirmatiua. Fundamentum eſt, quia non poteſt fieri vnũ compoſitũ per ſe ex partibus realibus, & realiter diſtinctis, niſi tales partes inter ſe vniantur per vnionẽ aliquã intermediam: ſed totũ phyſicũ eſt quoddã compoſitum per ſe ex materia, & forma, quæ realiter diſtinguuntur; ergo inter materiã, & formã danda eſt vnio, per quã formaliter vniãtur. Hæc autẽ vnio, cũ ſpectet ad eſſentiam cõpoſiti ſubſtantialis, debet eſſe modus quidam ſubſtantialis, & abſolutus, & nõ accidẽtalis, neque relatiuus, vt vult Scotꝰ. Iſte autẽ modus effectiuè producitur à generante, vel creãte, & ideo eſt poſterior naturà, quàm actio generatiua, vel creatiua, & prior, quàm relatio vniti, cum ſit fundamentum ipſius relationis.

Vtrum hæc vnio ſit vnus tantùm modus, an duplex.

19. Dubium tamẽ eſt, an iſta vnio compoſiti phyſici ſit vnus tantùm ſimplex modus, an duplex, quorum vnus ſe teneat ex parte formæ, alter ex parte materiæ? Hoc poſtremũ affirmant Veteres Philoſophi. Primum Recentiores, & probabilius. Ratio eſt, quia de ratione vnionis eſt vt vniat duo extrema; ergo vna ſimplex vnio ſatis erit ad vniendas materiam, & formam, & ideo non eſt cur entitates multiplicentur abſque neceſſitate. Cum autem iſta vnio ſit modus quidam ſimplex, debet cum aliqua ex iſtis partibus vnitis identificari; & ideo dubium ſecũdò eſt vtrùm cum materia, an cum forma identificetur? Reſpondeò identificari cum ea parte, quæ magis dependet, quia cum ſit etiam dependentia vnius partis ab alia, debet conſtitui ex parte illius, quæ magis pendet. Qua propter in compoſitis omnino materialibus identificatur cum forma materiali. In compoſito autem humano identificatur cum

Cũ qua ex partibus idẽtificetur.

materia, & eſt modus quidã materialis, qui per materialem potentiam producitur, & ſe habet ex parte materiæ, quæ magis pendet á forma rationali, quàm forma rationalis pendeat ab ipſa materia.

Per quod principium cauſent materia, & forma.

20. Quod attinet ad cauſalitatem materiæ, & formæ, certum eſt principium immediatum, per quod tam materia, quàm forma cauſat totum phyſicum, non eſſe aliquam potentiam diſtinctam ab entitatibus earum: nam vnaquæque in ſuo genere cauſat totum cõferendo ſe ipſam, quod multò aliter accidit in cauſa efficiente, quæ ferè ſemper cauſat ſuos effectus, mediante aliquo principio diſtincto ab entitate cauſæ principalis; verbi gratia, homo intelligit mediãte intellectu, & vult, mediante voluntate.

Vnio eſt cauſalitas materiæ, & formæ.

21. Præter entitatem igitur materiæ, & formæ, & præter conditiones aſsignatas, requiritur vnio intermedia, ad hoc vt materia, & forma cauſent ſuos effectus; quæ vnio eſt cauſalitas vtriuſque; & quatenus per illam materia recipit formam, & componit totum, dicitur cauſalitas materiæ, quatenus verò per eamdem vnionem forma informat materiam, dicitur eadem vnio, & eſt cauſalitas formæ reſpectu totius, quod eſt præcipuus, ac principalis effectus vtriuſque;, in diuerſo genere cauſæ. Fundamentum eſt, quia illud eſt cauſalitas alicuius cauſæ, mediante quo ipſa cauſat ſuũ effectum: ſed tam forma, quàm materia cauſant totũ, mediante vnione, nec apparet aliud intermediũ; ergo vnio eſt cauſalitas vtriuſque.

Præcipuus effectus cauſæ materialis eſt totum.

22. Præcipuus, ac principalis effectus cauſæ materialis ſubſtantialis, eſt totum phyſicum: quia hoc totum eſt, quod fit ex materia tanquam ex primo ſubiecto. Dubium tamen eſt vtrũm materia etiã habeat pro ſuo effectu magis proximo, & immediato formã ſubſtantialem? Negant aliqui, ſed probabilius eſt materiam etiam habere pro ſuo effectu immediato formam ſubſtantialem materialem, quia talis forma educitur de potentia materiæ, & pendet ab illa tanquam à primo ſubiecto; quia tamen materia nõ ſiſtit in forma, ſed recipiendo illam, cauſat totũ, ideo aliqui dicunt formam materialem eſſe effectum cauſæ materialis veluti in via ad principalem, & totalem. Si verò forma dicatur proprius effectus materię, ſolùm erit effectus ſubordinatus effectui principali, & ideo non egebit alia cauſalitate diſtincta à cauſalitate, per quam cauſatur totum.

Effectus minus principalis eſt forma materialis.

Totũ etiam eſt præcipuus effectus formæ.

23. De materia eſt maius dubium. Vtrùm ſit etiam proprius effectus formæ, & in ſua exiſtentia pendeat actualiter à forma vt à cauſa formali; nam de toto cõpoſito nõ eſt dubiũ quod ſit præcipuus, ac principalis effectus formæ ſubſtantialis in genere cauſæ formalis internæ. De materia igitur cẽſent aliqui probabiliter pẽdere à forma in genere cauſæ formalis. Probabilius tamẽ eſt ſolùm pẽdere ab illa, vt à cõditione phyſicè neceſſaria ad hoc vt exiſtat. Quod pẽdeat aliquo modo à forma, probatur: quia nõ poteſt exiſtere natura-

Materia quomodo pendeat à forma in ſua exiſtentia.

re naturaliter ſine aliqua; cum enim ſit ens incompletum, & minutiſsimæ entitatis, ideo ſine forma naturaliter non exiſtit. Quòd verò non pendeat ab illa vt à cauſa formali, patet, quia non pendet vt à cauſa interna formali, cum forma non ſit de intrinſeca ratione materiæ. Deinde quanuis in ſua eſſentia pendeat à forma vt à termino tranſcendente, tamen æqualiter illam reſpicit, ſiue exiſtat, ſiue non exiſtat; ergo quoad exiſtentiam non pendet vllo modo à forma in genere cauſæ formalis, ſed tantùm vt á conditione.

Poteſt materia diuinitùs exiſtere ſine omni forma.

24. Atque hinc colliges ſaltem diuinitùs poſſe materiam exiſtere ſine omni forma ſubſtantiali, cum in ſua exiſtentia ſolùm pendeat ab illa vt à conditione tantũ phyſica, & non logica.

De toto phyſico.

CAP. IIII.

De nominibus totius Phyſici & illius diſtinctione à partibus.

25. Ex dictis conſtat totum phyſicum eſſe effectum præcipuũ cauſæ materialis, & formalis internæ. Appellatur verò aliter ſubſtantia materialis completa, & eſt vnum per ſe cõpletum, & perfectum in genere ſubſtantiæ, de quo quæri ſolet, an realiter diſtinguatur à ſuis partibus ſimul ſumptis, nam quòd diſtinguatur à partibus ſigillatim ſumptis, non eſt dubium; ſi enim totum comparetur cum ſola materia, includit formam, quæ realiter diſtinguitur à materia, & ideo etiam totum à materia realiter differt. Si ergo compararetur cum partibus vnitis, non defuere olim, qui illud ita ſumptum realiter diſtinguerent. Modò tamen probabilius eſt diſtingui tantùm virtualiter, cum ibi non appareat tertia quædam eſſentia, quæ dicatur totum, ſed ipſæ partes inter ſe vnitæ ſint à parte rei ipſum totum.

Forma non eſt totum, eſt tamen præcipua pars totius.

26. Ita componitur ex materia, & forma, vt quanuis forma ſit præſtantior, & præcipua pars totius phyſici, tamen non eſt tota eſſentia illius, ſed integratur ex forma, & ex materia vt ex partibus ſibi eſſentialibus, & intrinſecis; quidquid in contrarium opinetur Auerroes lib. 7. Metaphyſicæ, commento 21. & 34. Et ratio eſt, quia totum phyſicum eſt ens completum, ſed ſola forma non eſt ens completum; ergo includit eſſentialiter tam materiam, quàm formam. Cum tamen partes materiæ in toto cõpoſito phyſico corruptibili ſępius varientur, & per vim natiui caloris aliæ accreſcant, aliæ deperdantur, dubium eſt quomodo hæc numero materia ſpectet ad eſſentiam huius numero compoſiti phyſici.

Quomodo hæc numero materia ſit de eſſentia huius numero compoſiti.

27. Conueniunt communiter philoſophi de eſſentia cuiuſcũque compoſiti phyſici in indiuiduo, eſſe aliquam materiam primam in indiuiduo. Nam ſi de eſſentia huius indiuidui non eſt ſola forma, debet eſſe etiam materia: ſed de eſſentia huius non poteſt eſſe materia in communi; ergo eſt aliqua indiuidua, & ſingu-

Duplex acceptio totius.

laris. Deinde aduertendum eſt totum phyſicum, vel poſſe ſumi vt totum quoddam eſſentiale, vel vt totum integrale. Si ſumatur vt totum eſſentiale, non requirit certam, & determinatam materiam in indiuiduo, ſed ſatis eſt quod habeat eādem formam, & aliquam ſingularem materiā, quæ de facto, & à parte rei ſemper erit determinata. Et ratio eſt, quia eſſentiæ rerum ſunt inuariabiles: ſed hæc ſingularis materia multoties variatur per accretionem, & diminutionem partium; ergo hæc determinata non poteſt eſſe de eſſentia totius phyſici, vt totum eſſentiale eſt; ſed hæc, vel alia ſingularis, ſicut de eſſentia huius ſuppoſiti non eſt hæc numero ſubſiſtentia determinata in indiuiduo.

Ratio.

28. Si autem totum phyſicum ſumatur, vt quoddam integrale, tunc de illius eſſentia eſt hæc numero materia determinata, & in rigore loquendo, toties variabitur in genere integrantis, quoties pars aliqua materiæ minuetur, vel augebitur; moraliter tamen loquendo cenſebitur idem, ſaltem continuatione, quia manet eadē materia continuatiuè.

29. Vnde concedimus aliquā materiam ſingularē eſſe de eſſentia huius compoſiti phyſici in indiuiduo, hanc verò materiam, aut illam numero, quoad partes integrantes, ex quibus conſtat, non eſſe de eſſentia huius compoſiti, quatenus eſſentiale quoddam eſt, ſed quatenus integrale. Et quatenus quoddam eſſentiale eſt, conſtat ex hac numero forma, & ex materia indiuidua, & vna numero in genere materiæ, hæc autem, vel illa in genere integrantis per accidens eſt ad totum phyſicum eſſentiale. Vnde licet totum integrale ſingulis momentis varietur ad variationem partium, tamen totum eſſentiale nō variatur, quia manet aliqua materia ſingularis, quæ ſit de eſſentia illius. Quapropter Socrates ſenex, & Socrates puer eſt idem numero indiuiduū, & illius eſſentia non variatur in genere totius phyſici, quamuis in genere totius integralis varietur: nam habere tot, vel tot partes integrantes, per accidens eſt ad rationem totius phyſici.

Aliqua materia ſingularis eſt de eſſentia cōpoſiti.

Ex quo cōſtet compoſitum eſſentiale.

30. Hinc colliges quomodo Chriſtus in Cruce moriens fuerit idem Filius Virginis, qui iacuit in præſepio. Primò, quia eſt probabilius illas partes materiæ, quas Verbum aſſumpſit ex Virgine, nūquam in toto vitæ decurſu fuiſſe deperditas. Secundò, quia eſſentia illius compoſiti phyſici non pendebat eſſentialiter á tot, vel tot partibus materiæ. Colliges ſecundò, in quo ſenſu dicant Theologi in reſurrectione, futura eadem indiuidua hominum, quæ priùs extiterunt, cum tamen in pluribus partes materiæ ſint addendæ, vel minuendæ. Reſurgent enim eadem indiuidua quoad eſſentiam phyſicam, non tamen reſurgent eadem integralia, loquēdo in rigore philoſophico, ſemper tamen reſurgent cum aliquibus partibus materiæ illius, quam in vita habuerunt; ſiue opus ſit nouas partes addere, ſiue non, aut aliquas minuere; & in hoc ſenſu

Quomodo Chriſtus in cruce fuerit idem, qui in præſepio.

Corollaria aliqua.

In quo ſenſu reſurgēt eadē hominum indiuidua.

poſſunt

poſſunt dici reſurgere etiam eadem integralia.

31. Petes vtrùm compoſitum corruptibile ſecundùm ſe totum poſsit creari, vel incorruptibile generari? Reſpondetur ad vtrumque probabiliùs affirmando. Et quidem de primo patet, quia terra, & aqua ſunt compoſita quædam corruptibilia, & in prima orbis molitione fuere per creationem producta, vt eſt probabilior opinio. Deinde, quia in hoc nulla apparet repugnantia, aut implicatio, ſicut neque etiam in eo quod compoſitum ſuapte natura creabile, & incorruptibile, qualia ſunt corpora cæleſtia, producatur per generationem. Angelus verò non poterit generari, nec per generationem produci, imò neque anima rationalis, quia hoc repugnat vtriusque eſſentiæ.

Vtrùm cõpoſitũ corruptibile poſsit creari, aut incorruptibile generari?

Neque Angelus, neque anima rationalis poteſt generari.

DE CAVSA MATERIALI, AC FORMALI accidentali, & de illarum effectibus.

QVÆSTIO IIII.

De materiali cauſa accidentium.

CAP. I.

Conſtituto ex ſuis partib⁹ toto phyſico, reſtat agendum de alijs perfectionibus accidentalibus, quæ illi adueniunt, & dicuntur accidentia, quia accidunt toti iam perfecto, & poſito in ſuo eſſe ſubſtantiali. Videndum igitur eſt, an hoc totum ſit cauſa materialis accidentium, quæ illa ſuſtentet. Dari autem aliquam cauſam materialem accidentium, conſtat experimento; videmus enim idem ſubiectum mutari de calido in frigidum, de albo in nigrum, &c. quæ transmutationes non poſſunt fieri ſine aliquo ſubiecto. Deinde quia accidens eſt tale ens, vt non poſsit ſine ſubiecto conſiſtere, cum non ſit ens per ſe ſubſiſtens, ſed exiſtens in alio.

Datur cauſa materialis accidentium.

2. Aduertendũ tamen eſt, quòd ſicut materia prima non eſt de eſſentia formæ ſubſtantialis corporeæ, quanuis ſit illius cauſa materialis, ita etiam ſubiectum nõ eſſe de eſſentia formæ accidentalis, quanuis ſit illius cauſa materialis, eſt tamen de eſſentia totius compoſiti accidentalis, ſicut materia prima eſt de eſſentia totius phyſici; nam in compoſito accidentali eodem modo nobis eſt philoſophandum, proportione ſeruata, quo philoſophati ſumus in compoſito ſubſtantiali, & ideo effectus præcipuus cauſæ materialis accidentalis eſt totum accidentale, principium verò cauſandi cauſæ materialis eſt ipſa entitas ſubiecti; cauſalitas eſt vnio, per quam accidens vnitur ſubiecto,

Subiectum non eſt de eſſentia accidentis; eſt tamen de eſſentia totius accidẽtalis.

Quis ſit effectus præcipuus, principium & cauſalitas cauſæ materialis accidentium.

& per quam totum accidentale redditur vnum maiori vnitate, quàm ſit illa, quæ datur in aceruo lapidum, & minori, quàm illa, quæ datur in toto phyſico.

Duo corollaria ex dictis.

3. Vnde colliges accidentia pẽdere à ſubiecto, non ſolùm quoad exiſtẽtiam, & actualem vnionem, ſed etiam quoad ſuam entitatem. Colliges ſecundò ſubſtantiam eſſe quaſi primum fundamentum, & primam radicem, quæ cauſat materialiter accidentia abſque additione alterius rei, quę ſit principium recipiendi accidentia; nã vel hoc principium eſſet ſubſtantia, vel accidens; ſi ſubſtantia, iam ſubſtantia cauſat materialiter immediatè accidens; ſi accidens iam non hærebit immediatè in ſubſtantia; ergo &c. Hoc tamen nõ tollit quominus ſubſtantia habeat modum quemdam vnionis actualis, qui ſit ipſius cauſalitas.

Vtrùm ſubſtantia recipiat omnia accidẽtia immediatè?

4. Dubium verò eſt vtrùm ſubſtantia recipiat immediatè in ſe ipſa omnia accidentia, vel vtrùm recipiat immediatè vnum, & reliqua mediante illo? Ad ſolutionẽ dubij notandum eſt inter ſubſtãtias, quaſdam eſſe corporeas, & materiales, alias incorporeas, & ſpirituales. Deinde inter accidentia, quædam ſunt contingentia, quædam neceſſaria, vt proprietates. Quando ergo ſubſtantia eſt ſpiritualis, illa accidẽtia, quę ſunt proprietates talis ſubſtantiæ, recipiuntur immediatè in ſubſtantia abſque vllo alio accidente intermedio. Ita patet in intellectu, voluntate, & potentia motiua Angelorum, & animæ rationalis. Similiter præſentia localis, & motus localis Angelorum, & animæ in ipſis ſubſtantijs immediatè recipiuntur, cum potentia motiua non operetur immanenter, ſed tranſeunter. Iſtæ tamen ſpirituales ſubſtantiæ mediante ſua volũtate, & intellectu, poſſunt recipere alia accidentia, quæ ſint actus, vel habitus ipſarum; nam intellectus, & voluntas Angelica recipiunt in ſe immediatè ſuos actus, quia ſunt potentiæ immanenter operantes.

Quantitas in ſubſtantijs materialibus inhæret immediatè in ſubſtantia materiali.

5. Quod attinet ad ſubſtantias materiales, & corporeas, & ad accidentia ſimiliter corporea. Dicendum primò eſt quantitatem inhærere immediatè in ſubſtantia materiali, reliqua verò accidẽtia recipi immediatè in quantitate, vt in ſubiecto *Quo*, & mediãte quantitate in ſubſtantia, vt in ſubiecto *Quod*, & principali.

Ratio.

Et ratio eſt, quia quantitas extendit ſubſtantiam, & illam reddit aptã, vt recipiat alia accidentia corporea, & eorum effectus: ſed quantitas non poteſt recipi in ſubſtantia mediante alio accidente, quia daretur progreſſus in infinitum; ergo recipitur immediatè; reliqua autem corporea accidentia recipiuntur extenſè: ſed non habent extenſionem, niſi ratione quantitatis; ergo recipiuntur immediatè in quantitate, & mediante illa, in ſubſtantia. Hoc tamen nõ tollit quominus aliqua accidentia tantùm modaliter diſtincta à ſubſtantia materiali poſſint in ipſa recipi immediatè, vt patet in præſentia locali, quam habet ſubſtantia diſtinctã à præſentia quãtitatis, iuxta probabiliorem opi-

nionem

nionem, & in aliquibus relationibus, & alijs modis, qui cum ſubſtantia realiter identificantur. Nõ etiam repugnat ſubſtantiam materialem ſaltem diuinitùs recipere in ſe immediatè quodcumque accidens corporeum, ſine interuentu quãtitatis, quanuis tale accidens ibi non poſsit efficere totum ſuum effectum formalem, quia ſubiectum non eſt omnino proportionatum.

Vtrùm quãtitas inhæreat immediatè in forma, an in materia?

6. Cum autem in compoſito phyſico dentur duæ partes ſubſtantiales, nimirum materia, & forma, & cum quantitas non poſſit immediatè inhærere in vtraque, dubium eſt in quanam ex prædictis partibus immediatè recipiatur quantitas, id eſt: vtrùm recipiatur in ſola materia, an in forma, vel in vtraque, aut etiam in toto? Quidam aſſerunt non recipi immediatè neque in materia, neque in forma, ſed in toto. Alij dicunt æquè immediatè inhærere materiæ, & æquè immediatè inhærere formæ. Sed neutra opinio placet. Prima, quia totum nõ eſt entitas diſtincta à partibus. Secunda, quia vnum accidens numero non poteſt habere duo ſubiecta immediata realiter diſtincta, vt ſunt materia, & forma. Ideo dicendum ſecundò eſt quantitatem immediatè vniri, & inhærere in materia, quam ſequitur, & cuius eſt proprietas. Fundamentũ eſt, quia in compoſito humano non poteſt quantitas immediatè vniri formæ ſubſtantiali, quæ eſt ſpiritualis, & non recipit immediatè accidentia corporea: ergo ſimiliter in alijs compoſitis omnino materialibus quantitas non vnitur immediatè formæ, ſed materiæ, quæ habet entitatem ſufficientem, vt immediatè vniat ſibi quantitatem vt ſuam proprietatem.

Prima ſententia. Secũda ſententia. Refutatur prima. Refutatur ſecunda. Vera ſententia. Ratio illius.

Quomodo materia egeat forma, vt in ſe immediatè recipiat quãtitatem.

7. Petet tamen aliquis, vtrùm materia prima ad hoc vt immediatè recipiat quantitatem, egeat forma? Reſpondetur primò non egere forma vt concauſa materiali, ſed egere illa vt conditione, quia vt cauſet materialiter, & immediatè quantitatem, neceſſe eſt vt exiſtat: ſed ad hoc vt exiſtat, requirit formam ſubſtantialem vt conditionem; ergo eodẽ modo illam exigit, vt cauſet immediatè quantitatem. Quia tamen quantitas eſt diſpoſitio ad formam recipiendam tenens ſe ex parte materiæ, ideo quatenus talis, eſt prior forma ſubſtantiali, ad quam diſponit, & poſterior illa, quatenus materia, & conſequenter ipſa quantitas pendet à forma vt à conditione, ſine qua nec materia exiſtet, nec recipiet immediatè quantitatem. Vnde in diuerſo genere eſt prior quantitas, & poſterior, quám forma ſubſtantialis, vt etiam accidit in materia prima.

Quæ ſit cauſalitas cauſæ materialis.

8. Quod attinet ad cauſalitatẽ cauſæ materialis accidentalis, eodẽ modo nobis eſt philoſophandum in compoſitis accidentalibus, quo in ſubſtantialibus, ſicut enim materia prima habet pro cauſalitate vnionem, ita cauſa materialis accidentium habet pro cauſalitate illam vnionem, per quam accidens vnitur ſubiecto, & quæ aliter vocatur actualis inhærentia, & quæ identificatur cũ

forma

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

forma accidentali, quæ eſt res magis dependens, & iſta vnio eſt actualis dependentia, per quam accidens pendet actu aliter à ſubiecto, & per illam tanquam per cauſalitatem cauſatur totum compoſitum accidentale, vt effectus præcipuus, forma verò accidentalis cauſatur, vt effectus minùs præcipuus, & ſubordinatus principali.

Quæ ſit vnio cauſæ materialis.

9. Dubium tamen eſt, vtrùm ea accidentia, quæ immediatè vniuntur alicui alteri accidēti, tanquā ſubiecto, *Quo*, & illo mediante, vniuntur ſubſtantiæ tanquam ſubiecto principali habeant duplicem vnionem, vnam ad quantitatem verbi gratia, alteram ad ſubſtantiam? Reſpondetur ibi vnam tantùm dari vnionem, ſupponi tamen naturaliter loquendo alteram, per quam ipſum ſubiectum *Quo*. verbi gratia, quantitas vniatur ſubſtantiæ, & ratione cuius ſubſtantia dicatur cauſare immediatè quantitatem verbi gratia, mediatè verò ea accidentia, quæ habent immediatam vnionem ad quantitatem, vel ad aliud ſubiectum *Quo*, Et ratio eſt quia vnum accidens vni tantùm ſubiecto immediatè vnitur, & non pluribus; ergo vnam tantùm habet vnionem. Secundò probatur quia in ſacra Euchariſtia ſola quāritas amittit vnionem, quam habebat immediatè ad ſubſtantiam, reliqua autem accidentia corporea, quæ vniebantur immediatè quantitati, nullam vnionem deperdunt, ſed manent cum ea, quā habebant ad quantitatem; ergo quando ibi aderat ſubſtantia, non habebant aliam.

Dubium. Vtrum in aliquibus accidentibus detur duplex vnio?

Reſponſio.

Fundamēt.

10. Ex dictis colligitur primò quācumque ſubſtantiam creatam poſſe immediatè recipere in ſe, & cauſare, vt cauſam materialem aliqua accidentia ſibi proportionata. Colligitur ſecundò etiā vnū accidens poſſe immediatè in ſe recipere aliud accidēs, & illud cauſare ſaltem vt ſubiectum *Quo*, & minus principale: qua ratione quantitas cauſat reliqua accidentia corporea, & intellectus cauſat ſuos actus, & habitus: ſemper tamen totum ſubſtantiale dicitur ſubiectū *Quod*, & principale. Quātitas tamen Euchariſtiæ poteſt appellari etiam ſubiectum *Quod* ſaltem negatiuè, reſpectu eorum accidentium, quę in illa immediatè ſubiectantur; hoc tamen non habet naturaliter, & ex propria eſſentia, ſed diuinitùs.

Quædam corollaria ex dictis.

11. Petes vtrùm Deus per ſe ipſum concurrat immediatè cum cauſis materialibus, & formalibus internis in eodem genere cauſæ, ſicut concurrit cum efficientibus, vel vtrùm ſe ſolo poſſit ſupplere cauſalitatem materialis cauſæ in eodem genere? Reſpōdetur ad vtrūque probabilius negatiuè. Primò, quia cauſa materialis eſt de eſſentia compoſiti, quod componit, ſiue ſit totū per ſe, ſiue totū per accidens. Secundò, quia non intelligitur cauſalitas cauſæ materialis ſine vnione: ſed Deus nō poteſt ſpectare ad eſſentiam compoſiti phyſici, vel accidentalis, neque poteſt vnire ſibi tanquā ſubiecto aliquam formam ſubſtantialem, vel accidentalem; ergo non poteſt exercere cauſalitatem cauſæ materialis, neque illā ſup-

Deus non cōcurrit in genere cauſæ materialis, nec formalis internæ.

plere

plere in eodem genere.

Accidẽs corporeum poteſt poni in ſubiecto ſpirituali Et è contra.

12. Rogabis ſecundò vtrùm De' poſsit ponere accidens corporeũ in ſubiecto ſpirituali, & accidens ſpirituale in ſubiecto corporeo? Reſpondetur affirmatiuè, cum in hoc nulla appareat implicatio Deinde, quia Deus conſeruat accidens extra omne ſubiectum; ergo etiam illud poterit conſeruare in ſubiecto alieno. Tertiò, quia nõ implicat rem ſpiritualem vniri alteri corporeæ, aut è contra, vt patet in materia prima, & in anima rationali quæ mutuò vniuntur. Si tamen accidens ſpirituale ponatur in ſubiecto diuiſibili corporeo erit ibi indiuiſibiliter, & totum in toto, ac totum in qualibet parte ſubiecti, quia cum ſit ſpirituale, nõ habet partes, & ideo non poteſt eſſe diuiſibiliter. Pari ratione accidens corporeum in ſubiecto ſpirituali erit modo indiuiſibili, quia ſubiectum non habet partes, quibus reſpondeat accidens corporeum. Accidentia tamen modaliter tantùm diſtincta, neque etiã diuinitùs poterunt mutari de ſubiecto in ſubiectum, neque ad alienum ſubiectum transferri. Nam illa, quæ ſunt idem realiter, non poſſunt ad inuicem ſeparari ita vt ambo maneant. Secundò, quia ſi idem modus poteſt fieri idem cũ duobus ſubiectis, iam iſta duo ſubiecta eſſent idem realiter inter ſe, quia eſſent idem in vno tertio nẽpe in vno, & eodem modo: quod non eſt dicendum.

De modo exiſtendi accidẽtium in alieno ſubiecto.

Modi non poſſunt mutari ad alienum ſubiectum.

Quomodo vnum, & idem ſubiectum poſsit cauſare plura accidentia.

13. Rogabis tertiò. Vtrùm vnum, & idem ſubiectum poſsit ſimul recipere, & cauſare plura accidentia? Vt reſpondeam aduerto, accidentia vel eſſe diſparara; vt quantitas, & albedo: vel eſſe contraria; vt frigus, & calor: quædam non contraria, vt lux, & calor: quædam ſolo numero diuerſa; vt duæ albedines, duæ relationes, &c. Dico ergo primò Quando accidentia ſunt diſparata, poſſunt eſſe ſimul etiam naturaliter in eodem ſubiecto, vt eſt in eàdem ſubſtantia quãtitas, & albedo. Dico ſecũdò. Quãdo accidentia ſunt eiuſdem prædicamenti, ſed diuerſarum ſpecierum, non tamen interſe contraria, poſſunt eſſe naturaliter in eodem ſubiecto: ita lux, & albedo ſunt in lapide; intellectus, & voluntas in eadem anima. 1. Concluſ. 2. Concluſ.

14. Dico tertiò. Quando accidẽtia ſunt eiuſdem ſpeciei, & habent diuerſa munia in ſubiecto, poſſunt eſſe plura ſolo numero diuerſa in eodẽ ſubiecto, verbi gratia, in eodem patre plures relationes paternitatis ad plures filios: plures ſpecies impreſſæ in eodem aère, vel in eodem oculo. Dico quartò. Quando accidẽtia ſunt eiuſdem ſpeciei, & non habent diuerſa munia in ſubiecto, non poſſunt dari naturaliter plura in eodem ſubiecto, verbi gratia plures albedines, plures luces, & ſimilia. Poterunt tamen dari diuinitùs. Prima pars oſtenditur, quia vnum ex illis accidẽtibus eſſet ſuperfluum, quod natura abhorret maximè, & ideo non datur capacitas naturalis in ſubiecto ad illa plura accidentia. Quòd autem iſta accidentia diuinitùs poſsint dari in eodem ſubiecto, probatur; quia Deus poteſt ampliare capacitatem ſubiecti, vt recipiat illa accidentia, ſicut po- 3. Concluſ. 4. Concluſ. Confirmatur concluſio.

teſt ampliare capacitatem ſubiecti, vt ſuſtentet plura accidenria contraria; ergo &cæt.

5. Concluſ. Quæ contraria poſſint eſſe ſimul.

15. Dico quinto. Accidentia contraria, quæ non ſunt actus vitales, poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto, ſaltem diuinitùs, etiã in gradibus intẽſis, vt tenent omnes cõmuniter. Ratio eſt, quia non minùs repugnat eamdem materiam primam informari ſimul pluribus formis ſubſtantialibus diuerſis, quám idem ſubiectum ſuſtentare contraria accidẽtia: ſed illud primum poteſt fieri à Deo; ergo & hoc ſecundum. Deinde poteſt D' ponere in eodem loco duo corpora; ergo etiam duo contraria in eodem ſubiecto, cum in hoc nulla appareat implicatio. Actus ramen propriè contrarij, & vitales neque etiam diuinitùs poſſunt ſimul cõſiſtere in eodem ſubiecto, quia inuoluunt conditiones omninò repugnantes in eodem obiecto: verbi gratia, actus ſcientiæ & actus erroris circa idem obiectum nõ poterunt dari in eodem intellectu, quia vnus affirmat obiectum ita eſſe, & non poſſe aliter ſe habere, alter affirmat obiectum non ita eſſe.

Actus vitales contrarij non poſſint eſſe ſimul in eadẽ potentia.

16. Eſt autem difficile ad explicandum quomodo amplietur capacitas alicuius ſubiecti, vt recipiat ea accidentia, quæ naturaliter non reciperet, vel plura, quàm naturaliter poteſt. De hoc autem latiùs dicetur ad finem cauſæ efficientis. Nunc dicimus ad hoc vt ſubiecti capacitas amplietur, nihil ei reale addi, ſed per ſuam potentiam obedientialem receptiuam, quæ à parte rei non diſtinguitur ab entitate cuiuſcumque ſubiecti, eſſe capax vt recipiat ex diuina voluntate quidquid non implicat contradictionem, & quidquid Deus cũ cauſa ſecunda, vel ſe ſolo voluerit producere, & vnire in tali ſubiecto. Solùm ergo requiritur quòd Deus ſe ſolo, vel cum alia cauſa ſecunda modo extraordinario vniat eidem ſubiecto illa plura accidẽtia contraria, vel aliena, & conſeruet ipſam enritatem ſubiecti per eãdem actionem, per quam illud antea conſeruabat. Quando autem accidenria talia fuerint, vt agendo in ſubiectum, illud deſtruant, tunc opus erit, vel impedire actiuitatem accidentiũ, vel conſeruare per miraculum vnionem formæ cum materia: vt aliqui dicunt accidere in damnaris, qui ſimul patiuntur maximum frigus, & calorem maximum.

Capacitas ſubiectiquo modo amplietur.

De cauſa formali accidentali.

CAP. II.

17. CVm omnis forma accidentalis ſit accidens, videndum priùs eſt. In quo conſiſtat eſſentia accidentis. Accidens ergo ita appellatur ex eo quod accidat alteri rei iam conſtitutæ in ſuo eſſe ſubſtantiali, & actuali. Et in hac amplitudine poteſt definiri, ſeu potiùs deſcribi. *Accidens eſt forma aliquo modo afficiens, vel denominans ſubiectum*; ſeu. *Id, cuius dicitur eſſe accidens*. In qua deſcriptionẽ *Forma*, ponitur loco generis, reliquæ partes loco differẽtiæ, & per illas differt accidens á forma ſubſtantiali, Accidẽs late quid. Eius definitio.

&

Varia genera accidentium.

& ſimul indicantur varia genera accidentium. Nam inter accidẽtia prædicamentalia, quædã ſunt tantùm extrinſecùs denominantia, & hæc vocantur accidentia logica tantùm, vt ſunt omnes actiones quatenus comparantur cũ agente, & res illæ, quæ pertinent ad prędicamentum Habitus. Alia ſunt accidentia realia, & realiter diſtincta á ſubiectis, in quibus realiter inhærent, & hæc vocantur accidentia phyſica. Tertiò dantur accidentia modalia, ſeu modi quidam accidentales, qui modaliter tantùm diſtinguuntur à ſubiectis, quæ modificant, vt verbi gratia, præſentia localis.

Eſſentia accidentis logici tantũ, in quo conſiſtat.

18. Eſſentia ergo accidentis logici tantùm in communi conſiſtit in eſſentiali reſpectu ad ſubiectum denominationis: nam accidentia, quæ conſtituunt prædicamentum Habitus, cum in re ipſa ſint ſubſtantiæ, nõ poſſunt habere ſubiectũ inhęſionis. Similiter actiones, quatenus actiones nullũ habent reſpectum ad ſubiectũ, in quo naturaliter inhæreant: & tamẽ nõ poſſunt intelligi ſine ſubiecto denominationis; ergo in tranſcendentali reſpectu ad hoc ſubiectum conſiſtit eſſentia accidentis logici tantùm.

Eſſentia accidẽtis phyſici, & realis in quo cõſiſtat.

19. Eſſentia verò accidẽtis phyſici, & quod realiter inhæret ſubiecto, ſiue á ſubiecto realiter, ſiue tantùm modaliter diſtinguatur, cõſiſtit in aptitudinali inhærẽtia, ſeu in reſpectu tranſcendentali ad ſubiectum inhæſionis. Fundamẽtum eſt, quia accidens reale, prout diſtinguitur à ſubſtantia, eſt ens per attributionẽ ad ſubſtantiã, & dicit reſpectum tranſcendentem ad illam, vt ad ſubiectum: ſed reſpectus tranſcendens in quacũque re nõ diſtinguitur ab eſſentia ipſius rei; ergo eſſentia accidẽtis realis, & phyſici conſiſtit in prædicto reſpectu. Et hæc reſolutio etiã habet verũ in accidẽtibus modalibꝰ; nã Deus cognoſcit infinitos modos poſsibiles, qui nũquã exiſtẽt, neque actualiter cõiungentur cũ ſubiecto: & tamẽ cognoſcit illos vt vera entia modalia; ergo eſſentia horũ modorũ non poteſt cõſiſtere in actuali inhærẽtia ad ſubiectũ, & illius cõiunctione, vt aliqui volebant, ſed cõſiſtit in aptitudinali, quãuis non ſit negandũ iſtos modos non egere actuali inhærentia diſtincta à propria entitate, per quã actualiter vniantur ſubiecto modificato, vt eſt probabiliꝰ. Deinde nõ eſt negandũ iſtos modos accidẽtales nõ habere tã propriã inhęrentiã, ſicut accidẽtia realia, & quę realiter diſtinguũtur à ſubiectis: & ideo quãdo dicimus eſſentiã accidẽtis realis cõſiſtere in aptitudinali inhęrẽtia, nomine *Inhærentiæ* intelligimus quãcumque innitentiam ſiue actualiter fiat per vnionẽ diſtinctã ab accidẽte modaliter, ſiue per ipſammet entitatẽ accidentis modalis.

Ratio.

Modi accidentales quomodo comparentur ad inhærentiam.

Quid intelligatur nomine inhærentiæ.

20. Tertiò negandũ nõ eſt poſſe in quolibet accidẽte reali fũdari aliã denominationẽ per ordinẽ ad ſubiectũ denominationis tantùm. Ita in reali entitate actionis eductiuæ fundatur denominatio ad agens, & in omnibus actionibꝰ intellectꝰ denominatio ad obiectũ extrinſecũ. Hinc iã patet, quid ſit forma accidentalis, quæ recur-

Forma accidentalis recurrit cũ accidente.

rit,cum accidente, prout diſtinguitur à ſubſtantia,& ſolùm in eo differt, quòd accidens abſolutè dicit ens pendens à ſubiecto, ſeu ſubſtantia,& illud, quod aduenit ſubſtantiæ,iam conſtitutæ in ſuo eſſe; forma verò accidentalis dicitur quodcũque accidẽs intrinſecè ſpectans ad eſſentiã cõpoſiti accidentalis, quod cõponitur ex ſubiecto tamquã ex materia,& ex accidente intrinſeco tamquam ex forma; & ideo huiuſmodi accidentia dicuntur formæ per ſimilitudinem,&analogiam ad formas ſubſtantiales.

Quid dicat accidẽs abſolutè ſumptum.

Quid ſit forma accidentalis.

Vtrùm omnes formæ accidentales educantur de potentia ſubiecti?

CAP. III.

Varia genera formarũ accidentalium.

21. INter formas accidentales quædam ſunt realia accidẽtia, & realiter diſtincta à ſubiectis inhæſionis, aliæ tantùm modaliter. Addi poteſt tertium genus earum, quæ tantùm extrinſecè denominant; ſicut proximè diximus de accidẽtibus. Et de hoc tertio genere accidentium non eſt dubiũ quòd non educantur de potentia ſubiectorũ, quæ tantùm denominãt, cum ab illis verè non pendeant, in genere cauſæ materialis.

Accidentia tantùm logica non educuntur de potentia ſubiecti.

Formæ accidentales naturales educuntur.

22. De alijs formis accidentalibus primò certũ eſt, omnes formas accidentales naturalis ordinis educi de potentia ſubiecti, in quo inhærent; quia in his formis dantur omnes conditiones requiſitæ ad hoc vt forma dicatur educi de potentia ſubiecti,quia pendent in fieri, & conſeruari à ſubiecto,& ſubiectum habet naturalẽ capacitatẽ ad tales formas recipiẽdas,fiuntque per actionẽ totã diſtinctã ab ea,per quã fit ſubiectũ,cũ illud ſupponant iam cõſtitutũ in ſuo eſſe. Vnde colliges etiã ſpecies intẽtionales educi de poteſtate ſubiectorũ, cũ fiant per generationẽ,& nõ per creationẽ. Colliges ſecundò omnem modũ accidentalẽ, qui fit per propriam actionẽ in ſubiecto,educi de potẽtia illius,cũ ab illo pendeat in ſuo fieri,& cõſeruari, ita vt nec diuinitùs poſſit fieri,aut cõſeruari extra propriũ ſubiectũ,iſti tamẽ modi ſicut ſũt minutiſſimę entitatis, ita etiã minus propriè dicũtur educi; actiones verò ſicut impropriè ſiũt,quia ſũt veluti viæ ad effectus, ita etiã minus propriè educuntur.

Similiter ſpecies intẽtionales, & modi accidentales, quãuis minus propriè.

23. De formis ſupernaturalibus eſt magis dubiũ vtrũ educãtur de potentia ſubiectorum: Ratio dubij eſt, quia ſubiecta non habent naturalẽ capacitatẽ ad formas ſupernaturales, ſed tantũ obedientialẽ. Nihilominus dicendum eſt etiã iſtas formas,& modos ſupernaturales,quę producũtur in ſubiectis, & dependẽter ab illis:educi de potẽtia talium ſubiectorũ.Fũdamentũ eſt,quia tales formæ ſupernaturales nõ producuntur ex nihilo,aut per creationẽ, ſed per generationẽ, & ex præſuppoſito ſubiecto; quod quãuis nõ habeat potentiã naturalẽ ad tales formas, habet tamen potentiã,& inclinationẽ obedientialem. Illa autem

Formæ ſupernaturales etiã educuntur de poteſtate ſubiectorũ.

conditio,

cōditio, *Quòd ſubiectum habeat naturalem inclinationem ad formam*, ſolùm requiritur in formis ſubſtantialibus, quæ efficiunt vnum per ſe cum materia, non verò in formis accidentalibus, quæ efficiunt vnum per accidens. Similiter formæ naturales, quæ ſupernaturali modo fiunt in ſubiectis, vt eſt viſus diuinitꝰ reſtitutus homini cæco, etiā educuntur de potentia ſubiecti. Formæ etiā artificiales eodem modo quo fiunt in ſubiectis, eo modo, educuntur de potentia illorū, per quaſdā reſultātias terminatas ad tales formas; ad quā eductionē formarū artificialiū ſatis eſt potentia obedientialis naturalis, quam habet quodcumque ſubiectum, vt ex illo educatur talis, vel talis forma artificialis.

Forma artificialis ſuo etiam modo educitur.

24. Dubium tamen eſt. An formæ accidentales educantur de ſola potentia ſubſtantiæ, an etiam de potentia quantitatis, vel alterius cuiuſcumque ſubiecti, cui immediatè inhæreant? Reſpōdetur educi de potentia ſubſtantiæ tanquam ex ſubiecto principali, & vt *Quod*: de potentia autem ſubiecti immediati, vt ex ſubiecto *Quo* & immediato, ac minus principali; ſi tamen quantitas exiſtat extra ſubiectum diuinitùs, tūc accidētia corporea, quę fiēt in quātitate, dicentur educi de potentia illius vt ex ſubiecto *Quod*, & principali, ſaltem negatiuè.

Vtrùm formæ educātur de ſola potentia ſubſtantiæ, an etiam alicuius accidentis?

De effectu formæ accidentalis, & illius cauſalitate.

CAP. IIII.

25. PRimò certum eſt accidentia realia, & intrinſeca, & quæ habent propriam entitatem realiter diſtinctam á ſubiecto, exercere propriam, ac veram cauſalitatem formalem, & habere verum, ac proprium effectum formalem. Hoc probant Theologi, quando dicunt gratiā inhærentē eſſe formalem cauſam noſtræ iuſtificationis. Phyloſophi autem probant idē inſtitutū ex eo, quòd detur vera cauſa materialis accidētium; ſed omni cauſæ materiali reſpondet aliqua formalis, & omni potentiæ receptiuæ reſpondet aliquis actus informatiuus; ergo &c. Secūdò, quia Deus nō poteſt facere aliquos effectus formales ſine iſtis formis, v.g. non poteſt facere albū ſine albedine, ſicut nō poteſt facere compoſitum phyſicum ſine forma ſubſtantiali.

Accidentia realia habent verū effectum formalem.

26. Proprius igitur, ac principalis effectus harū formarum accidentalium eſt totum compoſitum accidentale. Sicut præcipuus effectus formæ ſubſtantialis eſt totum ſubſtantiale. Ratio eſt, quia illud eſt præcipuus effectus formæ, quod reſultat ex vnione formæ ad ſubiectum: ſed ex vnione formæ accidentalis ad ſubiectū, reſultat quoddam totum per accidens; ergo hoc totum eſt præcipuus effectus formę. Quāuis autem hoc compoſitū accidentale ſit effectus ſolius formæ accidentalis, in genere cauſæ formalis, nō conſurgit tamen ex ſola forma

Proprius effectus formæ accidētalis quis.

accidentali, ſed ſimul ex forma, & ex ſubiecto: ſi verò iſte effectus conſideretur præciſè vt cauſatur à forma, & vt eſt effectus veluti in fieri, ſolemus communiter dicere effectum formæ accidẽtalis eſſe reddere ſubiectum tale, verbi gratia, effectum formalem albedinis eſſe reddere ſubiectum albũ. In hoc tamen modo loquendi nõ explicatur principalis, & totalis effectus formæ accidentalis in facto eſſe, ſed explicatur ille effectus ſolùm prout eſt à forma, & quaſi in fieri, qui aliter ſolet appellari effectus formalis primarius.

Quomodo diſtinguatur effectus totalis, & effectus formalis.

27. Poſſumus igitur diſtinguere in quodlibet forma accidentali effectum formalem, & effectum totalẽ; effectus formalis eſt reddere tale, vel tale ſubiectum; quod adhuc poteſt diuidi, ſaltem in aliquibus formis, in primariũ, & ſecundariũ. Effectus totalis eſt, qui conſurgit ex forma, & ſubiecto inter ſe vnitis. Diſcrimen verò inter hos duos effectus eſt, quòd forma vnita ſubiecto ſemper efficit effectum ſuũ totalẽ, nempe vnum compoſitũ per accidens, nõ tamẽ ſemper efficit ſuũ effectũ formalẽ totum; quia ad hunc effectum præſtandũ, equirũtur aliquæ cõditiones ex parte ſubiecti, quæ aliquando nõ dantur. Ad præſtandũ verò effectũ totalẽ, ſolũ requiritur vnio inter formam accidentalem, & ſubiectum.

De effectibus modorum accidentalium.

28. De modis accidentalibus etiã dicendũ eſt habere veros effectus formales, & totales, qui nõ diſtinguuntur à toto accidentali, quod componitur ex ſubiecto, & modo. Nã figura cũ ſubiecto quãto conſtituit vnum per accidens, & ſic de alijs modis; ergo &c. Quod præſertim intelligendũ eſt de modis, qui nõ ſunt viæ ad alios modos. Accidẽtia verò, quæ tantũ extrinſecùs denominant, non habent veros effectus, neque exercent verã cauſalitatẽ formalem, quia nõ ſunt veræ formę ſubiectorum, quæ denominãt, neque illis vniũtur per propriã vnionẽ. Solũ ergo participãt denominationem cauſæ formalis per quamdã ſimilitudinẽ, & analogiã ad veras cauſas formales accidẽtales, quatenus ſcilicet ſe habent veluti actus ſubiectorum, quæ denominant.

Quid ſit cauſalitas formæ accidentalis.

29. Quod attinet ad cauſalitatẽ cauſæ formalis accidentalis, eodem modo nobis philoſophandũ eſt, quo ſupra philoſophati ſumus de cauſalitate formæ ſubſtantialis proportione ſeruata; ſicut enim ibi diximus formã ſubſtantialẽ nõ habere aliquod principiũ, ſeu potentiã diſtinctã à propria entitate, per quod cauſet totũ, ſed per ſuãmet entitatẽ conferendo ſeipſam illud cauſare; ita ſe res habet in forma accidentali, quæ cauſat totum per accidens cõferendo ſe ipſam, & coniungendo ſe ſubiecto, per intimam coniunctionem.

30. Hoc tamẽ nõ tollit quominus forma accidentalis realiter diſtincta à ſubiecto, habeat modũ quendam vnionis, per quem vniatur ſubiecto; qui aliter dicitur *Inhærentia actualis*, qui modus idẽtificatur cum forma, & eſt illius actualis cauſalitas, per quam cauſat totum accidentale, ſicut forma ſubſtantialis cauſat totum ſubſtantiale, mediante vnione

Inhærentia actualis quid dicatur.

ſubſtan-

ſubſtantiali, per quam vnitur materiæ. De formis tamen accidẽtalibus, quę tantùm modaliter diſtinguuntur á ſubiectis, probabilius eſt non habere alium modũ vnionis diſtinctũ á ſua propria entitate modali, ſed per ſe ipſos immediatè vniri ſubiecto, quod modificant. Vnde in hac opinione dicendum eſt cauſam formalem modalem non diſtingui à parte rei á ſua cauſalitate actuali. Quãuis alij etiam probabiliter aſſerant iſtos modos accidentales vniri ſuis ſubiectis per vniones, & inhærentias diſtinctas modaliter ab ipſis modis.

DE CAVSA FORMALI EXTERNA, ET illius cauſalitate, atque effectibus.

QVÆSTIO V.

Vtrùm detur exemplar? & quid ſit.

CAPVT I.

1. PRæter cauſam formalem internam hactenus explicatã, dantur alia obiecta externa, quæ non ingrediuntur intrinſecã rationem, & eſſentiam compoſiti, ad illud tamen aliquo modo concurrunt. Et hanc vocamus *cauſam formalem externám*; quæ eſt in duplici genere, quædam enim dicitur exemplar, ſeu Idea, altera dici poteſt cauſa obiectiua, ſeu cauſa purè ſpecificans.

Cauſa formalis externa quotuplex.

2. Omnes igitur conueniunt, quòd danda ſit cauſa exemplaris, quam Græci vocant *Ideam*, & Latini *Exemplar*. Et probant ex artificibus creatis, qui ad hoc vt prudenter, & per artem operentur, prius mente concipiunt aliquam imaginem, vel ſimilitudinẽ illius rei, quam exterius volũt exprimere: ſed iſtam vocamus cauſam exemplarem; ergo datur in rebus talis cauſa.

Danda eſt cauſa exẽplaris.

3. Duplex verò exemplar diſtingui ſolet, externum ſcilicet, & internum. Externum eſt imago illa, quam aliquando pictor verbi gratia, ſibi externus proponit imitandam, & eſt exemplar ſecundũ quid, & proprium incipientium, ſolùmque iuuat ad formandum melius exemplar internum. Quãuis nomen *Exemplar* ex primaria impoſitione videatur inſtitutum ad ſignificandum hoc exemplar externum.

Duplex exemplar.

Exemplar externum quid.

4. Exemplar verò internũ eſt illud, quod in mente format artifex, quando opus aliquod vult conficere, & ad quod reſpiciens conficit opus, & hoc eſt propriè exemplar, quod ſemper adhibetur, quando opus fit ab intellectuali agente, qua tali. Exemplar verò externum adhibetur per accidens,

Exemplar internum quid.

cidens, & ſolùm ratione interni, neque immediatè concurrit ad opus, ſed mediante interno. Vtrũque definitur à Theologis, & Philoſophis in hunc modum. *Exemplar, ſeu Idea eſt forma, quam effectus imitatur ex intentione agentis determinantis ſibi finem.* Particula *Forma* ponitur loco generis, reliquæ partes loco differentiæ, & per illas excluditur quidquid non eſt exemplar. Indicatur etiam operari per cauſam exemplarem, eſſe proprium agentium rationalium, quia hæc tantùm ſibi finem determinant.

Definitio vtriuſque exemplaris.

5. Alia tamen definitio poteſt aſsignari, quæ conueniat ſoli exẽplari interno, & ita habet. *Exemplar eſt forma mente concepta, ad cuius imitationem fit effectus ex intentione agentis determinantis ſibi finẽ.* Vnde per illam partem *Forma mẽte concepta* excludũtur formæ ſubſtantiales, & accidẽtales, quæ ſpectant ad intrinſecam rationẽ cõpoſitorum. Excluditur etiã exẽplar externum, quia non eſt forma mente concepta; excluduntur tertiò ſpecies intelligibiles, quæ licet ſint formæ intellectuales, tamen artifex non operatur intuendo ad illas.

Definitio interni.

6. Dubium tamen eſt vtrùm iſta cauſa exemplaris ſit vera, ac propria cauſa phyſica, quæ verè influat in effectũ? Secundò, vtrũ conſtituat aliud genus cauſæ, vel potius ſpectet ad aliquod ex quatuor vulgatis? Quod attinet ad primum, communis reſolutio eſt cauſam exemplarem, eſſe veram, ac realem cauſam phyſicã, & habere veros ac reales effect^9, vt magis conſtabit ex dicendis. Quod ſpectat ad ſecundum, aliqui eam reuocant ad cauſam efficientem; qui tamen ex eo refelluntur, quia cauſa efficiens operatur per actionem: ſed cauſa exemplaris nullam habet actionem in effectum; ergo non eſt cauſa efficiens, neque ad illam reducitur. Deinde quia Deus operatur effectiuè per ſuam omnipotentiam, Ideæ verò diuinæ ſpectant ad intellectum; ergo non poſſunt reduci ad cauſam efficientem.

Dubium primum. Secundum dubium. Cauſa exẽplaris eſt vera cauſa. Non ſpectat ad efficientem.

7. Ideo dicendum eſt cauſam exemplarem, vel contineri direc tè ſub cauſa formali in communi, vel ſaltem ad illam reuocari. Cũ enim non pertineat ad efficien tem, neque ad materialem, neque ad finalem, ſolùm reſtat formalis, ad quam ſpectet, vt indicat ipſa definitio Exemplaris, & nomen *Idea* quod Græcis idem eſt atque *Forma*. Deinde probatur, quia Metaphyſici, & Dialectici in analogis per attributionem, pro exemplo analogorum per attributionẽ ad cauſam formalem, ſolent afferre cauſam exemplarem, nempe hominem pictum, qui dicitur homo per attributionem ad hominem verum, qui eſt exemplar ſaltẽ externũ hominis picti. Tertiò, quia cauſa formalis eſt illa, quę dat ſpeciem, & vltimò determinat ſubiectum: ſed cauſa exemplaris dat ſpeciem artefacto; ergo ſpectat ad cauſam formalem. Iuxta hanc doctrinam, cauſa formalis in cõmuni diuidẽda eſt in cauſam formalem internã, & cauſam formalem externã: & quodlibet ex his membris in varias ſpecies.

Sed ſpectat ad formalem. Prima ratio. Secunda. Tertia. Cauſa formalis diuiditur in duo membra.

Vtrùm

Vtrùm exemplar conſiſtat in cõceptu formali, an in obiectiuo?

CAPVT II.

8. Diximus exẽplar internũ eſſe propriũ exemplar, & definiri formam mente conceptam. Cum autem res aliqua dupliciter poſsit eſſe in mẽte, nimirum vel inhærendo per realem inhęrentiam,& vnionem; qua ratione conceptus formalis inhæret in intellectu; vel tantùm obiectiuè, quatenꝰ ſcilicet eſt obiectum cognitum actualiter ab intellectu, & actualiter repræſentatum,in aliqua imagine, ſeu conceptu formali; qua ratione Antichriſtus cognitus à meo intellectu,dicitur eſſe in illo obiectiuè, & dicitur conceptus obiectiuus, quia eſt obiectum illius conceptus formalis,quem efformo de ipſo Antichriſto. Ideo dubium eſt vtrùm exemplar internum ſit forma aliqua, quæ realiter inhæreat in intellectu; vel potius ſit res aliqua,ſeu obiectum, quod tãtùm obiectiuè exiſtat in mẽte? Quod ſub alijs terminis quæri ſolet vtrũ exemplar conſiſtat in conceptu formali,an in obiectiuo?

Res poteſt eſſe in mente dupliciter.

Dubium.

9. In qua re diuiſi ſunt Philoſophi,& Theologi. Quidã enim dicunt formalem rationem exẽplaris conſiſtere in cõceptu obiectiuo. Et probant primò, quia finis nõ dicitur cauſa ex eo quod mente concipiatur,ſed per ſuam mer bonitatem obiectiuam cauſat,& mouet volũtatem, vt infra conſtabit; ergo ſimiliter cauſa exemplaris non eſt ipſa cognitio, ſed obiectum,quod per illã cognoſcitur. Secundò, quia illud eſt exemplar,ad quod artifex intuẽdo operatur : ſed artifex non intuetur proprium conceptum,ſed per conceptum intuetur obiectũ; ergo in obiecto conſiſtit exemplar,& non in formali conceptu. Tertiò, quia conceptus formalis non poteſt cognoſci ab artifice, niſi per notitiam reflexam : ſed artifices creati dum operantur, non eſt neceſſe vt reflectant ſupra proprios cõceptus;ergo, &c.

Aliqui putant conſiſtere in cõceptu obiectiuo.

Prima ratio.

Secunda ratio.

Tertia ratio.

10. Alij conſtituunt formalẽ rationem exemplaris in conceptu formali, quem artifex format de illa re, quam facere conſtituit. Primum fundamentum eſt,quod ſumitur ex ideis diuinis,quæ non poſſunt conſiſtere in rebus creatis,quæ exterius ſunt faciendæ,vt mox dicemus; ergo conſiſtunt in cognitione, & conceptu talium rerum,qui manet in mente diuina: ſed eadem ratio datur in artifice creato ; ergo in conceptu formali,& non in obiectiuo conſtituenda eſt ratio ideæ.

Alij in conceptu formali.

Primũ fundamẽtum.

11. Secundum fundamentum. Si exemplar creatum conſiſtit in conceptu obiectiuo, vel hoc obiectum eſt illamet res,quæ faciẽda eſt,vel alia diuerſa. Non poteſt eſſe eadem, quia agens creatũ nõ præcognoſcit illammet rem, quã in exercitio eſt facturus: quia hæc determinatio rei in indiuiduo pẽdet à multis circũſtantijs, & præſertim à diuina voluntate,quæſi

Secundum fundamentum.

ne reuelatione non poteſt cognoſci. Non etiam poteſt eſſe obiectum aliud vagum, & indeterminatũ. Primò, quia effectus determinatus poſtulat cauſam exẽplarem certam, ac determinatã. Secundò, quia effectus ſingularis, qui fit, non poteſt fieri ad ſimilitudinem alicuius rei confuſè, & indeterminatè cognitæ.

Vtraque opinio probabilis. Ex vtraque tamen poſſet fieri vna tertia.

12. Ex his opinionibus vtraque eſt probabilis, poſſet tamen ex vtraque conflari vna media, quæ aſſerat formalem rationem cauſæ exemplaris conſiſtere in vtroque conceptu, tam formali, quàm obiectiuo, neque vnum ſine altero adæquare totalem rationem cauſæ exemplaris, ſicut communiter dici ſolet noſtrum formale intelligere tam in actione, quàm in conceptu collocari: & hoc probant rationes factæ pro vnoquoque conceptu, nam primæ oſtẽdunt non conſiſtere in ſolo conceptu formali; ſecundæ autem non conſiſtere in ſolo obiectiuo.

Effectus exemplaris creati.

13. Effectus cauſæ exemplaris creatæ, ſiue conſiſtat in conceptu formali, ſiue in obiectiuo, ſiue in vtroque, ſunt omnia artefacta, quæ per artem fiunt, ſiue ſint artefacta interna, ſiue externa. Ratio eſt, quia cauſa exẽplaris creata habet aliquos effectus: ſed non apparent alij, niſi prædicta artefacta; ergo &c. Imò illi etiam actus virtutum, quos dirigit prudẽtia, & homo exercet ad ſimilitudinem aliorum, ſunt etiam effectus cauſæ exemplaris, vt probabiliter tenet Fonſeca lib. 7. Metaphyſicæ cap. 8. q. 1. ſec. 3. Effectus autem naturales nullam habent cauſam exemplarem creatam, ſed tantùm increatam, vt ſtatim videbimus.

Ratio.

De Ideis diuinis & earum effectibus.

CAP. III.

Prima ratio.

14. CVm Deus nihil temerè, & ſine arte faciat, ſed omnia in pondere, & mẽſura, & cum ſumma prudentia operetur, ideo per ideas, ſuper cauſam exemplarem neceſſariò operatur, vt colligitur ex multis locis ſacræ paginæ, & ex communi Theologorum, ac Patrum ſentẽtia. Deinde cum iſtæ ideæ, ſeu exẽplatia ſint in Deo, oportet quod ſint æternæ, increatæ, immutabiles, & inuiſibiles; quia nihil in Deo eſt creatum, aut mutabile. Secũdò, quia ſi eſſent aliquid creatum iam haberent alias ideas, & ſic in infinitum. Vnde reijcitur opinio Scoti in 1. diſtinc. 36. q. 1. & aliorũ aſſerentium diuinas ideas nihil aliud eſſe, quàm res ipſas creatas, & à Deo producendas, quatenus diuino intellectui obijciuntur, taliter vel taliter factibiles; ſicut exemplar creatum eſt illamet res, quam artifex operabitur, vt iſti auctores dicunt. Hæc tamen ſententia inde reijcitur, quia diuinæ ideæ ſunt aliquid diuinum, & increatum. Secundò, quia Deus in genere etiam cauſæ exemplaris eſt ſibi ſufficiens, neque eget creaturis, vt per illas tanquã per exẽplaria operetur; quod non ha-

Deus per ideas operatur.

Secunda.

Deus non vtitur creaturis vt exemplaribus.

Refellũtur.

bent

bent artifices creati.

Sed ipſa diuina eſſentia eſt exẽplar creaturarum.

15. Omnes igitur reliqui Theologi conueniunt, quòd ipſa diuina eſſentia habeat rationem ideæ, ſeu cauſæ exẽplaris reſpectu creaturarum. Nam cum certum ſit dari ideas in Deo, & has non eſſe ipſas creaturas, ſed aliquid æternum, & increatum, fit vt ſint ipſa diuina eſſentia, cum nihil aliud detur, in quo diuina idea poſsit conſiſtere. Eſt tamen difficultas in explicando, qua ratione diuina eſſentia ſit omnium rerum idea. Nam eſſentia diuina, vel poteſt ſpectari, quatenus eſſentia eſt omnino abſoluta, vel quatenus eſt actus ipſe intelligendi, per quem Deus & ſe ipſũ, & creaturas omnes intelligit. Dubium igitur eſt vtrùm eſſẽtia diuina ſit idea creaturarum, quatenus eſſentia eſt, vel quatenus cognitio eſt?

Maior difficultas.

Sub qua ratione eſſentia diuina ſit idea.

Sententia Thomiſt.

16. Communis Thomiſtarum opinio eſt, eſſentiam diuinam eſſe ideam creaturarum, quatenus intelligitur à Deo vt imitabilis à creaturis, ſeu eſſentiam diuinam prout noſtro modo conſiderandi eſt obiectiuè in diuino intellectu, eſſe exemplar creaturarum; vnde ſi per impoſsibile diuina eſſentia tantùm obiectiuè exiſteret in intellectu diuino, & non eſſet in re ipſa idem intellectus, & ſapientia diuina, adhuc intelligeretur vt idea creaturarum.

Sententia Recentiorum.

17. Alij recentiores aſſerunt eſſentiam diuinam eſſe ideam creaturarum, quatenus intelligitur vt formalis conceptus, quem Deus habet de ipſis creaturis poſsibilibus, qui conceptus cum ſit idem à parte rei cum diuina eſſentia, in hoc ſenſu dicitur eſſentia diuina communiter idea creaturarum. Fundamentum eſt, quia per ideã intelligitur aliquid, quod ſit repræſentatiuum, & per modũ imaginis, ad cuius ſimilitudinem fiat opus externum: ſed eſſentia diuina in ratione eſſentiæ, non eſt repræſẽtatiua, ſed in ratione imaginis; ergo ſub hac ratione eſt exẽplar creaturarum, & non ſub alia. Deinde, quia eſſentia diuina, ſi ſumatur præciſè, quatenus eſſentia eſt, ſolùm eſt cauſa effectiua creaturarum, & non cauſa exemplaris.

Fundamẽtum.

Secunda ratio.

Media ſententia eligitur.

18. Vtraque ſententia eſt probabilis; media tamen via incedẽdum nobis eſt: aſſerimus enim ideas diuinas in Deo conſtitui ex diuina eſſentia obiectiuè cognita vt imitabili á creaturis, & ex diuina intellectione, quatenus Deus per illam intelligit ſuammet eſſentiam. Fundamentum eſt, quia exemplar diuinum eſt quid intellectuale, ad cuius ſimilitudinem aliquid fit: ſed quatenus eſt quid intellectuale in Deo, non poteſt eſſe aliud, niſi ipſa diuina cognitio, per quam Deus ſe ipſum intelligit; quatenus verò eſt id, quod aliæ res imitantur, eſt ipſa diuina eſſentia, vt eminenter continet creaturas; ergo diuinæ ideæ non poſſunt intelligi in Deo, niſi intelligatur ipſa diuina eſſentia, vt eminenter continens creaturas, & vt eſt imago, ſeu cognitio ſui ipſius quatenus imitabilis à creaturis, & ſub hac duplici ratione operatur exemplariter. Secundò probatur, quia in diuino exemplari poſſunt cognoſci creaturæ

Fundamẽtum.

Secundum.

vt in cauſa, & vt in ſimilitudine ſaltem analogica: ſed nõ poſſunt ita cognoſci in eſſentia præciſè quatenus eſſentia eſt; ergo cognoſcuntur in eſſentia prout vtrã que rationem inuoluit. Tertiò, quia rerum ſimilitudo, vt ſit exẽplar ipſarum, debet eſſe in Deo non quocumque modo, ſed intellectualiter: ſed eſſentia diuina ſumpta præciſè in ratione eſſentiæ non eſt intellectualis ſimilitudo rerum creatarum; ergo vt talis ſit, debet cõſiderari ſimilitudo fundamentalis, ſed vt ſimilitudo intellectualis eſt in diuino intellectu: ergo, &c.

Tertium.

19. Quod autem ratio ideæ nõ poſſit conſiſtere in eſſentia diuina prout eſt cognitio creaturarum, probatur efficaciter, quia cognitio, quam Deus habet de creaturis, ſupponit ipſas creaturas vt obiectum, vnde prius intelliguntur ipſæ creaturæ vt poſſibiles, quàm intelligãtur, vt obiectũ diuinæ cognitionis: ſed, vt ſint poſſibiles, ſupponunt priùs cauſam exemplarẽ, per quam poſſint fieri; ergo cognitio, quam Deus habet de creaturis, non poteſt eſſe cauſa exemplaris earum: nam omnis cauſa intelligitur prior ſuo effectu: ſed cognitio, quam Deus habet de creaturis, non intelligitur prior, quàm ipſæ creaturæ; ergo non poteſt eſſe illarum cauſa exemplaris.

Exemplar diuinũ non eſt cognitio de creaturis.

20. De numero diuinarũ idearum certum primò eſt illas non eſſe plures à parte rei diſtinctas, quia cum ſint à parte rei ipſamet diuina eſſentia, non poſſunt à parte rei multiplicari. Secundò certum eſt iſtam ideã, quæ à parte rei eſt vna, poſſe à nobis diuidi per rationem in plures virtualiter diſtinctas; in quo ſenſu admittunt communiter Theologi in Deo plures ideas, quæ prout ſunt ideæ rerum poſſibilium, quæ nunquã exiſtent, poſſunt diſtingui in infinitum, ſeu poſſunt dici infinitæ; prout verò ſunt ideæ rerum exiſtentium, tot ſunt virtualiter diuerſæ, quot fuerunt, ſunt, & erũt res omnes ſingulares, quę de facto iam ſunt productæ, vel in poſterũ producentur.

De numero Idearum in Deo.

In Deo dãtur plures ideæ.

21. Vnde colliges Deum habere ideas rerum omnium ſingularium, quas ad extra producit, vel poteſt producere ſe ſolo, aut cum cauſis ſecundis. De rebus autem communibus probabilius eſt nullas habere ideas diſtinctas ab ideis ſingularium, quia res communes non poſſunt produci per peculiarem actionem diuerſam ab ea, qua producitur res ſingularis. Colliges ſecundò omnia artefacta, ſiue fiant à creatis artificibus, ſiue à cauſis alijs ſecundis, & naturaliter operantibus, habere ſuas ideas in Deo, quia ad omnia cõcurrit Deus, vt cauſa intellectualis. Colliges tertiò etiam materiã primam, & accidentia omnia à parte rei diſtincta à ſubiectis, habere proprias ideas in Deo. Negationes verò, & priuationes, & ſimiliter entia rationis, cum non habeant veram entitatem, neque per ſe fiant à Deo, non poſſunt in diuina eſſentia habere proprias ideas. Similiter circa productiones Dei *ad intra*, & terminos earũ nulla datur idea in Deo, quia

Aliqua corollaria ex dictis. De quibus rebus ſint ideæ in Deo.

Secundum corollariũ.

Tertium corollariũ.

Deus in his productionibus habet ſe quaſi agens omnino naturale, & termini talium productionum non ſunt effectus alicuius cauſæ. Colliges vltimò effectus diuinarum idearum eſſe res omnes creatas *ad extra.* ſiue ſint effectus naturales, ſiue artificiales, nam omnes in Deo habent ſuas proprias ideas virtute diſtinctas.

Vltimũ corollarium.

De cauſalitate exemplaris.

CAP. IIII.

Cõmunis ſententia.

22. Communis ſententia eſt cauſalitatẽ cauſæ exemplaris conſiſtere in quadam imitatione paſsiua, quæ ſe habet ex parte effectus imitantis ſuum exemplar: ex qua imitatione reſultat denominatio quædã extrinſeca menſurati ad formam menſurantem. Quæ ſententia eſt probabilis; eſſet tamen probabilior, ſi explicaret quid ſit prædicta imitatio paſsiua. Alij cum reducant cauſam exemplarem ad efficientem, dicunt illius cauſalitatem conſiſtere in actione, & eãdem actionem prout egreditur à cauſa efficiẽte, eſſe cauſalitatem efficientis, prout verò dirigitur per artificem, & per cauſam exẽplarem tãquam via ad effectum, eſſe cauſalitatem cauſæ exemplaris.

Actio ſecũdũ aliquos dicitur etiã cauſalitas exemplaris.

23. Nos tamen, quia ſupra collocauimus cauſam exemplarẽ ſub formali, & diximus eſſe formã extrinſecam, quæ extrinſecè veluti informat artefactum, ſeu ideatũ, & illi tribuit eſſe in hoc genere: conſequenter aſſerimus actualem cauſalitatẽ cauſæ exemplaris eſſe illam intellectualem vnionẽ, per quam ideaintellectualiter vnitur rei, cui dat eſſe. Ratio eſt, quia nulla res dicitur forma, niſi ab informando, nihil autem informat, niſi aliquo modo vniatur actualiter, ſed cauſa exemplaris dicitur forma, & cauſa actualiter quaſi informando extrinſecè; ergo debet actualiter vniri effectui: ſed iſta vnio non eſt realis; ergo intellectualis, & in ea conſiſtit cauſalitas exemplaris ſiue creati, ſiue increati; ad eum modum quo ſigillum tunc dicitur cauſare ſuum effectum actualiter, quando ceræ applicatur, & illi quaſi extrinſecè vnitur, ita vt inter ſigillum, & cerã nihil mediet. Cum verò iſta vnio ſit tantùm intellectualis, non addit effectui aliquem modũ realẽ diſtinctum, ab ipſius entitate, ſed confert illi totum ſuum eſſe quatenus extrinſecè applicatur, per modum formæ, eo modo, quo aliqui admittunt materiam, & formam inter ſe mutuò vniri abſque aliquo reali modo intermedio.

Sententia vera.

Ratio illius

Non addit effectui aliquid reale diſtinctum ab ipſius entitate.

De cauſa extrinſecùs ſpecificante.

CAP. V.

Quid ſit cauſa ſpecificans.

24. Cauſa formalis ſpecificans multiplex eſt, & in genere definiri poteſt *Ea, à qua effectus ſumit ſuam eſſentiam ſpecificam.* Cum autem inde res habeat ſuũ

eſſe

Digitized by Google

eſſe ſpecificum, vnde habet ſuũ eſſe, ſit vt quot cauſæ concurrunt ad dandum eſſe rei, tot etiã concurrant ad dandum illi ſpeciem: ſicut igitur ad dandum eſſe alicui rei creatæ concurrũt plures cauſæ quædam internæ, aliæ externæ, ita ad dandam ſpeciem concurrunt cauſæ internæ, & externæ, quas hactenus explicauimus. Si igitur loquamur de compoſitis phyſicis, habent ſuum eſſe ſpecificum præſertim à tali vel tali forma, & aliquo etiam modo à tali, vel tali materia, vt à cauſis intrinſecè componentibus in genere phyſico. Si autem loquamur de compoſitis metaphyſicis, ſiue alioqui componantur phyſicè, ſiue non, habent ſuam eſſentiam ſpecificam à tali differentia, & aliquo modo à tali, vel tali genere. Quòd ſi res ſint analogæ, & in nullo vniuoco conueniant, neq; habeant differẽtias, per quas cõponantur, vt ſe habent genera ſũma, tunc habent eſſe diſtinctũ ab alijs per ſuaſmet entitates, ſeu per ſuas formas logicas, quæ non diſtinguuntur à tota entitate cuiuſque rei. Vnde etiam ſubſtantiæ ſpirituales intrinſecè, & realiter ſpecificãtur per ſuas integras entitates, quæ aliter vocantur formæ logicæ: metaphyſicè autem per ſuas differentias ſpecificas, & per genera, quæ includunt. Et idem, proportione ſeruata, dici poteſt de quouis alio ente, aut modo entis ſolùm metaphyſicè compoſito.

Eædẽ cauſæ, quæ tribuunt eſſe, tribuunt tale eſſe in eodem genere.

Compoſita phyſica vnde habeant ſuum eſſe.

Vnde metaphyſica ſuũ accipiat.

Subſtantiæ ſpirituales vnde ſpecificentur.

25. Aliæ verò cauſæ externæ eodem modo, quo concurrunt ad dandum eſſe alicui effectui, concurrunt etiam ad conferendam illi ſpeciem, nimirum cauſa efficiens phyſica, quæ efficienter tribuit eſſe ſuo effectui, in eodẽ genere illi tribuit eſſe ſpecificum, ſaltem ſi ſumatur in eſſe exiſtentiæ. Similiter cauſa exemplaris in eodem genere, quo tribuit eſſe effectui, tribuit etiam talem, vel talẽ ſpeciem. Vnde ſicut idem effectus poteſt habere plures cauſas ſui eſſe in diuerſo genere, ita poteſt habere plures cauſas ſpecificantes in diuerſo ordine.

Quomodo aliæ cauſæ concurrunt ad ſuos effectus.

26. Vltra iſtas cauſas tribuentes eſſe effectibus dãtur aliæ formæ, ſeu obiecta extrinſeca, quæ licet non concurrant ad effectus in aliquo genere cauſæ ex quatuor numeratis, tamen dicuntur concurrere vt cauſæ ſpecificantes, & tamquam obiecta extrinſeca ad conferendam ſpeciem aliquibus effectibus. Ita potentiæ ſpecificãtur per actus, & actus per obiecta; habitus ſpecificantur per actus, & per obiecta; materia per formam, & forma per materiam; ſcientia totalis per ſuum obiectum totale, & ſic de alijs ſimilibus.

Vltra reales cauſas dantur aliæ purè ſpecificantes.

Per quid ſpecificẽtur potentia, & habitus.

27. Eſt ergo dubium vtrùm illa obiecta extrinſeca, quæ in nullo alio genere cauſæ concurrunt ad dandum eſſe actibus, habitibus, vel potentijs, niſi tantùm vt formæ extrinſecæ, & obiectiuæ ſpecificantes, & aliter poſſunt appellari cauſæ purè ſpecificantes, ſint veræ cauſæ phyſicæ, quæ realiter influant in ſuos effectus, ſeu in eas res, quas ſpecificant? Pro parte affirmante ſtat, quia quidquid reſpicit aliud tranſcendaliter, reſpicit illud tamquã cauſam

Dubium.

Videntur veræ cauſæ phyſicæ.

ſui

ſui eſſe; ſed obiecta reſpiciuntur tranſcendentaliter ab actibus, & actus à potentijs; ergo dant illis eſſe vt veræ cauſæ phyſicæ. Maior conſtat ex diſcrimine, quod intercedit inter relata realia, & relata tranſcendentia; nam relata realia reſpiciunt ſuos terminos, vt purè terminos, relata verò tranſcendentia reſpiciunt aliud tamquam cauſam ſui eſſe.

In quo cõſiſtat illarũ cauſalitas. Atque in hac opinione dicendum eſt cauſalitatem huius cauſæ tantùm ſpecificantis, conſiſtere in actuali commenſuratione, & adæquatione effectus ad obiectum; ipſa verò cauſa reducetur ad genus cauſæ formalis, vt diximus de exemplari.

Probabilior ſententia. 28. Probabilius tamen eſt obiecta purè ſpecificantia, & quæ nullum alium habent concurſum in eas res, quas ſpecificant, non eſſe veras, ac reales cauſas phyſicas; ſed eſſe tantùm puros terminos ſpecificantes, non per verum aliquem influxum, qui cauſam conſtituat, ſed per ſolam habitudinem, ſeu reſpectũ tranſcendentem, quem terminant per ſe ipſa abſque vlla alia cauſalitate, ſiue exiſtant, ſiue non exiſtant. Hæc videtur ſententia Ariſtotelis, qui nunquam meminit ſimilis cauſæ.

Confirmatur. 29. Deinde probatur, quia nihil, quod reale non ſit, poteſt eſſe realis cauſa: ſed entia negatiua, & entia rationis non ſunt aliquid reale, & tamen ſpecificant conceptus, qui de negationibus, & entibus rationis efformantur: ergo obiecta purè ſpecificantia non poſſunt habere realem cauſalitatem, neque poſſunt ſortiri rationem cauſæ phyſicæ; ſolùm ergo poterunt reuocari ad cauſam formalem extrinſecam, quatenus terminando varios actus ſub diuerſis formalitatibus, ſunt in cauſa vt illi actus inter ſe ſpecie diſtinguantur propter diuerſa obiecta. Et quia, tribuere ſpeciem, eſt proprium formæ, ideo ad formalem cauſam aliquo modo reuocantur. Tribuere ſpeciem eſt proprium formæ.

In actibus ſpecificatis non datur duplex entitas. 30. Aduertendum vltimò eſt quando actus aliqui ſpecificantur ab obiectis materialibus prout ſtant ſub formalibus, non dari in ijs actibus duplicem entitatem, vel duplicem reſpectum ex natura rei diuerſum, quorum vnus reſpondeat obiecto materiali, alter obiecto formali, ſed habent vnum tantùm reſpectum, per quem tendunt in obiecta materialia, prout ſtant ſub formalibus. Vnde prouenit, vt licet obiectum materiale ſit ordinis naturalis, tamen ſi attingitur ſub aliquo motiuo ſupernaturali, actus, qui inde reſultat, ſit ſupernaturalis; & è contra: licet obiectũ materiale ſit ſupernaturale; ſi tamen obiectum formale ſit motiuum aliquod naturale, actus euadet naturalis.

DE CAVSA EFFICIENTE in communi.

QVÆSTIO VI.

Quid ſit cauſa efficiens, & quomodo diuidatur.

CAP. I.

Dãtur cauſæ efficientes, & definiuntur.

1. DAri cauſam efficientem, ſolũ negabit ille qui dixerit res omnes eſſe à ſe ipſis, neque fieri ab alijs, quod à Catholica fide eſt maximè alienum. Definitur autẽ cauſa efficiens, *Principiũ per ſe, à quo primò procedit mutatio.* Ab hac definitione reijciũtur ea, quæ nõ ſunt principia; ſecũdò reijciũtur cauſæ per accidẽs: tertiò reijcitur cauſa materialis, quia nõ eſt principiũ *à quo*, ſed *ex quo*. Reijcitur etiã cauſa formalis interna, quæ eſt principiũ, ad quod tẽdit mutatio ſubſtantialis in materia. Quartò reijcitur cauſa finalis, quę nõ eſt principium, *à quo*, ſed cuius gratia aliquid fit. Nomine *mutationis* intelligitur in prædicta definitione quæcumque actio, ſiue ſit creatiua, ſiue eductiua.

Clarior definitio cauſæ efficientis.

Cauſa prima non attingit effectum cauſæ ſecundæ prius.

2. Clariùs proponi poteſt definitio. *Cauſa efficiens eſt principium per ſe extrinſecum, à quo primò incipit actio.* Cauſæ ſecundæ efficientes, licet ſimul concurrant cum cauſa prima ad ſuos effectus, tamen cauſa prima non attingit prius tales effectus, ſed ſimul cum cauſis ſecundis, ſaltem negatiuè, quatenus nulla alia cauſa attingit prius. Cauſæ verò inſtrumentales, ſi cõprehenduntur in prædicta definitione, poſſunt dici attingere effectus primò, ſaltem in genere inſtrumenti.

Variæ diuiſiones cauſæ efficientis.

Cauſa per accidens quæ ſit.

3. Varias habet diuiſiones cauſa efficiens, præcipuas tamen recenſebimus. Prima eſt, qua diuiditur in cauſam per ſe, & cauſã per accidens. *Cauſa per accidens eſt ea, quæ non influit in effectum, ſed vel accidentaliter eſt coniuncta cauſæ per ſe:* vt talis, vel talis color in artifice reſpectu artefacti; *vel quamuis aliquo modo influat in effectum, influit tamen per aliquid repugnans ſibi; qua* ratione aqua habens calorem per accidens dicitur calefacere. Numerantur etiã inter cauſas per accidens conditiones aliquæ, ſine quibus cauſa efficiẽs non poteſt operari, vt eſt indiſtantia; talis, vel talis raritas, aut denſitas in ſubiecto, & ſimiles.

Cauſa per ſe.

Cauſa per ſe eſt illa, quæ verè, & propriè influit in effectum, & à qua effectus verè, & propriè pendet, ſaltem ſecundum aliquod eſſe, quod accipit à tali cauſa.

Cauſa phyſica, & moralis quid.

4. Secũdò diuiditur in cauſam phyſicam, & moralem. *Phyſica eſt, quæ per realem influxum cauſat effectum.* Moralis eſt *ea, quæ cũ realiter nõ cauſet effectũ, ei tamẽ perinde tribuitur talis effectus, ac ſi eum realiter cauſaret.* Qua ratione tribuitur ho-

cidium ei, qui illud fieri iubet, aut conſulit, & ideo dicitur cauſa moralis illius. Tertiò diuiditur in cauſam æquiuocam, & vniuocã. *Æquiuoca eſt, quæ producit effectũ ſibi diſsimilem in natura.* Vniuoca eſt, *quæ producit effectum ſibi ſimilem.* Quartò diuiditur in cauſam principalem, & cauſam inſtrumentalem. *Principalis eſt ea, quæ verè & propriè influit in effectum per virtutem ſibi propriam, & naturaliter commenſuratam effectui, ita vt talis cauſa ſit eiuſdem, vel maioris perfectionis, quã effectus.* Inſtrumentalis cauſa eſt, *ea, quæ concurrit, ſeu eleuatur ad producendum effectum nobiliorem ſe, in virtute alicuius cauſæ principalis.* Vtraque ſubdiuiditur in alias ſpecies cauſæ principalis, & inſtrumentalis.

Cauſa æquiuoca & vniuoca.

Principalis, & inſtrumentalis.

5. Quintò diuiditur in cauſam primam, & ſecundam. *Cauſa prima eſt ea, quæ influit in omnes effectus creatos independenter à quacũque alia cauſa,* & iſta cauſa eſt ſolus Deus. *Cauſa ſecundæ ſunt reliquæ cauſæ creatæ, quæ ſicut in ſuo eſſe pendent à Deo, ita in ſuo operari.* Hoc tamen non tollit, quominus etiam iſtæ cauſæ ſecundæ in ſuo genere concurrere poſsint principaliter: quãdo habent conditiones, quas proximè requiſiuimus, vt cauſa aliqua dicatur principalis. Sextò poteſt diuidi cauſa efficiens in proximã, & remotam. *Cauſa proxima eſt ea, quæ immediatè influit in effectũ.* Remota *eſt, quæ influit mediante alia.* Poteſt etiã diuidi in cauſã eſſentialiter requiſitã ad effectũ, & in cauſam nõ eſſentialiter requiſitã. Hæc tamen diuiſio coincidit cũ ea, qua diuiditur in primã, & ſecundã: nã ſola cauſa prima ſimpliciter, & abſoluté loquendo, eſt eſſentialiter requiſita ad quemcũque effectũ. Quãuis aliqui etiam numerẽt inter cauſas eſſentialiter requiſitas, potẽtias vitales, reſpectu actuũ vitaliũ. Alibi tamẽ duximus probabilius poſſe Deũ ſe ſolo efficere huiuſmodi actus vitales, quoad totam ſuam phyſicã entitatem.

Cauſa prima, & ſecunda.

Proxima, & remota.

De principio, per quod cauſa efficiens totalis operatur.

CAP. II.

6. Cauſa efficiens totalis, & cui principaliter tribuitur effectus, ſemper eſt aliquod integrum ſuppoſitum; in quo ſenſu dixit Ariſtoteles *Actiones eſſe ſuppoſitorum.* Cum tamen ſuppoſita creata, & phyſica, de quibus præſertim agimus, ſint compoſita ex materia, & forma, & cũ ad ſuos effectus producẽdos vtãtur aliquibus potentijs diſtinctis á propria ſubſtantia, & à propria entitate: ideo dubitant Philoſophi, per quod nã principiũ quælibet cauſa totalis, & phyſica operetur immediatè ſuos effectus. Vtrũ ſcilicet illos producat immediatè per ſuã formã ſubſtãtialẽ, vt per principiũ *Quo* principale, & immediatũ, an per aliquã potentiam accidentalem?

7. Ad cuius dubij ſolutionem notandum eſt cauſam efficientẽ phyſicã, & creatã, de qua hîc præſertĩ loquimur, poſſe habere duo

Quot effectus poſsit habere cauſa ſecunda ſubſtãtialis.

genera effectuum, vel enim vna ſubſtãtia totalis poteſt producere aliã ſubſtantiã, vt equus generat alium equum, vel poteſt producere ſolùm aliquod accidens, v g. aqua producit frigus. Notandũ ſecundò eſt nullam ſubſtantiam creatam in ſuo modo naturali operandi poſſe producere materiã primam, quia iſta, cum ſit primũ ſubiectum, non poteſt fieri, niſi per creationem, quam nulla creatura naturali virtute poteſt elicere. Ad ſummum ergo poteſt vna ſubſtantia creata producere immediatè formam ſubſtantialẽ in materia. Et quando illam ita producit, eſt dubium, An producat illã immediatè per ſuam formam ſimiliter ſubſtantialẽ, vt per principium principale *Quo*, vel potius tota actiuitas oriatur immediatè à potentia generatiua, quæ eſt accidens quoddam, & à forma generãtis oriatur tantùm mediatè.

Subſtantia non poteſt producere materiam primam.

Poteſt tamen producere formam in materia.

8. Explicato ſenſu quæſtionis, ſunt in propoſita difficultate quatuor ſententiæ. Prima tenet accidentia attingere productionẽ formæ ſubſtantialis vt cauſas principales. Secunda docet accidentia nullo modo attingere effectiuè productionẽ formæ ſubſtantialis, ſed ad ſummũ materialiter, & diſpoſitiuè. Tertia docet accidentia ſolùm attingere productionẽ formæ ſubſtantialis vt inſtrumẽta generantis, & in virtute ſubſtãtiæ; ipſam verò formam ſubſtantialẽ tantùm operari medijs accidentibus. Quarta ſententia aſſerit ſemper formam ſubſtãtialem, vel aliquam aliam ſubſtantiam loco illius, attingere immediatè, & vt principium *Quo* ſimul cum accidentibus, vt cũ inſtrumentis, productionem formæ materialis ſubſtantialis: ita vt forma generantis immediatè attingat principaliter effectum ſubſtantialem, non tamen per ſe ſolam, ſed ſimul cum accidentibus, quæ aſſumit tamquam inſtrumenta, vt etiam cũ illa immediatè operẽtur. Quòd ſi aliquando forma ſubſtãtialis generantis non adſit, vel iam perierit, tunc illa actiuitas, quæ erat præſtanda immediatè per formam, ſuppletur à Deo vt auctore naturæ, qui eſt præſens rebus omnibus, & operatur omnia in omnibus, ſuppletque defectum cauſarum naturalium; vel per aliam cauſam, verbi gratia, per influxum cæli, aut Solis. Ita philoſophatur Soares in Metaphyſica diſp. 18. ſec. 2. à n. 21. et quidem probabiliter.

Quatuor diuerſæ ſententiæ.

Prima.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

9. In tanta opinionum varietate primò certum eſt nunquam accidentia attingere principaliter productionẽ ſubſtantiæ, quia cũ ſint entitatis ignobilioris, non poſſunt eſſe cauſæ principales ſubſtãtiæ; nã omnis cauſa principalis, vel eſt nobilior, vel ſaltem æquè nobilis ac ſuus effectus. Secundò, certũ eſt accidẽtia attingere immediatè productionẽ ſubſtãtiæ tãquam inſtrumenta generantis. Ad hoc enim dantur potẽtiæ de genere qualitatis agẽtibus principalibus, vt illa iuuent in ſuis operationibus: non poſſunt autem illa iuuare vt principia principalia; ergo ſaltem vt inſtrumenta.

Ponuntur quædam certa.

Secundò certũ eſt.

10. Tertiò eſt probabilius. Quã-

Tertiò eſt certum.

Quomodo forma ſubſtãtialis quando eſt immediata paſſo, producat aliã.

do forma generantis eſt ſimul cõiuncta paſſo, ſeu materiæ in quã operatur,& inducit formam ſubſtantialem,tunc operari per ſeipſam immediatè, vt principium principale *Quo*: & eleuare principaliter accidentia, vt etiam immediatè attingant inſtrumentaliter productionem formæ ſubſtantialis.

Ratio.

Ratio eſt, quia in hoc euentu dantur omnia requiſita, vt forma poſsit operari immediatè per ſe ipſam;ergo ita operatur.

Secunda ratio.

Deinde aliqua agentia operãtur immediatè immediatione ſuppoſiti,& immediatione virtutis: ſed non datur alius euentus in quo poſsit operari immediatè immediatione ſuppoſiti ſimul, & virtutis, niſi quando agens eſt coniunctum paſſo; ergo tunc per ſuã formam, vt per principium *Quo* operantur immediatè.

Quartò certum eſt. Agentia, quæ operãtur tantùm immediatione virtutis, quomodo producant formã ſubſtantialem.

11. Quartò probabilius eſt illa compoſita, quæ operantur tantũ immediatione virtutis,operando ſcilicet prius in propinquum, & poſtea in remotum, non attingere per ſuas formas ſubſtantiales productionem aliarum formarũ ſubſtantialium; ſed tantùm per ſua inſtrumenta coniuncta,vel ſeparata,quæ ſimul cum cauſa prima tunc habent virtutem ſufficientem, vt producant formam ſubſtantialem in materia abſque concurſu immediato formæ ſubſtantialis generantis.

Confirmatur hæc ſententia.

Et probatur, quia Sol exiſtens in quarto cælo producit aurum in viſceribus terræ, operando tantùm immediatione virtutis, & non ſuppoſiti; ergo forma Solis non poteſt ibi immediatè concurrere per ſe ipſam ad productionem formæ auri; ergo ſolùm concurrit per calorem,& reliquas qualitates à ſe diffuſas per medium.

Secunda ratio.

Similiter equus iam demortuus concurrit ad productionem alterius equi: ſed non poteſt concurrere immediatè per ſuam formam, quæ iam non exiſtit; ergo concurrit per ſuum inſtrumentum, nempe per potentiam generatiuã, quæ remanet in ſemine.

Diuiſio agentiũ naturalium.

Alioqui fruſtra eſſet illa diuiſio agentium in agentia, quæ operantur immediatè immediatione ſuppoſiti ſimul,& virtutis,& in agentia,quæ operantur immediatè ſolùm immediatione virtutis.

Quintò certum eſt.

Subſtantia non viuẽs quomodo producat viuentem.

12. Quintò eſt probabilius, quando ſubſtantia aliqua non viuens concurrit ad productionem formæ viuentis, ſolùm concurrere vt inſtrumentum alterius ſubſtantiæ ſuperioris; nimirum Dei.

Quomodo Sol cõcurrat ad productionem vermis in terra.

Vnde quando Sol in terra producit vermem, non concurrit ibi vt cauſa principalis, ſed tantùm vt inſtrumentum; quia producit effectum in entitate nobiliorem ipſo Sole.Quamuis aliqui dicant animalia iſta imperfecta eſſe in entitate ignobiliora,& ideo poſſe produci à Sole, & aſtris,vt à cauſis principalibus.

Sexto certũ eſt.

De ſubſtãtijs genitis in vtero fœminæ, & quomodo ipſa concurrat ad generationem. Forma patris quomodo concurrat.

13. Sextò. Quando viuens vnũ generatur per vim ſeminalem in vtero fœminæ,probabilius eſt tũc formam fœminæ concurrere immediatè vt principium principale *Quo* ad producendam formã ſubſtantialẽ geniti,vel illius vnionem, formam verò patris ſolùm concurrere mediatè,& immediatè per ſuum inſtrumentum ſeparatum.

Fundamẽtum.

ratum. Er ratio eſt, quia mater, ibi operatur non ſolùm immediatione virtutis,ſed etiam immediatione ſuppoſiti, cum intra ſe habeat materiam, ex qua fætus coagmentetur; & inquam forma ſubſtantialis introducitur, ergo ſi operatur vt concauſa principalis,* operatur immediatè per ſuum inſtrumentum. Imò non deeſt aliquis ex Recentioribus, qui dicat in his generationibus ſubſtantialibus ſolam fæminam concurrere actiuè immediatè.

* *operatur immediatè per ſuā formam vt per principiū principale: pater verò*

Opinio Recentiorum hac de re.

Quid ſit accidens operari vt instrumentū ſubſtantiæ.

14. Petes quid ſit accidens agere vt inſtrumentum ſubſtantiæ, & in virtute illius? Reſpondetur nihil aliud eſſe, quàm accidens coniungi ſubſtantiæ operanti, & per hanc coniunctionem reddi potens ad producẽdam formam ſubſtantialem, quam ſe ſolo non poterat producere. Agere autem in virtute ſubſtantiæ, non eſt accipere ab ipſa prius aliquam virtutem operandi diſtinctam á propria entitate; ſed eſt habere iſtam entitatem dependenter à ſubſtãtia; ita vt non poſsit agere, niſi aliquo modo priùs moueatur à ſubſtantia.

Agere in virtute ſubſtãtiæ quid.

Accidẽs extra ſubiectū an poſsit operari?

15. Petes ſecundò, vtrùm accidens poſitum extra ſubiectũ poſſit operari? Reſpondetur ſi accidens ponatur extra omne ſubiectum, non poſſe operari; ſi tamen vnum accidens corporeum maneat in quantitate, poterit operari ſaltem aliquos effectus; vt patet in accidentibus ſacræ Euchariſtiæ. Petes tertiò, vtrùm ſit poſſibilis ſubſtantia, quæ per ſe ipſam abſque ope alicuius potentiæ accidentalis à ſe diſtinctæ, ſit operatiua cuiuſcunque effectus? Negant aliqui, quia ita operari eſt proprium Dei. Alij affirmãt probabilius; quia ſicut forma ſubſtãtialis per ſe ipſam immediatè operatur ſuas proprietates, vt ſtatim dicemus; ita poterit dari aliqua ſubſtantia ita perfecta, vt per ſe ipſam ſit operatiua. Imò iam de facto dari exiſtimant omnes illi, qui non diſtinguunt potentias animæ ab ipſa anima, niſi tantùm virtualiter. Adhuc tamen inter Deum, & iſtam ſubſtantiam daretur maximum diſcrimen, quia Deus per ſe ipſum eſt operatiuus omnium effectuum, illa autem ſubſtantia eſſet tantùm operatiua aliquorum, & non omnium.

An ſit poſſibilis ſubſtãtia creata per ſe ipſam operatiua?

De principio, per quod ſubſtantia producit accidens.

CAP. III.

16. Accidentia ſunt in duplici genere, quædã enim ſunt proprietates; alia ſunt accidentia contingentia. De proprietatibus dico primò. In opinione, quæ tenet paſsiones emanare á proprijs ſubiectis, & vnam non emanare mediãte alia, quælibet ſubſtantia, etiam partialis, producit immediatè ſuas proprietates per ſe ipſam abſque vllo accidẽte intermedio. Fundamentũ eſt, quia ſi ad emanationes harũ proprietatum requiritur aliud accidens, etiam ad emanationẽ huius requiretur aliud, & ſic in infinitum. Deinde, quia frigus reſul-

Accidens duplex.

Prima cõcluſio.

Proprietates producuntur immediatè à ſubiectis.

Confirmatio.

tat

tat in aqua ſine aliquo interme- dio; ergo ſimiliter de reliquis proprietatibus dicendum.

17. Dubitabis an iſtæ emanationes proprietatum ſint veræ actiones? Reſpondetur affirmatiuè, quidquid Caietanus contradicat. Ratio eſt, quia per illas producuntur veri, ac reales termini, & à parte rei diſtincti à ſubſtantia; ergo per veras actiones, quæ tamen dicuntur emanationes, ſeu reſultantiæ quatenus non fiunt niſi præſuppoſita forma ſubſtantiali, & illa præſuppoſita naturaliter fluunt. Differunt autem ab alijs actionibus phyſicis, quia actiones phyſicæ, & earum termini præſupponunt agens iam conſtitutum in ſua perfectione naturali; at verò emanationes, & earum termini adhuc ordinantur ad cõſtituendum ſubiectum in ſua perfectione naturali, quæ illi natura liter debetur.

Emanationes ſunt veræ actiones.

Qua ratio ne differant à phyſicis actionibus.

18. Dico ſecundò. Accidentia contingentia, quando producũtur à ſubiectis, ſemper producũtur per alia accidentia. Hæc patet inductione; nam magnes attrahit ferrum per qualitatẽ quandam; homo non intelligit niſi per intellectum: ſol illuminat per potentiam illuminandi; & ſic de alijs ſimilibus. Deinde in quantitate Euchariſtiæ accidentia quę ibi ſunt, operantur alia ſibi ſimilia, verbi gratia: calor alium calorem, frigus aliud frigus, &c. ergo eodem modo operabantur quãdo ibi aderat ſubſtantia panis. Tertiò, quia ſubſtantia vt produ cat aliam ſubſtantiam, eget accidentibus; ergo etiam vt producat aliud accidens; nam reſpectu accidentis videtur magis improportionata; ergo debet proportionari per aliud accidens.

Secunda concluſio.

Accidens contingens producitur mediante alio accidente.

Ratio.

19. Dubium tamen eſt, vtrùm accidens in productione alterius accidentis ſe habeat vt inſtrumẽtum, vel potius vt cauſa principalis? Aliqui Thomiſtæ aſſerunt habere ſe tantùm vt inſtrumentum ſubſtantiæ. Probabilius alij dicunt eſſe principium principale *Quo*, reſpectu alterius accidẽtis, quod poteſt naturaliter producere. Nam intellectus, & volũtas concurrunt principaliter ad ſuos actus naturales, quia habent naturalem virtutem ad illos, & hæc virtus eſt commenſurata ipſis actibus. Deinde calor producit alium calorem ſibi æqualem in perfectione, & ſic de alijs ſimilibus accidentibus; ergo benè poteſt vnum accidens producere aliud tanquam cauſa, & principiũ principale. Neque obſtat, quòd illud non poſsit aliquando producere, ſine actuali concurſu ſubſtantiæ, vt accidit in potentijs vitalibus, quæ non producunt ſuos actus, ſine actuali concurſu animæ; nõ, inquam, obſtat, quia etiã cauſæ ſecundæ nihil poſſunt producere ſine Deo actualiter concurrente, & tamen quando operantur ſuos effectus, poſſunt illos operari tanquam cauſæ principales, ſi adſint conditiones requiſitæ ad cauſam principalem.

Dubium. Vtrùm accidens tũc ſit inſtrumẽtum, an cauſa principalis?

Reſponſio.

Ratio.

20. Accidentia verò, quæ poſſunt eſſe principia agendi ſiue principaliter, ſiue inſtrumentaliter, ſunt ſolæ qualitates, vt patebit diſcurrenti per nouem genera

Quæ accidentia ſint principia agendi.

ſumma accidenrium. Inter qualirates verò eriam dantur aliquæ, quæ non ſunt actiuæ, vt ſunt characteres, qui ad habitum reducũtur, forma, & figura. Quamuis hęc vltima aliquando ſit conditio renens ſe ex parte inſtrumenri, ad hoc vt artifex faciliùs operetur.

De cauſalitate cauſæ efficientis.

CAP. IIII.

Non eſt relatio.

21. Conſtat imprimis cauſalitatem cauſæ efficientis non eſſe relationẽ, quia hæc eſt poſterior actuali cauſalitate, & in illa fundatur. Alij aliter explicant hanc cauſalitatem, & non admittunt conſiſtere in actione. Dicendum tamen eſt cauſalitatẽ cauſæ efficienris eſſe actionem illam, per quam fit effectus tamquã per viam, & hanc eſſe actualem dependentiam, per quam effectus dependet actualiter à ſua cauſa. Ratio eſt, quia illud eſt actualis cauſalitas alicuius cauſę, per quod ipſa conſtiruitur actualiter cauſans; ſed cauſa efficiens conſtituitur actualirer cauſans per actionem, veluti per viam, quæ mediat inter cauſam, & effectum: ergo in actione conſiſtit cauſalitas cauſæ efficientis.

Variæ ſententiæ.

Cauſalitas efficientis eſt actio.

Ratio.

Dubium.

An in quouis effectu danda ſit duplex cauſalitas?

Reſponſio.

22. Petes vtrùm in productione cuiuſuis effectus danda ſit duplex cauſaliras, vna quæ ſe teneat ex parte effectus, altera ex parre cauſæ? Reſpondetur vnam tantũ dari cauſaliratem, ſeu actionem in productione cuiuslibet effectus, quæ prout egreditur ab agẽte dicitur illius cauſalitas, & prout ſe habet ex parre effectus, dicitur actualis dependentia à cauſa efficiente. Si aurem effectus recipitur in aliquo ſubiecto, dicitur paſſio, non eſt tamen cauſalitas materialis, vt aliqui volebant.

De efficientia cauſarum ſecundarum, & conditionibus, quas requirunt ad operandum.

CAP. V.

23 Certũ primò eſt cauſas crearas habere veram, ac propriam efficienriam erga effectus ſibi proprios, & connaturales, iuxra illud Geneſis: *Germinet terra herbã virentem*, & illud, *Producat terra animam viuentem.* Et iuxta verba Chriſti Domini Lucæ 21. *Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex ſe fructus.* Deinde, quia in igne Babylonico maximum fuir miraculum, quòd tres pueros non combuſſerit; ergo habebat virtutem ad illos comburendos. Tertiò, quia de fide eſt noſtras liberas actiones procedere á nobis effectiuè, alioqui ſequeretur ſolum Deum efficere noſtros actus peccaminoſos. Idem etiam oſtendunt varia organa, & potentiæ, quæ dantur à narura rebus naturalibus, ergo dãtur illis vt operentur.

Habẽt verã efficientiã.

Ratio ſacræ paginæ.

24. Vnde colliges, non ſolùm ſubſtantias ſpirituales, ſed etiam ſubſtãtias corporeas verè produ-

Subſtantiæ corporeæ habent veros effectus ſubſtãtiales.

cere

cere ſuos effectus. Imò de cauſis corporeis hoc nobis eſt magis notum; videmus enim vnum ignem generare alium ignem, & ſimiles alios effectus: ſubſtantiæ autem ſpirituales nobis ſunt magis ignotæ. Et ſi loquamur de effectibus ſubſtātialibus corporeis, ſolæ ſubſtantiæ corporeæ habent virtutē producendi aliam ſimiliter corpoream; & quamuis non poſsint producere materiam, poſſunt tamen producere formam ſubſtantialem; quod tamen non poſſunt facere ſubſtantiæ ſpirituales creatæ, niſi fortè applicando actiua paſsiuis.

Non ita ſpirituales creatæ.

25. Vt autem cauſæ ſecundæ actualiter operentur, præter propriam entitatem, & principia, per quæ conſtituuntur proximè aptæ ad operandum, requiruntur aliquæ conditiones; quarum prima eſt, vt cauſa efficiens habeat actualem exiſtentiam, vel per ſe ipſam, vel ſaltem per ſuum inſtrumentùm ſeparatum. Hæc eſt cōmunior Philoſophorū, ac Theologorum ſententia. Probatur verò, quia cauſa efficiens operatur per verum, ac realem influxum, & actionem: ſed hic non poteſt oriri niſi á cauſa realiter exiſtēte; ergo opus eſt vt cauſa efficiens realiter exiſtat. Quamuis autem pater iam demortuus dicatur generare filium, tamen exiſtit per ſuum inſtrumentum ſeparatum; et ſi hoc non extiterit, nulla dabitūr generatio. Imò iſta conditio eſt ita requiſita, vt neque etiam diuinitùs poſsit fieri effectus aliquis á cauſa efficiente non exiſtente. Vnde etiam Sacramēta nouæ legis, quæ per motum fiunt, & cauſant gratiam, vt inſtrumenta phyſica, habent eam exiſtentiam, quam poſſunt habere res ſucceſsiuæ, & ſic exiſtentia cauſant gratiam.

Conditiones requiſitæ vt cauſæ ſecundæ operentur. Prima.

Probatio.

26. Secunda conditio eſt, vt inter agens, & patiens detur aliqua diſtinctio à parte rei. Hæc tamē conditio non requiritur in omnibus cauſis, ſed in ijs tantùm, quæ operantur per motum phyſicum, & per actiones tranſeuntes. Vnde in hoc ſenſu dixit Ariſtoteles: *Nihilà ſe ipſo moueri*, id eſt motu phyſico, & actione tranſeunte: vt patet inductione in omnibus productionibus phyſicis. Ratio eſt, quia idem ſecundùm idem non poteſt ſimul eſſe in actu, & in potētia ad talem actum, quem teci pit per actionem tranſeuntem.

Secunda.

Ariſtoteles.

Ratio:

27. Quando autē aliquod agēs operatur immanenter, vel per naturales emanationes, tunc non repugnat idem ſimùl eſſe agens, & patiens, ſaltem immediarum: nam intellectus, & voluntas operantur immediatè ſuos actus, & ſimul illos recipiunt. Similiter ab anima rationali emanat intellectus, & in eádem anima recipitur. In Angelis etiam intellectus emanat à ſubſtantia angelica, & in eádem recipitur. Deinde actus appetitus ſenſitiui eliciuntur immediatè ab illo, & in illo recipiuntur. Imò in motibus Angelorū, cauſa principalis, & totalis illorū, quæ eſt ſubſtantia angelica, non diſtinguitur à ſubiecto talis motus, quod eſt ipſa ſubſtantia Angeli. Vnde etiam in his motibus nō habet verū illud axioma, *Quod mouetur, ab alio mouetur.*

27. Atque

Prima collectio.

Corollaria aliquot.

28. Atque hinc colligitur primò non eſſe opus vt cauſa efficiens diſtinguatur ſuppoſito à patiente. Colligitur ſecundò, quamuis eadem res poſsit aliquando ſimul eſſe cauſa efficiens, & ſubiectum, non poſſe tamen ſimul eſſe cauſam, & effectum, ſaltem naturaliter loquendo, quia inter cauſam, & effectum debet dari dependentia: ſed nihil poteſt pendere, à ſe ipſo naturaliter; ergo nihil poteſt eſſe ſimul cauſa, & effectus ſui ipſius.

Secunda.

Tertia conditio.

29. Tertia conditio eſt, vt cauſa efficiens ſit ſufficienter approximata paſſo, nam omne, quod mouet, neceſſariò debet eſſe ſimul cum eo, quod mouetur, & nihil poteſt operari in rem diſtantem non operando priùs aliquid in propinquũ. Alioqui fruſtra præſcriberetur cauſis naturalibus certa, ac determinata ſphæra actiuitatis. Et hæc eſt etiam ratio cur natura tantopere vacuum exhorreſcat, quia ſi daretur vacuum, nõ poſſent cæleſtes orbes in hæc inferiora trãſmittere ſuos influxus, neque per ſuam virtutem appropinquare rebus ſublunaribus.

Cur natura vacuũ ex horreſcat.

Dupliciter poteſt agẽs eſſe proximũ paſſo.

30. Dupliciter autem poteſt agens eſſe proximum paſſo; nam vel poteſt eſſe ita proximum, vt ſit illi coniunctum, & contiguum, poſsitque in illud operari immediatè immediatione ſuppoſiti. Vel poteſt eſſe proximum paſſo, ſi nõ per ſe ipſum, ſaltem per ſuam virtutem. Et aliqua ex his approximationibus requiritur, ſaltem in connaturali modo operandi. Vnde colliges agens naturale nihil poſſe operari in paſſum diſtans, quando nihil poteſt operari in proximum. Qua ratione Sol nihil poſſet operari in hæc inferiora, ſi in tertio cælo non produceret lucem. Non tamen opus eſt, vt agens, quod operatur immediatè ſolũ immediatione virtutis, producat omnes actiones, & effectus in omnibus corporibus intermedijs; verbi gratia, Sol ad hoc vt producat in terra varias qualitates, non eſt opus vt omnes illas producat in cælo, ſed ſatis eſt, quod producat lucem in omnibus: deinde reliquas qualitates poterit producere in ſublunaribus, quamuis illas non producat in cæleſtibus, quia non ſunt capacia talium qualitatum; at verò cauſa operãs accommodatur capacitati ſubiectorum.

Quæ approximatio requiratur.

Agens in remotũ per corpora intermedia multas elicit actiones.

31. Aduertendum tamen eſt, quando agens operatur per corpora intermedia, tot ibi dari actiones totales, quot ſunt ſubiecta diſtincta; ſicut etiam tot ſunt termini, verbi gratia, luces. Dubium tamen eſt, vtrùm omnes iſtæ actiones oriantur immediatè á cauſa principaliter operante, & ab illius forma ſubſtantiali, & á potentia mediante qua operatur: an potius talis cauſa producat immediatè primam lucem, verbi gratia; & poſtea, mediãte illa luce tamquam inſtrumento, producatur alia lux numero diuerſa in alio corpore, & ſic de reliquis? varij ſunt hac in re dicendi modi. Primus eſt cauſam operãtem ſolùm producere primam qualitatem, v. g. lucem, & hanc veluti inſtrumentum ſeparatum producere aliam, &c. Hic tamẽ dicendi modus

Dubium.

Varij modi philoſophãdi circa has diuerſas actiones.

Primus modus dicendi.

Reijcitur.

Digitized by Google

dus non placet, quia videmus in aëre vicino aliquando eſſe minorem lucem,& in ſpeculo eſſe maiorem: ſed minor lux non poteſt producere maiorem;ergo,&c.

Secundus dicendi modus.

32. Secundus modus eſt, ſi dicamus agens remotum coniungendo ſibi lucem, quam primò produxit ſimul cum illa, vt cum inſtrumento coniuncto, agere in paſſum diſtans,ita vt iſta actio in paſſum oriatur immediatè à cauſa longè diſtante, & ſimul ab inſtrumento, quod eſt proximum, & non agit, niſi in virtute cauſæ principalis. Tertius dicendi modus eſſe poteſt,quòd agens remotum per ſuam virtutem,& potẽtiam agat immediatè in omnia corpora, quæ manent intra propriam ſphæram, neque ad hanc actiuitatem vtatur qualitate iam producta, vt inſtrumento, ſed tãtùm illam requirat vt conditionem, ſine qua non poſſet ſuam actiuitatem diffundere vſque ad paſſum. Et ita ſufficiẽs ratio redditur illius maioris lucis, quã videmus communicari Lunæ à Sole,quam non communicat partibus cæli ſecundi,licet ſint proximiores. Et ratio eſt, quia Sol in operando accommodatur capacitati ſubiectorum, & producit in illis maiorem,vel minorem effectum,pro varia capacitate ſubiecti,& ſimiliter ſe res habet in ſpeculo,quia eſt ſubiectum capacius.

Tertius dicendi modus.

Argumenta in contrarium ſoluuntur.

33. Contra hanc doctrinam fieri ſolent aliqua argumenta,per quæ videtur probari, poſſe aliquod agens operari in diſtãs,quin operetur in propinquum, v. g. magnes attrahit ferrum è longinquo; ſuccinum trahit paleas; faſcinantes inducunt ægritudines in corpora puerorum præſertim; Torpedo reddit piſcatoris brachium immotum; remora detinet nauem Indicam,licet feratur plenis velis; Baſiliſcus ſolo viſu enecat. Et ſimilia. Reſpondetur tamen omnia iſta fieri per qualitates intermedias, quæ diffunduntur per medium,quouſque perueniant ad paſſum. Phantaſia verò, quamuis aliquo modo appetitũ moueat ad operandum, non illũ mouet effectiuè, vt eſt probabilius, ſed per ſolam ſympathiam potentiarum,& tanquam conditio, ſine qua appetitus non moueretur. Hæc tertia conditio,de approximatione agentis ad paſsũ, non eſt ita neceſſaria, vt nõ poſſit Deus eleuare aliquam cauſam vt inſtrumentum ad agendum in remotum, quin operetur in propinquum, quia in hoc nulla cernitur cõtradictio,& ſufficit,quód ibi adſit cauſa principalis,quæ eſt Deus,ſicut aliquãdo ſufficit præſentia inſtrumenti, vt cauſa principalis dicatur operari.

Reſponſio ad argumenta.

Phantaſia quomodo moueat appetitum.

Approximatio poteſt a Deo ſuppleri.

34. Maius dubium eſt, vtrùm Deus poſsit efficere, vt cauſa aliqua ſecunda intra ſuam ſphæram operetur in partem remotam nihil operando in propinquam, & tamen adhuc operetur, vt cauſa principalis? Negant omnes illi, qui dicunt non poſſe inſtrumẽtum etiam diuinitus agere in remotum, ſi non operetur in propinquum. Probabilius tamen eſt poſſe hoc fieri à Deo, dummodo cauſa operetur intra terminos ſuę actiuitatis. Et ratio eſt,quia intra

Cauſa operans in remotum, & non in propinquum poteſt eſſe principalis.

hos

hos terminos poteſt Deus concurrere cum iſta cauſa ad producendum aliquem effectum in vno ſubiecto, & poteſt velle non concurrere ad producendum effectum in alio, quod ſit intra eãdem ſphæram; nam iſtæ actiones non ſunt eſſentialiter ſubordinatæ; ergo poteſt vna fieri ſine alia.

Probatio aliquorum circa operationem Dei.

35. Alij probant, quia ſi Deus non eſſet vbique, adhuc poſſet vbique operari vt cauſa principalis, ergo etiam poterit efficere, vt cauſa ſecunda principalis operetur vbi non eſt. Hoc tamen fũdamentum eſt omnino falſum;

Deus ſi non eſſet vbique non operari poſſet vbique.

nam ſi Deus non eſſet vbique, nõ poſſet operari vbi non eſſet, vt colligitur ex multis locis ſacræ paginæ. Et quamuis illud in Deo concederemus, non inde ſumitur efficax argumentum ad cauſas creatas, quæ habent virtutem limitatam in operando.

In quibus cauſis colligatur earũ præſentia ex operatione.

36. Iuxta hactenus dicta, colliges primò ex præciſa operatione alicuius cauſæ, etiam principalis, in aliquo loco non colligi eius præſentiam in tali loco, vt patet in omnibus cauſis, quæ operantur per inſtrumenta ſeparata. Illa verò agentia, quæ operantur per inſtrumentum coniunctum, rectè colliguntur exiſtere actualiter, ex actuali operatione, non tamen in eo loco, in quo operantur, quia debent actualiter influere in inſtrumentum coniunctnm; non tamen eſt opus, vt ſint ſimul cũ paſſo; qua ratione piſcator trahit è fluuio piſcem, cum tamen ſit extra fluuium.

Secunda collectio.

Colliges ſecundò ex præciſa ratione agendi in aliquo loco non colligi præſentiam primæ cauſæ in eodem loco, quia de ratione agentis in communi non eſt, vt ſit præſens in eo loco, in quo operatur.

Ex operatione Dei colligitur eius præſentia.

37. Tamen ex operatione Dei, quatenus eſt primum agens, & quatenus vt tale operatur, optimè colligitur eius præſentia in rebus, ſiue iſta collectio fiat á priori, ſiue à poſteriori. Fundamentum eſt, quia modus, quo Deus ad extra operatur, eſt perfectiſsimus quantum eſt ex parte agentis, neque Deus operatur per virtutem aliquam à ſe diffuſam, ſed per ſuammet eſſentiam, & immediatè immediatione ſuppoſiti; ergo ex hoc modo operandi rectè poteſt colligi pręſentia Dei in rebus, quando in illis actualiter operatur.

De diſsimilitudine requiſita inter agens, & patiens.

CAP. VI.

Simile non poteſt agere in ſimile.

38. HÆc eſt quarta conditio requiſita, vt agẽs operetur. Dicunt enim communiter philoſophi vnũ ſimile non poſſe agere in ſubiectum ſimile ſibi in ea forma, quã agens poteſt producere; v. g. ignis non poteſt aliquid caloris producere in ſubiectum, quod iã habeat tot gradus caloris, quot ſunt in igne.

Ratio.

Fundamentum eſt, quia agens, quod operatur, eſt in actu, ſubiectum vero, quod recipit, eſt in potentia: ſed illud, quod eſt in actu, & quod eſt in potentia, neceſſariò ſunt inter ſe diſſi-

milia;ergo agens, & paſſum non poſſunt eſſe ſimilia ſaltē in principio actionis. In termino autem nullum eſt inconueniens, ſi ſint ſimilia,quia omne agens intendit aſsimilare ſibi paſſum. Atque hęc ratio præcipuè habet locum in cauſis vniuocis, & ſuo modo poteſt etiā aptari æquiuocis,quæ ſolū continēt eminēter illas formas, quas producunt in paſſo, & ideo non requirunt formalē diſsimilitudinem,ſed tantùm eminentialem,& quòd forma producenda non ſit priùs in paſſo.

Duplex diſſimilitudo, & quæ requiratur.

39. Cū verò etiam in cauſis vniuocis duplex poſsit dari diſsimilitudo reſpectu paſsi, vna per exceſſum,quia paſſum habet plures gradus illius formæ, quàm agens poſsit producere; altera per defectum, quia paſſum vel nullum habet gradum formæ producendæ, vel habet pauciores. Dubitabit aliquis, vtrùm ſufficiat prima diſsimilitudo,vt agens poſſit operari? Reſpōdetur negatiuè, quia agens non poteſt producere plures gradus formæ, quàm in ſe habeat, & ideo ſi paſſum habuerit plures gradus,nihil ibi operabitur agēs diſsimile primo modo.Diſsimilitudo igitur, quæ requiritur,& ſufficit,eſt diſsimilitudo ſecundo modo ſpectata.Imò ſi agens ſit æquale paſſo in gradibꝰ formæ producendæ,nihil poterit de nouo producere.

Quæ diſſimilitudo ſufficiat inter agens, & paſſum.

Opinio aliquorum, ſimile poſſe agere in ſimile.

40. Contra hanc doctrinā opinantur aliqui recentiores ſimile poſſe agere in aliud omnino ſimile,ſaltem in aliquibus caſibus. Nā ferrum calidum vt ſex producit ignem in ſtupa,qui nō poteſt generari,niſi priùs in materia producātur octo gradus caloris. Reſpondetur tamen in ferro latere minutiſsimas partes ignis , quæ generant alium ignem. Reſpondetur ſecundò nō eſſe opus vt in ſtupa producātur octo gradus caloris,ad hoc vt ibi generetur ignis, ſed cum ſit ſubiectū maximè ſiccū,& rarū; ſufficient ſex gradus ad generandū ibi ignē.Deinde probant, quia radij ſolares tranſeūtes per vitrum concauū generant ignem in corpore approximato: ſed ad generandum ignē requiritur maior calor,quā ſit in aere intermedio; ergo tunc iſte calor minor,qui eſt in aere, producit maiorē calorē in ſubiecto, in quo generatur ignis. Reſpōdetur illū ignē generari á Sole, vt à cauſa prīcipali æquiuoca; cauſa autē æquiuoca nō eſt opus vt habeat formalē ſimilitudinē cū paſſo.Tertiò afferūt exemplū de aquæ guttulis, quæ ſæpè cadēdo cauant lapidē; & de formicis, quæ in ſaxo duriſſimo viam cōſtruunt. Hæc tamē facilis ſunt ſolutionis.

Primum fundamentū & ſolutio illius.

Secunda obiectio.

Solutio.

Tertia obiectio.

41. Negandum tamen non eſt quando calor, v. g. vt quatuor exiſtit in materia denſiori, augeri illius virtutem agendi extenſiuè, licet non augeatur intenſiuè; nūquam enim calor vt quatuor producet calorē, niſi vt quatuor: ſi tamen ſit in ſubiecto denſiori, extendet ſuam actionem in longius ſpatiū, & maiori cum celeritate operabitur; quia in hoc ſenſu dici ſolet. *Virtus vnita fortiùs agit*.Et ad hanc maiorem extenſionem, & celeritatem iuuant plures partes quantitatis , in quibus calor

Calor in materia dēſiori habet extenſiorē ſphæram.

Quomodo virtus vnita fortiùs agat.

inſidet quando ſubiectū eſt denſius. Et hoc ipſum habet verum, quando plura agentia eiuſdē acriuitatis coniunguntur in eodem loco, vel quando vni accreſcunt nouæ partes quantitatis.

De antipariſtaſi, & qua ratione fiat.

42. Dices. In antipariſtaſi idē calor intendit ſe ipſum, & minor qualitas producit maiorem; ergo ſimiliter poterit agens cum minori qualitate producere maiorem, ſaltem in aliquibus euentis. Antecedens probatur multis experimentis; nam aqua putealis verno tempore eſt frigidior propter viciniam aeris calidi circumiacentis: ſed hoc maius frigus non poteſt prouenire à calore aeris; ergo prouenit á minori frigore, quod habebat aqua hiberno tempore. Et ſic in alijs ſimilibus.

Quomodo fiat antipariſtaſis.

43. Hoc argumentū petit, vt explicemus breuiter quomodo fiat antipariſtaſis. In qua difficultate ſupponendū eſt vt certum, quãdo vna qualitas per antipariſtaſim intēditur, dari ibi veram, ac realem intenſionē, per additionē gradus ad gradū. Secundò certū eſt, cauſam per ſe huius maioris intēſionis nō eſſe formam circumiacentem, v. g. calorem, quia calor non poteſt per ſe eſſe cauſa frigoris. Ad ſummum igitur poteſt eſſe cauſa per accidens, & occaſio, vt ab alia cauſa producatur maior qualitas in ſubiecto.

Cauſa antipariſtaſis.

44. Notandum deinde qualitates, quæ in ſubiecto producuntur, & intendūtur per antipariſtaſim, vel eſſe ſubiecto naturales, & proprietates naturaliter emanãres á propria forma ſubiecti, vt eſt frig° reſpectu aquæ; vel eſſe ſubiecto repugnantes, vt eſt calor reſpectu eiuſdē aquæ. Dico ergo. Quando forma, quæ per antipariſtaſim intēditur, eſt connaturalis ſubiecto, iſta maior intenſio prouenit proximè à forma talis ſubiecti, & remotè tribuitur etiam generanti. Quod eò melius fit, quò magis remouentur impedimēta, quæ poſſunt impedire talē reſultantiam. Vnde prouenit, quod aqua æſtiuo tēpore reddatur frigida, quia cum calor vicinus rarefaciat partes aquæ priùs, eſt in cauſa vt exeãt illę exhalationes calidæ, quæ ipſã calefaciebãt hiberno tēpore, & tūc aqua relicta ſuæ naturæ ſe reducit ad ſuum frigus connaturale, quod veluti proprietas reſultat á propria forma aquæ; & ſic in alijs ſimilibus.

Concluſio.

Cur aqua æſtiuo tempore ſit frigida.

45. Quando autē qualitas, quæ per antipariſtaſim intenditur, eſt cōtra naturam ſubiecti, tūc variæ poſſunt eſſe cauſæ illius maioris intēſionis. Nã quando exhalationes, terreę aſcēdunt, & deueniūt ad ſecundã aeris regionē, ibique aliquando ita incaleſcūt propter viciniam frigoris illius regionis, quæ eſt maximè frigida, vt multoties ignem concipiant: cauſa huius maioris caloris nō eſt frig° vicinum, neque calor minor, qui antea erat in exhalationibus, ſed ſunt aſtra ipſa, quæ tales exhalationes euocarunt, & poſtquã illas in ea regione inueniunt dēſiores & capaciores caloris, illis maiorē imprimunt calorem.

Aqua putealis in hyeme eſt calidior.

46. Similiter aqua putealis hyeme eſt calidior, quia ſeruat intra, & circa ſe exhalationes

calidas,

calidas, quæ ipſam calefaciunt. Secunda aeris regio eſt maximè frigida propter natiuum frigus, quod accepit in prima orbis molitione, vt ibi conficerentur pluuiæ, & grandines. Accedunt etiam plures exhalationes, quæ è terra aſcendentes, vbi primum ad illum locum perueniunt, amittunt calorem, & redduntur ad priſtinum frigus, ac vicinum aerem frigefaciunt. Et ſimiliter philoſophandum eſt de alijs ſimilibus experimentis.

Ratio.

Proponitur argumentũ de actione reflexa.

47. Obijcies ſecundò. Datur actio reflexa, in qua minor qualitas intendit maiorem, nam radij ſolares incurrentes in ſpeculum reflectunt, & intendunt illam lucem, quæ erat in aere vicino: ſed radij reflectentes ab ſpeculo, cum longiùs diſtent à Sole, habẽt minorem lucẽ, quám habeat aer vicinus ſpeculo, quia eſt proximior Soli; ergo minor qualitas poteſt intendere maiorem. Idem etiam accidit in ſpeciebus viſibilibus, quæ reflectũt ab ſpeculo, & in ſpeciebus auditus reflectentibus ex aliquo loco terſo, & concauo, quod vulgo appellamus, *Echo*.

Variæ ſolutiones.

48. Variæ ſolutiones huic argumento adhibentur; quidã abſolutè concedunt actionẽ reflexã ita fieri, vt ſumitur in argumẽto: & vnam qualitatem minorem intendere maiorem, non quidem per ſe, ſed quaſi per accidens. Hæc tamen ſolutio iam admittit plura abſurda. Primum eſt, idem poſſe agere ĩn ſeipſum. Secundum eſt, poſſe vnum agens cum minori qualitate intendere maiorem. Ideo alij reſpondent corpus illud, in quo fit reflexio, maiorem accipere qualitatem ab agente principali, quia eſt capacius, & ita cum illa maiori qualitate intendere aliam, quæ eſt in ſubiecto vicino, & hanc ſecundam actionem vocari reflexam, non quòd oriatur immediatè à primo luminoſo verbi gratia, ſed quia oritur à ſubiecto iam illuminato per primam actionẽ. Alij aliter reſpondent.

Reſponſio aliorum.

Probabilior reſponſio.

49. Reſponderi etiam poteſt, & fortaſſe probabilius, illud corpus, in quo fit reflexio, ſimul cum primo agente, verbi gratia luminoſo, eſſe cauſam adæquatam, & immediatam illius reflexionis, & intenſionis qualitatis, quæ producitur in medio, & vtrumque ſimul coniunctum efficere illam maiorem intenſionem, quam vnumquodque per ſe non poſſet efficere. In quo euentu eadem qualitas non intendit ſeipſam, ſed intenditur á principali agente, ſimul operante cum ſubiecto, à quo incipit reflexio. Aliæ autem reflexiones, quæ fiunt per impulſum, ſolùm prouèniunt effectiuè à proijciente, vt eſt verbi gratia reflexio pilæ ad parietem adactæ, obſtaculum verò ſolùm concurrit vt impediens vlteriorem motum; & fortè idem accidit in *Echo*, aer enim motus à vociferante incurrit in corpus aptum ad reflectendum, & ſimul reflectitur cum ſpeciebus ſoni, & vel per ſe ipſum, vel per ſpecies ſoni reuertitur ad aures clamantis: & tunc fit ſonus ille, qui vulgò dicitur *Echo*.

ſaltem dũ perſeuerat actio creatiua. Vnde ſi Deus producat accidens extra omne ſubiectum, illa actio erit etiam creatiua.

4. Dubium tamen eſt, vtrùm creatio ſit aliquid manens in ipſo Deo, an ſit aliquis influxus creatus ad extra? Thomiſtæ communiter aſſerunt actionem creatiuã eſſe aliquid manens in ipſo Deo, neque à parte rei diſtingui ab omnipotentia Dei, vt actualiter operante. Probabilius tamen eſt actionem creatiuã eſſe aliquid, creatum, & efficientiam quamdam extrinſecam Deo, & realiter idẽtificatam cum effectu, qui creatur; ſicut reliquæ actiones cauſarum ſecundarum non ſunt aliquid in ipſa cauſa, præſertim quando tranſeunter operatur, ſed aliquid realiter identificatum cũ effectu, & habent agentia ſolùm vt ſubiecta denominationis. Ratio eſſe poteſt, quia creatio eſt formalis dependentia, per quam res creata actualiter pendet à Deo: ſed dependentia habet ſe ex parte rei dependentis; ergo creatio identificatur cum effectu, & non cum Deo.

Creatio nõ eſt aliquid manens in ipſo Deo, ſed eſt aliquid in re creata.

Ratio.

5. Hinc colliges creationem non eſſe relationem aliquam, vt aliqui voluére. Colliges ſecundò dependentiam creatiuã non habere propriam rationem mutationis, quia non ſupponit ſubiectum, quod mutetur ex vna forma ad aliam, ſed dat æquè primò totum eſſe rei. Poteſt tamen dici mutatio latè, & impropriè, ſi mutatio ſumatur pro quauis actione, quæ aliquam nouitatem ponit in effectu. Colliges tertiò creationi non reſpondere paſſionem, cum nullum habeat ſubiectum, ex quo fiat.

Creatio nõ eſt relatio, nec mutatio in rigore.

Non ei reſpondet paſſio.

6. Petes vtrùm creatio conueniat ſoli Deo, ita vt non poſſit cõmunicari alicui creaturæ? Reſpõdetur ſi loquamur de creatione, quæ fiat virtute propria, & tamquam à cauſa principali, ſoli Deo conuenire, nec poſſe dari creaturam, quæ tamquam cauſa principalis poſſit exercere creationem. In hac doctrina conueniunt omnes ferè Theologi. Reddere tamẽ rationem illius, non eſt ita facile. Communior ratio, quæ affertur, eſt quia cauſæ naturales cum habeant virtutem finitam, ac limitatam, non operantur, niſi ex præſuppoſito ſubiecto, vt verò aliquid creetur, & fiat ex nihilo, præſupponit in cauſa principali virtutem omnino independentem, & operantem independenter ab omni ſubiecto: ſed virtus ita operans eſt virtus tantùm diuina, & infinita; ergo nulla cauſa creata poteſt dari, quæ vt cauſa principalis poſſit aliquid creare.

An poſſit communicari creaturæ?

7. Vtrùm verò creatura aliqua poſſit aſſumi vt inſtrumentum ad creandum, & eleuari ſimul cum Deo, vt tamquam cauſa inſtrumẽtalis ipſius producat per creationem aliquem effectum? eſt magis dubium, & pro vtraque parte ſunt acerrimi propugnatores. Infra tamen agendo de inſtrumentis diuinis, quæſtionem reſoluemus in partem affirmantem.

Poſſit ne creatura aſſumi vt inſtrumentũ à Deo ad creationem?

De rerum conſeruatione.

CAP. II.

Quid ſit cõſeruatio.

8. *Conſeruatio eſt perpetua quadam, & continua dependentia, per quam effectus aliquis pendet à ſua cauſa in ſua actuali exiſtentia, ita vt ſine perpetuo influxu cauſæ conſeruari nequeat.* Certum ergo eſt de fide omnia entia creata pendere in ſuo eſſe, & exiſtentia à diuina conſeruatione, & influxu, ita vt ſi Deus rem aliquam deſinat conſeruare, ſtatim redigatur in nihilum.

Deus omnia in ſuo eſſe conſeruat.

Fundamẽtum.

Fundamentum eſt, quia quando aliquid eſt cauſa alicuius effectus in fieri, non poteſt manere ipſum fieri, ceſſante actione cauſæ; ergo etiam quãdo aliquid eſt cauſa per ſe, & eſſentialiter requiſita ad effectum, nõ poteſt manere talis effectus ſine actuali actione cauſæ: ſed Deus eſt cauſa eſſentialiter requiſita ad effectus creatos, qui ab illo pendent eſſentialiter: ergo tales effectus non poſſunt in ſua exiſtentia perſeuerare, ſi á Deo non conſeruentur.

An cauſæ ſecundæ etiam conſeruent ſuos effectus?

9. Dubium tamen eſt, vtrùm res omnes á ſolo Deo conſeruẽtur, vel vtrùm etiam ad illarũ cõſeruationem concurrant aliæ cauſæ ſecundæ? Reſpondetur etiam ad conſeruationem plurium rerũ concurrere ſimul cum Deo aliquas cauſas ſecundas. Verbi gratia, lux pendet in fieri, & conſeruari à luminoſo; ſpecies impreſſæ, & expreſſæ pendent in fieri, & conſeruari, á ſuis cauſis ſecundis; & ſic de alijs ſimilibus accidentibus. Et generatim loquendo ſolet aſsignari hæc communis regula ad dignoſcendos effectus, qui pendent in fieri, & in conſeruari á cauſis ſecundis.

Effectus vniuocus non pendet in conſeruari à cauſa vniuoca, & cur.

Quotieſcumque effectus aliquis procedit à cauſa vniuoca creata, etiam ſi pendeat in ſuo fieri ab illa, non pendet in ſuo conſeruari, ſed cõſeruatur à ſolo Deo. Et ratio videtur eſſe, quia cauſa vniuoca producit effectum ſibi ſimilem, & ideo poſtquam illum primò produxit, iam non habet amplius quid illi conferat, & ideo talis effectus manet extra dominiũ cauſæ creatę, nõ verò extra dominiũ cauſæ primæ, á qua eſſẽtialiter pẽdet.

Ex effectibus æquiuocis quidam pendẽt in conſeruari, quidam non.

10. Ex effectibus verò æquiuocis quidam pendent tantùm in fieri, alij etiã in conſeruari á cauſis ſecundis; verbi gratia habitus naturales voluntatis, & intellectus ſunt effectus æquiuoci, & pẽdent ſolùm in fieri à potentijs, & non in conſeruari; actus verò potentiarum vitalium ſunt etiam effectus æquiuoci, & pendent à potentijs tam in fieri, quám in conſeruari.

Ratio.

Ratio huius diuerſitatis ſumenda eſt ex ipſa intrinſeca natura effectuum; nam actus vitales vt plenè, & perfectè informent potentiam, exigunt facultatem actualiter influentem: ergo ſi potentia deſinat influere, deſinent etiam informare. Habitus verò non ita ſe habent, quia dantur per modum potentiarum, vt iuuent intellectum, & voluntatẽ quando opus fuerit. Quod etiam habet locum in ſpeciebus intelli-

gibilibus

Digitized by Google

gibilibus intellectus; ſpecies verò impreſſæ ſenſuum externorũ dãtur tantùm ad cognoſcendum obiectum in præſentia, & ideo pendent ab obiectis in fieri, & conſeruari.

Subſtantia creata non pendet immediatè in ſuo conſeruari ab alia cauſa ſecũda.

11. Ex dictis colliges cum Soario, & alijs nullam ſubſtantiam creatam pendere in ſuo conſeruari ab alia cauſa efficiente ſecũda immediatè, ſed omnes pendere à ſolo Deo, vt patebit percurrenti ſingulas ſubſtantias creatas. Hoc tamen non tollit, quòd ſubſtantiæ corruptibiles poſsint dici aliquo modo improprio, & mediato conſeruari ab aliquibus diſpoſitionibus, v. g. à tali temperie quatuor qualitatum, quæ dũ perſeuerat proportionata in compoſito corruptibili, eſt occaſio, vt Deus illud conſeruet: ea verò deſtructa, ſtatim Deus deſinit conſeruare totum. Similiter illæ cauſæ, quæ talem temperiem producunt, vel conſeruant, & ab hoſtibus defendunt, dicuntur etiam aliquo modo concurrere ad conſeruationem indiuidui.

Quomodo ſubſtantia corruptibilis pendeat in conſeruari à qualitatibus.

Prima rei productio, & conſeruatio quomodo diſtinguãtur.

12. Dubitatur vltimò, quomodo conſeruatio diſtinguatur à prima rei productione, ſiue iſta productio ſit creatio, ſiue generatio? Reſpondetur, quando res ſimul producitur, & conſeruatur ab eadem cauſa, tunc primam productionem, & conſeruationem eſſe vnam, & eamdem actionem à parte rei continuatam, & ſolùm diſtingui penes connotata. Quãdo verò res producitur ab vna cauſa, & conſeruatur ab alia, tunc prima productio, & conſeruatio ſunt diuerſæ actiones ſaltem numerice, propter diuerſa principia, à quibus oriuntur.

Reſponſio.

DE COOPERATIONE CAVSÆ Primæ, cum ſecundis.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnes cauſæ efficientes ſecundæ Deo eſſentialiter ſubordinentur?

CAPVT I.

Quid ſit ſubordinatio cauſarũ.

1. Subordinatio cauſarum nihil aliud eſt, quàm vnam nõ poſſe operari, niſi dependenter ab alia. Quãdo iſta ſubordinatio talis eſt, vt aliunde poſsit ſuppleri, appellatur ſubordinatio non eſſentialis. Quando autem vna cauſa ita eſt alteri ſubiecta in operando, vt nullo modo poſsit ſine illa operari, iſta ſubordinatio dicitur eſſentialis. Rogamus igitur in præſenti, vtrùm omnes cauſæ ſecundæ in operando ſubordinentur primæ in hoc poſteriori genere ſubordinationis? Qua in re certum de fide eſt

Deus influit in omnes actiones causarum secundarũ, quę Deo essentialiter subordinantur.

Deum influere immediatè, ac per ſe in omnem actionem cauſarum ſecundarum, & cauſas ſecundas tam in eſſendo, quàm in operãdo eſſe ſubordinatas cauſæ primæ eſſentialiter; ita vt ſine illa non poſsint efficere aliquem effectũ poſitiuum, ac realem. In quo ſenſu dixit Diuus Paulus prima ad Corinth. capite duodecimo, de Deo loquens: *Qui operatur omnia in omnibus.* Et Ioannes capite primo: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Ratio autẽ eſt, quia omne eſſe creatum, eſt eſſe participatum à diuino eſſe, & eſſentialiter à Deo dependẽs; ergo neque poteſt fieri, neque conſeruari ſine ipſo Deo; qui, ſicut poteſt omnia creata in nihilum redigere, ita opus eſt vt omnia producat, & conſeruet. Secũdò probatur, quia omnes cauſæ creatæ non ſolùm in eſſendo, ſed etiam in operando, pẽdent eſſentialiter à Deo; ergo nihil poſſunt agere, nec operari ſine illo actualiter concurrente.

Confirmatur.

2. Propter hæc malè audit Durandus in 2. diſtinc. 1. quæſt. 5. & diſtinc. 37. quæſt. 2. & alij ante illum, qui aſſerebant Deum per ſe, & immediatè non concurrere ad effectus, & actiones cauſarum ſecundarum. Fundamenta huius ſententiæ non poſſumus hic in tam breui epilogo proponere, ſed ex dictis, & ex infra dicendis ſolui poſſunt.

Opinio Durandi.

Quomodò Deus tribuat ſuum actualem concurſum cauſis ſecundis.

CAP. II.

3. Inter cauſas ſecundas, quædam cum libertate, quædam ſine libertate operantur. Illæ, quæ operantur ſine libertate, aliter dicuntur cauſæ liberæ. Explicare igitur quomodo Deus tribuat ſuum actualem concurſum cauſis naturalibus, facilius eſt, quàm explicare quomodo illum tribuat liberis. Quod ergo attinet ad cauſas naturales ſic ſe habet res. Sicut Deus ab æterno decreuit iſtas omnes, & ſingulas cauſas naturales producere in particulari, & tali, vel tali tempore, cum tali, vel tali ordine; ita etiam decreuit cum ijſdem concurrere ad earum actiones, iuxta cuiuſuis capacitatem, idque non ſolùm in generali, ſed ad omnes in indiuiduo; nam ſcientia Dei cum ſit infinita, omnes circumſtantias, & naturales inclinationes, & occaſiones præuidit, in quibus cauſæ naturales de facto operantur, atque ita etiam ab æterno voluit cum illis concurrere hìc, & nunc, & ex vi huius decreti, ſeu voluntatis applicat ſuam omnipotentiam in tali, vel tali tempore, vt cum cauſa ſecunda eliciat eamdem actionẽ, & eumdem effectum, quem ipſa elicit.

Cauſæ ſecundæ ſunt vel liberæ, vel naturales.

Deus quomodo tribuat ſuum concurſum cauſis naturalibus.

4. Quamuis autem Deus tribuat liberè iſtum cõcurſum cauſis naturalibus, tamen dicitur cũ iſtis cauſis concurrere vt autor naturæ, quia in concurrendo ſeſe accommodat naturis cauſarum,

Deus in quo ſenſu dicatur cõcurrere vt Auctor naturæ.

Duplex acceptio diuini concurſus.

ita vt cum igne producat ignem, cum equo producat equum,& ſic in alijs. Iſte autem cõcurſus Dei, vel poteſt ſumi in actu primo, vel in actu ſecundo,& vt iam præſtitus. Primo modo nihil aliud eſt, quàm determinata voluntas Dei, vt actualiter concurrat in tali,vel tali tempore cum cauſa ſecunda. Secundo autem modo ſpectatus eſt illamet actio,quæ egreditur ſimul à Deo,& à cauſa ſecunda.

Aliter patat concurſum cauſis liberis ꝗ atque cauſis naturalibus.

5. In tribuendo autem,& præparando actuali concurſu cauſis liberis, & quæ liberè operantur, aliter ſe res habet. Nam Deus ex vi voluntatis,qua ſtatuit præbere cõcurſum cauſæ liberæ, non omnino abſolutè ſtatuit, vt cauſa libera illum actum exerceat, ſed quaſi ſub cõditione vult illũ actũ fieri,nimirũ ſi volũtas creata pro ſua libertate ad illũ ſe determinauerit; ac proinde diuina voluntas nõ infert volũtati creatæ aliquam neceſsitatẽ. Quia hoc poſtulat indifferẽtia cauſæ liberæ, vt ſcilicet ita ei præparetur concurſus,quaſi ſub hac conditione: poſtquã autem Deus præuidet,ad quã partẽ voluntas ſit inclinatura, tunc ex vi illius voluntatis, quam antea habuit, applicat potentiam executiuam,vt cum voluntate creata concurrat ad illam partem,ita tamen, vt ſemper maneat ipſe Deus in præparatione ad concurrendum ad alium actum oppoſitũ,ſi voluntas ſe determinaſſet ad oppoſitum. Quod non datur in præparatione concurſus cauſarũ naturalium.

Sub qua conditione concurrat Deus cum cauſis liberis.

Alius modus explicandi collationem concurſus diuini.

6. Aliter etiam dici poteſt fieri hanc præparationem,& collationem diuini concurſus erga cauſas liberas; ſi dicamus, Deum ab æterno per ſcientiam conditionatam cognoſcere , quid voluntas creata in talibus, vel talibus circumſtantijs ſit factura ; & in quam partem inclinabit; quo viſo, Deus abſolutè vult concurrere cũ illa,ita tamen,vt iſta voluntas Dei non antecedat, nec ſubſequatur in præparatione illam determinationem voluntatis creatæ, ſed ſit ſimul cum illa; ſicut enim ipſe concurſus Dei non datur prius, nec poſterius,ſed ſimul: ita volũtas conferendi illum actualẽ concurſum ex parte Dei,neque antecedit, neque ſubſequitur determinationem voluntatis creatæ, ſed eſt ſimul cum illa,ſaltem ineſſe cognito, & ita non poteſt noſtræ voluntati inferre aliquam neceſsitatem.

Quid ſit iſte concurſus actualis ex parte Dei.

CAP. III.

7. Aduertendum eſt non eſſe ſermonem in præſenti de volũtate, quã Deus habet de conferendo actuali concurſu ; nam hæc nihil aliud eſt,quàm ipſa diuina eſſentia. Loquimur ergo de eo concurſu ad extra, qui eſt aliquid creatum manans à potentia executiua Dei applicata per voluntatem. Aliqui Thomiſtæ affirmãt iſtum concurſum eſſe aliquid terminatum ad ipſam cauſam, ſecũdam antequam operetur, ordinatum

Sẽſus quæſtionis aperitur.

Opinio Thomiſtarum proponitur.

tum tamen ad operationem illius, tamquam conditionem omnino requiſitã, qua poſita non poterit non ſequi effectus; ad eum modũ, quo artifex applicat actualiter ſecurim adoperandum, imprimendo priùs aliquem impulſum. Et hoc probant ex varijs locis ſancti Thomæ, & varijs rationibus, in quibus explicandis nõ poſſumus immorari.

Sententia aliquorum.

8. Vocant autem iſtum cõcurſum terminatum priùs ad cauſam ſecundam, præmotionẽ, ſeu prædeterminationem phyſicam; adduntque, per hanc motionẽ moueri non ſolùm cauſas naturaliter operantes, ſed etiam liberas. Vnde aſſerunt noſtram voluntatem non agere vnquã, nec poſſe aliud agere, niſi illud, ad quod Deus eã præmouet per hanc præuiã motionem; qua poſita in voluntate, dicunt volũtatem neceſſariò neceſsitate conſequentiæ exire in actum, ad quem præmouetur. Quòd ſi obijcias illis, hanc præmotionem ita explicatam non poſſe ſtare cum libertate, iubent nos credere ita eſſe, quamuis humana mens id non aſſequatur.

Præter cõſeruationẽ cauſæ requiritur diſtinctus concurſus ad effectũ.

9. Dicendum tamen eſt præter illum concurſum, per quem Deus conſeruat omnes, & ſingulas cauſas creatas in ſuo eſſe, dandum fore alium immediatum, per quẽ Deus immediatè concurrat ad illum eumdem effectum, qui producitur à cauſa ſecunda, neque ſufficere concurſum aliquem ſolum terminatum antecedenter ad cauſam. Ratio eſt, quia effectus, qui oritur à cauſa ſecunda, oritur etiam immediatè á Deo, & pendet ab illo per dependentiã immediatam, & actualem; ergo ex parte Dei dandum eſt aliquid immediatè terminatum ad ipſum effectum, & non tantùm ad cauſam; alioqui iam effectus penderet ſolùm mediatè á Deo, & non immediatè.

Ratio.

Concurſus Dei ad extra eſt ſemper actio, aut per modum actionis.

10. Dicendum ſecundò diuinum concurſum actualem, quatenus eſt aliquid ad extra, per ſe, & eſſentialiter eſſe aliquid per modum actionis, vel cuiuſdã fieri manantis ab ipſo Deo. Ratio eſt, quia talis effectus pendet immediatè à Deo: ſed non pendet per ſuammet entitatem; ergo pendet per aliquem influxum, & actionem, quæ immediatè eliciatur ab ipſo Deo, & terminetur ad effectum. Secunda ratio Deus dicitur verè, & propriè cauſa actualis: ſed cauſalitas efficientis actualis eſt actio modaliter diſtincta ab effectu; ergo datur ibi actio tamquam cauſalitas Dei actualiter operantis.

Non terminatur immediatè ad cauſam, ſed ad effectum.

11. Dicendum tertiò iſtum cõcurſum actualem non terminari immediatè ad cauſam, ſed ad effectum, neque eſſe aliquam præuiam actionem, per quam Deus moueat prius cauſam ſecundam. Fundamentum eſt, quia quilibet effectus creatus, qui producitur à Deo ſimul cum cauſa ſecunda, per ſe ipſum pendet immediatè á Deo, & à cauſa ſecunda; ergo ſicut à cauſa ſecunda pendet per aliquem concurſum actualẽ immediatè terminatum ad ipſum effectum, ita etiam à cauſa prima pendebit per aliquem cõcurſum ſimiliter terminatum ad ipſum ef-

fectum,

fectum, & non ad ſolam cauſam. Deinde ſi illa præuia motio ſufficit, vel illa terminatur ad ſolam cauſam, vel etiam attingit effectum; ſi attingit effectum, iam eſt dependentia effectus à cauſa prima; ſi non attingit effectum, non pendet effectus immediatè à Deo ſed mediante cauſa, quod non eſt dicendum. Tertiò, quia illa præuia motio debet eſſe actio: ſed omnis actio habet aliquē termină, & in cauſa, quando operatur, nihil à Deo producitur de nouo; ergo fictitia eſt illa motio præuia. Taceo de libertate, quæ non videtur poſſe ſtare cum illa præuia motione, quia cum ſit antecedēs ipſam determinationem voluntatis, non poteſt dici, quòd in voluntatem inducat neceſsitatem tantùm conſequentiæ, ſed potius neceſsitatem conſequentis. Sequitur etiam ex prædicta motione Deum mouere, & prædeterminare hominum voluntates ad prauos actus; quod eſt impium aſſerere.

Nō poteſt eſſe præuia motio.

12. Reſtat adhuc explicādum, an iſte concurſus Dei ſit illamet actio, quæ oritur à cauſa ſecūda, vel potius ſit alia actio diſtincta? Reſpondetur actionem cauſæ primæ, & actionem cauſæ ſecundæ eſſe vnam, & eamdem, quæ ab vnaquaque eliciatur totaliter in ſuo genere. Ratio eſt, quia omnis actio creaturæ eſt quid creatum; ergo omnis pendet immediatè à Deo: ſed non pendet per aliam actionem, alioqui daretur proceſſus in infinitum; ergo pendet immediatè per ſe ipſam; ergo illamet actio, quæ oritur à cauſa ſecunda, oritur etiam à cauſa prima. Vnde ſolui poteſt aliud dubium, quod petit vtrùm concurſus Dei concurrentis ſimul cum cauſa ſecunda ad aliquem effectum, ſit prior ſaltem natura, quàm concurſus cauſæ ſecundæ. Dicendū enim eſt, cum iſte concurſus ſit vnus, & idem, non poſſe ibi dari aliquam prioritatem durationis, vel dependentiæ, poterit tamen illa actio dici eſſe à Deo nobilio ri modo, quatenus Deus eſt cauſa nobilior, & omnino independens.

Actio cauſæ primæ, & ſecundæ eſt vna, & eadē.

Concurſus Dei nō eſt prior.

Quomodo cauſa prima, & ſecunda ſe mutuò determinent.

CAPVT IIII.

13. Dvplex eſt actionū, & effectuum determinatio, vna quoad ſpeciē, altera quoad indiuiduum. Determinatio quoad ſpeciem eſt illa, quæ fit quando cauſa de ſe parata, & indifferens ad concurrendum ad plures effectus, & actus ſpecie diſtinctos, determinatur, vt potius concurrat ad actum huius ſpeciei, quàm ad actum alterius. Verbi gratia Deus de ſe eſt indifferens, vt cū cauſis ſecundis producat varias ſpecies effectuum; quando autem cum igne producit alium ignem, & cū aqua producit frigus, & ſimilia, dicitur determinari quoad ſpeciem.

Determinatio duplex.

Determinatio quoad ſpeciem.

14. Determinatio quoad indiuiduum tunc fit, quando cauſa de ſe iam determinata, ſiue liberè, ſiue

Quoad indiuiduum.

ſiue neceſſariò ad producendum effectum certæ ſpeciei,& indeterminata ad hunc, vel illum effectum in indiuiduo producendum, ab alia cauſa determinatur, vt potiùs producat iſtud indiuiduũ ſub tali ſpecie,quàm aliud numero diuerſum His ita explicatis.

Deus quãdo ſe ſolo operatur, à ſe ipſo determinatur

15. Dico primò. Deus quando ſe ſolo producit aliquem effectum,à nulla alia cauſa determinatur,neque quoad ſpeciem, neque quoad indiuiduum, ſed per ſe ipſum determinatur vtroque modo; vt patet,cum ibi nulla alia cauſa concurrat,à qua poſsit determinari. Dico ſecundò. Quando Deus ſimul cum cauſa ſecunda producit aliquem effectum naturalem ipſi cauſæ,determinatur quoad ſpeciem actionis,& effectus ab ipſa cauſa ſecunda in ſuo genere principaliter operante. Ratio eſt,quia Deus de ſe eſt indifferens,vt concurrat cum omnibus cauſis ſecundis, & vt producat omnes earum effectus in ſpecie ; quòd autem producat cum igne potius ignem,quàm aquam,verbi gratia,prouenit à natura, & naturali modo operandi ignis,qui habet naturalem virtutem ad producendum alium ignem, & non ad producendam aquam; ergo cauſa ſecunda determinat primam quoad ſpeciem effectus.

Quando cum cauſa ſecunda naturali modo,ab illa determinatur quoad ſpeciem.

Cauſa tamen prima determinat ſecundam quoad indiuiduum.

16. Dico tertiò. Cauſa prima determinat omnes cauſas ſecundas quoad indiuiduum, ſiue tales cauſæ operentur neceſſariò, ſiue liberè. Fundamentum eſt, quia cauſa ſecunda poſitis omnibus requiſitis ad operandum,ex ſe nõ poteſt eligere potius hoc indiuiduum, quàm aliud, vt illud producat: ſed eſt indifferens ad omnia; ergo debet ab alia cauſa determinari; non apparet alia, niſi prima; ergo à prima cauſa determinatur: quæ vult vt cauſa ſecũda potius concurrat per iſtũ concurſum,quàm per alium, & producat potius hunc effectum in indiuiduo,quàm alium. Vnde oritur,vt effectus,qui reſpectu cauſæ ſecundæ eſt neceſſarius,reſpectu Dei ſit liber.

Ordo determinationis quo ad indiuiduum.

17. Ordo igitur huius determinationis quoad indiuiduum ita procedit. Videns Deus quod poſitis omnibus circumſtantijs, ſibi ſit de facto concurrendum cum aliqua cauſa ſecunda ad aliquem actum ſub tali, vel tali ſpecie, & cum tanta, vel tanta intenſione, præfinit concurſum, & actionem indiuiduam, qua ſibi placet influere. Quia verò cauſa prima, & ſecunda influunt per eumdem numero concurſum, & actionem, modo ſupra explicato,fit, vt concurſus cauſæ ſecundæ, etiam in indiuiduo, determinetur à volũtate cauſæ primæ,non per aliquã præuiam motionem, aut phyſicam prædeterminationem , ſed per ſolam Dei voluntatem, quæ iam ſupponit cauſam ſecundam in procinctu ad operandum aliquod indiuiduum ſub hac ſpecie.

DE

DE MODO AGENDI CAVSARVM ſecundarum, & de earum effectibus.

QVÆSTIO IX.

Quid ſit cauſa totalis principalis, & quomodo operetur ſuos effectus.

CAPVT I.

Totũ ſuppoſitũ dicitur aliquãdo cauſa totalis.

1. Totum compoſitum ſubſtantiale vocatur aliquando cauſa totalis,& principalis earum omnium actionum,& effectuum, quos operatur,quamuis actiuitas, & cõcurſus ad tales effectus oriatur immediatè ab vna tantũ parte totius compoſiti,verbi gratia à forma.In quo ſenſu dixit Philoſophus, *Actiones eſſe ſuppoſitorũ*,imò vt actio tribuatur ſuppoſito, non eſt opus quòd oriatur ab aliqua parte eſſentialiter cõponente ipſum,ſed ſatis eſt,quòd oriatur ab aliqua forma accidentali realiter inhærẽte in ſuppoſito; qua ratione aqua dicitur calefacere per calorem,qui in illa inſidet.

Sẽſus quæſtionis proprius.

2. Non agimus tamen in præſenti de cauſa totali, & principali in hoc tã amplo ſignificato; ſed vocamus cauſam totalẽ principalem eã,quæ cũ ſit vna res omnino ſimplex,vel cõpoſita, tamẽ vt producat ſuum effectum nõ eget cõſortio alterius cauſæ principalis,ſaltẽ in eo genere. In quo ſenſu voluntas, & appetitus dicũtur cauſę principales ſuorum actuum, & etiam totales. Notandũ deinde eſt cauſam totalem aliquando eſſe entitatem quamdam ſimplicẽ,vt eſt Deus reſpectu effectuũ, quos ſe ſolo producit; aliquando autẽ vnam cauſam totalem ſecũdam conflari ex pluribus partialibus; qua ratione ex intellectu, & ſpecie intelligibili dicimus cõflari vnam cauſam totalem reſpectu conceptus,qui producitur ab intellectu, accedente etiam actiuitate animæ.

Cauſa totalis multipliciter dicitur.

3. Dubium igitur eſt vtrũ cauſa totalis ſiue ſit ſimplex,ſiue cõpoſita ex pluribus partialibus,vnam tantùm eliciat actionẽ ad vnum effectum producendum,vel concurrat per plures ſaltẽ partiales? In quo dubio.Dico primò. Quotieſcũque terminus totalis alicuiꝰ actionis eſt indiuiſibilis, etiã ipſa actio eſt indiuiſibilis,& vna omnibus modis, ſiue ſit cauſa ſimplex, ſiue cõpoſita ex partialibus; quia actiones cũ realiter idẽtificentur cũ ſuis terminis,tales ſunt, qualis eſt terminꝰ.Dico ſecũdò. Quãdo terminus alicuius totalis actionis eſt diuiſibilis, vel ſecundũ partes eſſentiales,vel ſecundũ partes integrantes, etiam ipſa actio habet partes diuiſibiles, quæ integrant vnã totalẽ actionem, & quælibet pars actionis identificatur realiter cum ea parte termini, quam

Quãdo terminus,ſeu effectus eſt indiuiſibilis,vna eſt indiuiſibilis actio totalis.

Diuiſibilis autem quãdo terminus eſt diuiſibilis.

producit, quia actio ſequitur rationem ſui termini.

Totus effectus diuiſibilis, vel indiuiſibilis pendet totaliter à cauſa totali ſimplici.

4. Dico tertiò. Quando actiones prædicto modo ſunt partiales, & integrant vnam totalem, totus effectus, & quælibet pars illius pẽdet à cauſa totali efficiente, quãdo eſt vnica ſimplex non compoſita ex partialibus. Ratio eſt, quia totus effectus pendet à cauſa totali, & quælibet eius pars: ſed ibi non datur alia cauſa, niſi vna tantùm omnino ſimplex: ergo ab illa tãtùm pẽdet. Quãdo ſimiliter cauſa totalis integratur ex pluribus partialibus, vnaquæque cauſa partialis producit totũ effectũ, & ſingulas eius partes, & vna totalis actio egreditur totaliter ab iſta cauſa partiali, & totaliter ab alia ſimiliter partiali; ita tamen vt totus effectus ſit à ſingulis cauſis totalitate effectus, nõ totalitate cauſæ. Probatur cõcluſio in cõceptu, qui producitur ab intellectu ſimul, & ab ſpecie intelligibili, vt à cauſa totali, & à ſingulis vt à cauſis partialibus: & tamen producitur per vnam indiuiſibilem actionem, quæ non habet partes; ergo producitur totus effectus à qualibet cauſa partiali, & ſimiliter tota actio. Quod pari ratione accommodari poteſt alijs cauſis partialibus.

Et ſimiliter ſi cauſa totalis ſit cõpoſita ex partialibus.

Cur cauſæ dicantur partiales.

5. Ad cuius rei pleniorem intelligentiam aduerte, cauſas non dici partiales ex eo quòd vna producat partẽ vnam effectus, & alia producat aliam partem, ſed quia effectus non poteſt produci ab vna tantùm ſine cõſortio alterius, vel quia ambæ coniunguntur, vt per vnicum influxum producant eũdem effectũ, quem vnaquæque ſine alia poſſet producere, quamuis maiori cũ difficultate. Neque hinc ſequitur Deũ, & cauſam ſecundã, quãdo ſimul concurrũt ad eũdem effectum, eſſe cauſas partiales; quia vnaquæque concurrit totaliter in ſuo genere, & cauſa ſecunda concurrit vt eſſentialiter ſubordinata primæ, & vnaquęque in ſuo ordine eſt totalis, quod nõ cernitur in cauſis creatis partialiter cõcurrentibus, quãuis enim aliquando poſsint alioqui eſſe totales, tamẽ quãdo coniunguntur ad vnũ effectũ producendũ, non concurrunt vt totales, neque vt ſubordinatæ.

Vtrũ quælibet cauſa totalis habea certos ac determinatos effectus?

CAP. II.

Sẽſus quæſtionis.

6. QVælibet cauſa ſecũdã habet certos, ac determinatos effectus in ſpecie, quos poteſt producere, & non plures; v.g. ignis poteſt producere calorẽ, & alium ignem, non tamẽ producet frigus. Vtrũ verò quælibet cauſa ſecũda intra illam ſpeciem, vel ſpecies effectuum, quos poteſt producere, habeat certũ, ac determinatũ numerũ effectuũ in indiuiduo ex infinitis poſsibilibꝰ, vltra quẽ numerũ nõ poſsit procedere? eſt maius dubium.

Primum certum.

7. In hac difficultate primò certum eſt eumdem numero effectũ, qui fit ab aliqua cauſa particulari, & vniuoca, potuiſſe fieri connaturali modo, à cauſa æquiuoca ſuperiori, & totali proxima, ſi ap-

plicaretur

carerur eodem tempore, & in iiſdem circumſtantijs, in quibus applicata eſt cauſa vniuoca. Hæc concluſio probatur in cauſa prima, quæ ſe ſola poteſt producere omnem effectum cauſarum ſecundarum. Similiter Sol, & aſtra continent aliquos effectus cauſarum ſecundarum eminenter, & illos poſſent producere, ſi applicarenrur in certis circumſtantijs.

Reſolutio quæſtionis.

8. Secũdò probabilius eſt nullam cauſam creatam vniuocam, vel æquiuocam toralem habere certos, ac determinatos effectus in indiuiduo, ſed intra illam ſpeciem, vel ſpecies effectuum, quos poteſt producere, eſſe indifferẽtem ad producendum ex infinitis poſsibilibus iſtum, vel illũ, prout à cauſa prima fuerit determinatum.

Ratio.

Ratio eſt, quia omnis cauſa eſt indifferens, & indeterminata quoad effectus in indiuiduo, determinaturque à prima cauſa; ergo de ſe non poteſt potius hoc producere, quàm illud, ac proinde non habet certũ numerũ effectuũ. Vnde colliges quãlibet potentiã actiuam agentis creati non habere certum obiectum in indiuiduo, ſed ſi non corrumpatur, aut labefactetur, poſſe aliud, & aliud indiuiduum producere in infinitum ſyncategorematicè, ſub tali, vel tali ſpecie.

Effectus indiuiduus, qui oritur ab iſta cauſa, potuit oriri ab alia diſiunctiuè.

9. Tertiò probabilius eſt hunc effectum, qui oritur ab iſta cauſa ſecunda hìc, & nunc operante, potuiſſe etiam oriri ab alia cauſa eiuſdem ſpeciei, ſi in iiſdem circumſtantijs applicaretur ad agendum. Vnde Petrus, qui genitus eſt ab Antonio, ſimpliciter poſſet generari à Franciſco. Ratio eſt, quia cauſa ſecunda creata determinatur à prima ad hoc potius indiuiduum producendum, quàm ad illud; ergo ſicut Deus voluit, vt iſte effectus oriretur ab iſta cauſa, poſſet etiã velle, vt oriretur ab alia eiuſdẽ rationis, ſi in iiſdẽ circumſtantijs applicaretur. Vnde, ſi Adamus non peccaret, dicunt aliqui non fururos eoſdem homines reprobos, & tamẽ futuros eoſdem prædeſtinatos, qui modo naſcuntur ab aliquibus reprobis.

Vtrùm qualibet cauſa totalis habeat certas, ac determinatas actiones?

CAP. III.

10. Communis reſolutio eſt hanc numero actionẽ pẽdere eſſentialiter ab hac numero cauſa & nõ poſſe pendere ab alia numero cauſa, neque ab alia egredi; & iuxta hanc opinionem, certus numerus, & ſeries actionũ deber aſsignari cuilibet cauſæ creatæ, quæ ab illa pendeant eſſentialiter, & non ab alia; ita vt actiones, quæ oriuntur ab vna, non potuerint etiam diuinitùs, oriri ab alia: alioqui iam vna actio non penderet eſſentialiter ab vna numero cauſa. Communis opinio.

11. Hæc tamen communis ſententia nõ placet: & ideo aſſerendum primò eſt hanc numero actionẽ ſimpliciter, & abſolutè loquendo, & in ſenſu diuiſo, vt (ita dicam) non pendere eſſentialiter ab hac numero cauſa, ſed potuiſſe Reijcitur, & contraria ſtatuitur.

ſecundùm ſe ſpectatam egredi ab alia cauſa eiuſdem rationis. Ratio. Ratio, eſt, quia virtus cauſæ eſt indifferens, vt potiùs operetur per iſtam actionem, quàm per aliam; ſi verò operatur per iſtam, eſt quia ſic Deus determinauit vt eliceret potiùs iſtam actionem, quàm aliam ſub hac eadẽ ſpecie; ergo in virtute cuiuſcumque cauſæ creatæ non continetur potiùs iſta actio, quàm alia, ſicut nõ cõtinetur potiùs iſte numero effectus, quàm alius: ergo ſicut iſte effectus abſolutè loquendo, & ſecundum ſe potuit fieri ab alia cauſa eiuſdem rationis, etiam iſta numero actio potuit egredi ab alia cauſa ſecũda eiuſdem ſpeciei, & de facto egrederetur, ſi ita De⁹ vellet. Alioqui iam Deus non determinaſſet cauſas ſecundas quoad indiuiduũ actionis.

12. Aſſerendũ ſecundò eſt, ſi, *Secundum aſſertum.* quando vna cauſa operatur per certam, ac determinatam actionem, adhiberetur alia eiuſdem rationis, & in iiſdem circũſtantiis, poſſe Deum cõcurrere cum hac ſecunda, per eundem numero cõcurſum, & actionem, per quam de facto concurrit cum illa, quia hoc poſtulat illa determinatio cauſarum ſecundarum quoad indiuiduum facta à Deo. Imò addiderim poſſe Deum efficere, vt vna cauſa ſecunda producat eumdem effectum, qui iam ſemel interiit, & eſt productus ab alia cauſa; idque per eandem numero actionem, per quam primò fuit productus. Omnes enim concedunt poſſe Deum reſtituere eundem motum, qui iam deſiit, ſed actio ſæpè eſt idem cum motu; ergo poterit Deus efficere, vt redeat eadem actio, quæ iam præteriit, redeunte eodem effectu, ſiue redeat per eandem cauſam, ſiue per diuerſam, quia in hoc nulla apparet implicatio.

13. Aſſerendum tertiò nullam cauſam ſecundam creatam habere certum, ac determinatum numerum actionum, per quas operetur, ſed ſub ſpeciebus earum, quas poteſt producere, eſſe indifferentem ad quamcũque, determinarique à Deo, vt potiùs per hanc, quàm per illam operetur, ſicut ſupra diximus de effectibus. Hoc ſequitur ex dictis, & patet, quia certus ille numerus, ac ſeries actionum, quæ tribuantur vnicuique cauſæ, non habet vllũ fundamentum, neque in ipſa natura cauſarum ſecundarũ, neque in ipſa entitate actionũ, quæ ſunt modi quidã abſoluti, qui ſpectati in eſſe poſſibili non pendent potiùs ab iſta cauſa determinata, quã ab alia, ſed tantùm dicunt reſpectum ad cauſam efficientem, à qua egrediantur. *Tertium aſſertum.*

Vtrùm idem effectus poſſit ſimul, vel ſucceſſiuè fieri à duplici cauſa totali.

CAP. IIII.

14. Dico primò. Non poteſt idem effectus totalis naturaliter emanare à duplici cauſa totali ſimul, nec ſucceſſiuè. Quia vnus effectus totalis naturaliter non poſtulat niſi vnam cauſam *Prima concluſio.*

efficien-

efficientem totalē, & vnam actionem totalem, per quam producatur; ſi verò effectus iam ſemel eſt productus, non poſtulat iterū produci, ergo, &c.

Secunda concluſio.

5. Dico ſecundò. Idem numero effectus totalis poteſt diuinitùs produci ſimul, vel ſucceſsiuè à duabus, vel pluribus cauſis totalibus. Quia in hoc nulla apparet repugnantia. Deinde quia in qualibet cauſa totali eſt virtus ſufficiens, vt producat totalem effectū; & quòd effectus iam prodierit, vel actualiter prodeat ab alia cauſa totali, non minuit virtutem, & efficaciam alterius, ergo ſi duæ cauſæ totales applicentur à Deo, & determinentur ad eundem effectum totaliter producendum, ſine dubio illū producent. Quidquid in contrarium opinentur Scotus in 2. diſtinc. 20. quæſt 2. & aliqui Thomiſtæ, quos ſequitur Vaſquez 1. part. diſp. 176. c. 6. & tom. 1. in 3. partem diſp. 29. cap. 4. Penderet autem ille effectus totaliter à duabus cauſis per duplicem dependentiam, ſeu actionem totalem, quando ſimul ab illis duabus cauſis produceretur. Si autem produceretur priùs ab vna, quæ iam deſierit operari, & poſtea producatur ab alia, tunc non repugnabit reproduci per eandem actionem, iuxta ea, quæ ptoximè diximus.

Quomodo idem effectus penderet à duplici cauſa totali.

16. Petes, vtrùm quando Deus ſe ſolo producit eundem effectū, quem antea produxerat cū cauſa ſecunda, neceſſariò adhibeat maiorem concurſum, quàm adhibuit in prima productione? Affirmant cōmuniter Auctores. Probabilior tamen eſt pars negatiua, nam totum eſſe effectus in prima productione emanauit à Deo, vt à cauſa totali, & nullus concurſus datus eſt ex parte cauſæ ſecundæ, qui etiam nō egrederetur à Deo; ergo ſicut ille concurſus fuit ſufficiens ad producendum primò effectum, ita erit ſatis alius omnino ſimilis ad eundem reproducendum, quin ei addatur aliquid de nouo.

Quando Deus ſe ſolo producit effectū nō præſtat maiorem concurſum.

17. Dices ex dictis ſequi vnam cauſam creatam poſſe, ſaltem diuinitùs, ſe ipſam primò producere, vel ſaltem reproducere. Quia ſi equus verbi gratia poteſt ſub ſpecie equina producere quemcumque equū, poterit ſeipſū producere, quia eſt vnus ex cōtentis ſub tali ſpecie. Reſpondetur tamē nullam rem poſſe ſeipſam primò producere, quia cauſa efficiēs, ad hoc vt operetur, requirit exiſtentiā; res verò purè poſsibilis nullā habet exiſtentiā, & ideo non poteſt ſe ipſam primò producere. Deinde cū cauſa, & effectus ſint res diuerſæ, non poteſt eadē res ſimul eſſe cauſa, & effectus ſui ipſius. Non tamen implicat rem iā in vno loco exiſtentē concurrere inſtrumentaliter ad ſui reproductionē in alio loco, vel ad ſui cōſeruationem ſubſtantialem; quia iam ſupponitur exiſtēs; & alioqui nulla apparet repugnantia.

Cauſa efficiens non poteſt primò ſe ipſā producere: poteſt tamē reproducere.

18. Dubitatur vltimò, an actio aliqua poſsit eſſe proprius effectus alterius actionis, ſeu vtrùm vna actio poſsit fieri per aliam actionem. Reſpōdetur negatiuè, quia actio de ſe, & eſſentialiter eſt via ad effectum; ergo non poteſt

Vna actio non fit per aliam.

Inſtrumẽta artificialia

4. Addi poteſt tertium genus inſtrumentorum, quæ dicuntur inſtrumenta artificialia, & iuuant artifices creatos ad conficienda artefacta, vt ſerra, vel aliud ſimile.

Alia diuiſio inſtrumẽti.

Aliter diuiditur inſtrumentum in phyſicum, & morale, quia tamen in præſenti ſolùm tractamus de inſttumentis phyſicis, qualia ſunt ea, quæ hactenus numerauimus, ideo hanc ſecundam diuiſionem non curamus.

De modo agendi naturalium inſtrumentorum.

CAP. II.

5. RElinquimus illa inſtrumenta, quæ in opinione Scoti in 4. diſtinc. 1. quęſt. 5. & diſtinc. 6. quæſt. 5. ſolùm concurrunt diſpoſitiuè, & non effectiuè; ſolùmque agimus de modo agendi natutalium inſtrumentorum; quæ cum ſint diuerſa, etiam habent diuetſum modum operandi.

Modus operandi inſtrumenti coniuncti.

Inſtrumenta igitur naturalia coniuncta ita operantur, vt ſimul cum cauſa principali actualiter operante, per vnam, & eamdem actionem attingant effectum principalem, ita vt illa actio oriatur tota á cauſa principali, & tota à cauſa inſtrumentali. Ita phantaſma expreſſum ſimul cum intellectu agente per vnam, & indiuiſibilem actionem producit ſpeciem intelligibilem ſpiritualẽ ipſo phantaſmate nobiliorem, & perfectiorem.

6. Vnde patet hæc inſtrumenta habere propriam, ac veram efficientiam, & cauſalitatem in eos effectus cauſarum principalium, ad quos iuuant; & ex ſe habere virtutem natutalem, ac proportionatam, vt ſimul cũ cauſa principali operentur, vt inſtrumenta naturaliter eleuata: non per aliquã virtutẽ ſibi actualiter præuenientem à cauſa principali, ſed tãtùm per coniunctionem cum illa ad vnam, & eamdem actionem, & effectum.

Habẽt veram efficiẽtiam.

Modus operandi cauſæ inſtrumentalis ſeparatæ.

7. Inſtrumenta verò ſeparata habent alium modum operandi maximè diuetſum. Quia, vt operentur, non egent actuali cõcurſu cauſæ principalis, neque actuali coniunctione cum illa; ſed accipiendo priùs virtutem ab agente principali ſubſtituuntur loco illius ad operandum effectum nobiliorem ipſo inſtrumento. Vnde ſi hæc inſtrumenta ſeparata attingunt effectiuè, & ſine conſortio alicuius cauſę principalis creatæ, vel alterius ſuperiotis ſupplẽtis vices illius, productionem effectus principalis vltimi habent verum ac realem modum influendi per veram, & realem cauſalitatem in tales effectus, & vetam actionem ex ſe eliciunt, habentque vittutem naturalem inſttumentariam ad tales effectus producendos, vt ipſa experientia docet: nam mediantibus his inſtrumentis producuntur veri, ac reales effectus, etiamſi cauſæ principales iam perierint, vt patet in herbarum, & pomorum ſeminibus.

Artificialia inſtrumẽta quomodo opereutur.

8. Inſtrumenta artificialia habent etiam modum quendam

operādi maximè diuerſum á prædictis,quia nullum inſtrumentum artificiale attingit proximè formā artificialem;ſed tota actio horum inſtrumentorum per ſe terminatur in motu locali,&eius termino; nam ferrum verbi gratia acutum acquirēdo in ligno varias præſentias,eſt in cauſa,vt expellantur aliquæ partes ligni,& vt reſultet talis, vel talis figura, quam artifex intendit. Alia inſtrumenta inſeruiunt ad deferēdum aliquod corpus, per diuerſa loca eiuſdem tabulæ,vel papiri, & ad illud diſtribuendum in varias partes, vnde reſultant variæ figuræ, vel characteres: vt ſe habent calamus,& penicillus. Dātur etiam alia,quæ per contactum,& colliſionem factam per motum varios reddunt ſonos, vt lyra, cimbalum , & ſimilia inſtrumenta muſica.

Non efficiunt principalem effectum per propriam actionem.

9 De omnibus his inſtrumentis artificialibus verè dicitur non aſſumi, vt per propriam actionem efficiant effectum principalem ab agēte intentū,verbi gratia ſtatuā, quia ex ſe nullā eliciūt operationē, per quā immediatè attingatur effectus ab agente principali intentus:ſed tantùm recipiunt in ſe motum localē, & impulſum,quo mediante deferuntur per varia loca,vel expellunt aliud corpus,vel illud diſtribuunt modo proximè explicato. Illa tamen inſtrumēta quæ deferunt, verbi gratia atramentum, aut alias ſubſtantias coloratas, reſpectu horum motuū, quos faciunt tales ſubſtantiæ,poſſunt dici inſtrumenta,quia impulſus, qui imprimitur calamo verbi gratia, mediante calamo defert atramentum.

Hæc inſtrumenta artificialia debēt prius moueri.

10. De his etiam inſtrumētis eſt verū,quòd non aſſumantur ad agendum effectū principalem ſaltem mediatè,niſi priùs per actionem aliquam præuiam moueantur: quia vt reſultet artefactū, debent prius in ſe recipere aliquem impulſum ab artifice extrinſeco; quod etiam aliqui extendunt ad omnia alia inſtrumēta præſertim diuina;ſed immeritò vt ſupra iam ex parte vidimus in naturalibus inſtrumentis, & mox videbimus in diuinis.

De diuinis inſtrumētis, & de modo agendi illorum.

CAPIT. III.

Dari inſtrumenta diuina.

11. QVàuis Deus propter ſuam infinitā omnipotentiā, nō egeat rebus creatis ad productionem cuiuſcūque effectus , tamen vt res ipſas creatas reddat clariores , aſſumit illas aliquando vt inſtrumenta ad producendos aliquos effectus ſupernaturales , quos naturaliter non poſſent producere. Ita cum intellectu humano producit actum fidei ſupernaturalem,& cum volūtate actum charitatis, cum forma Sacramentorum producit gratiā &c. Et Propter hanc coniunctionem cum Deo in operando dicūtur res ita eleuatæ inſtrumēta diuina. Vtrùm verò hæc inſtrumēta phyſicè concurrant,& per realem,ac veram efficientiam ad ipſos effectus ſuper naturales , vel

potiùs concurrant ſolùm moraliter, eſt magis dubium.

Quidam negant eſſe phyſica.

12. Quidam enim omnino negant dari talia inſtrumenta phyſica diuina, quia non admittunt potentiam obedientialem actiuã in rebus creatis, & quia dicunt nullum inſtrumentum poſſe, etiã diuinitùs, proportionari effectui; ad quem producendum nullam habet virtutem naturalem. Tertiò, quia cauſa, vt operetur, ſupponitur priùs conſtituta in actu primo per aliquam virtuté, per quã reddatur potens egredi in actum ſecundum; ſed inſtrumenta diuina nullam accipiunt virtutem à Deo, per quam conſtituantur in actu primo; ergo nõ poſſunt phyſicè influere in effectus.

Probabilius dicitur eſſe phyſica.

13. Probabilior tamen eſt ſentẽtia, quæ aſſerit dari hæc inſtrumenta phyſica diuina, quæ licet non habeant naturalem virtutem proportionatam effectui cauſæ principalis, tamen per potentiã obedientialem poſſunt verè, & realiter attingere omnem effectum, quem Deus voluerit efficere cum talibus inſtrumentis. Fundamenta ſunt. Primum, quia negari non debet poſſe Deum per creaturas efficere aliquid vltra illud, quod ipſæ per naturales vires poſſunt efficere; ſed hoc non poteſt fieri ſine potentia obedientiali ex parte creaturarum; ergo admittenda eſt talis potentia, per quam res creatæ, vt inſtrumenta Dei poſſint producere effectus ſupernaturales. Secũdum. Poteſt Deus in ſubiecto materiali ſubiectare accidens ſpirituale; ergo poterit efficere cum qualibet re quemcumque effectum, qui non implicet contradictionem. Tertium. Intellectus beatorum elicit phyſicè viſionem beatam, & tamen non habet virtutem naturalem ad illum actum; ergo ſimiliter in alijs rebus poterit idem accidere.

Ratio.

Secunda ratio.

Tertia.

14. Atque hinc inferunt huius ſententiæ auctores, ſacramenta nouæ legis eſſe phyſica inſtrumẽta gratiæ; humanitatem Chriſti Domini patraſſe multa miracula, vt phyſicum inſtrumentum diuinitatis. Similiter poſſe aſſumi creaturam, vt phyſicum inſtrumentum ad creandum; quæ omnia negant oppoſitæ ſententiæ autores, ſed immeritò.

Sacramẽta phyſicè cauſant gratiam.

15. Eſt autem dubium per quid iſta diuina inſtrumenta proportionentur, & conſtituantur in actu primo; vt eliciant actum ſecũdum ſimul cum Deo, vt cum cauſa principali? Aliqui dicunt conferri his inſtrumentis á Deo qualitatem quandam, per quã proportionantur, quæ ſit ſupernaturalis. Hi tamen ex eo reijciuntur, quia non videtur poſſibilis qualitas, per quam inſtrumentum aliquod proportionetur ad producẽdum quẽcumque effectum; nã omnis qualitas eſt finitæ, & limitatæ perfectionis, ac proinde debet habere etiam determinatam actiuitatem, & virtutem ad certas ſpecies effectuum, & non ad plures. Alij tenent inſtrumentum diuinum proportionari à Deo per quemdam motum artificioſum ipſi impreſſum à Deo. Non tamẽ explicant, quid ſit ille motus, neque poterunt explicare, cum

Per quid diuina inſtrumenta fiant proportionata.

ſit prorſus fictitius.

Potentia obedientialis datur.

16. Ideo dicendum eſt dari in rebus creatis potentiam quamdã obedientialem tam actiuam, quã paſsiuam, quæ non diſtinguitur à parte rei ab entitate creaturæ, & per hanc potentiam obedientialem conſtitui quodlibet inſtrumentum aptum, & proportionatum in actu primò ad producendum ſimul cum Deo, vt cauſa principali, quemcumque effectũ, qui non implicet contradictionẽ, concurrente ipſo Deo per auxilium effectui proportionatum, & excedens concurſum naturaliter debitum creaturæ, & eleuãs inſtrumentum, vt per potentiam obedientialem eliciat inſtrumentaliter eandem actionẽ, quam Deus elicit vt cauſa principalis.

Eleuatio duplex habitualis, & actualis.

17 Eleuatio ergo alicuius rei creatæ ad efficiendum tamquam inſtrumentum aliquem effectum, vltra ſuas vires naturales, vel poteſt eſſe habitualis tantùm, vel actualis tantùm, vel habitualis, & actualis. Habitualis eleuatio tunc datur, quando in potentia naturali datur aliquis habitus ratione cuius ipſa potentia reddatur apta, vt cum generali concurſu in eo ordine ſupernaturali producat effectum ſupernaturalem. Ita habitus ſupernaturales, verbi gratia, fidei, & charitatis eleuant habitualiter intellectum noſtrum, & voluntatem, vt poſsint elicere actus fidei diuinæ, & actus charitatis ſupernaturalis. Eleuatio autẽ actualis tunc datur, quando ſine tali habitu, & per ſolum actualem concurſum Deus eleuat intellectum, vt ſine habitu fidei eliciat primum actum fidei ſupernaturalem, ſupplendo quidquid ibi erat facturus habitus. Eleuatio habitualis, & actualis tunc datur quando Deus actualiter concurrit ſimul cum potentia naturali, & habitu ſupernaturali, vt eliciant actum aliquem ſupernaturalem.

Eleuatio habitualis qualis ſit.

Eleuatio actualis quando detur.

Quando dentur ambæ eleuationes ſimul.

Modus ordinarius eleuandi potentias vitales.

18. Quando ergo Deus eleuat potentiam aliquam vitalem, vt vitalem actum ſupernaturalem eliciat, fere ſemper illã eleuat, per habitus ſupernaturales addito concurſu actuali, & generali in eo ordine. Quando autem eleuat, alia inſtrumenta non vitalia, nec ad productionẽ actus vitalis; verbi gratia, quando eleuat aquã ad producendam gratiam, tunc per ſolam actualem eleuationem illa eleuat ad productionem effectus ſupernaturalis. Conſiſtit autem iſta actualis eleuatio in hoc quòd agens ſuperioris ordinis, qualis eſt Deus, ſic præbeat concurſum etiam ordinis altioris, vt ex vi illius ſibi coniungat inſtrumentũ, illudque veluti admittat ad conſortium operandi, & ſic eadem actio ab vtroque oriatur; á Deo vtá cauſa principali, à creatura, vt ab inſtrumento. Vnde hæc diuina inſtrumenta ſunt maximè ſimilia in modo operandi inſtrumentis naturalibus coniunctis; in hoc tamen differunt, quòd illa ſunt proportionata effectui per potentiam naturalem, iſta verò ſolùm per obedientalem.

In quo cõſiſtat actualis eleuatio

19 Atque ex dictis ſolui poſſunt omnia argumenta, & fundamenta contrariæ ſententiæ. Notandum

Deus in eleuatione accommodat ſe naturis rerum aliquando.

dum tamen eſt, quòd aliquando Deus eleuando aliquod inſtrumentum, ſe accommodat naturali virtuti, quam habet ad effectus ſimiles in genere; verbi gratia eleuat intellectum beatorum, vt producat potiùs intellectionem, & viſionem beatam, quàm amorem, quia intellectus poteſt elicere ſecundum ſuam virtutem naturalẽ intellectiones. Vnde etiã prouenit, quòd actus ille ſupernaturalis in intellectu efficiat totum effectum formalem, quem in voluntate non poſſet efficere, ſi ab ipſa eliceretur, quia voluntas non habet ex ſe elicere vllos actus intelligendi.

DE CAVSA FINALI, ET EIVS ratione cauſandi.

QVÆSTIO XI.

Quid, & quotuplex ſit cauſa finalis?

CAPVT I.

Definitio finis.

Diuiſio præcipua finis in communi.

1. DAri cauſam finalem oſtendunt actiones cauſarum, quę per intellectũ, & rationem operantur, dirigẽdo ſuas actiones, & effectus ad aliquem finem. Definitur autem. ***Finis eſt ille propter quem aliquid fit, vel eſt.*** Præcipua diuiſio eſt ea, qua diuiditur in finem *cuius* & finem *cui*. Finis *cuius* eſt ille, cuius gratia aliquid fit. Finis *cui* eſt ille in cuius gratiam, & emulumentum res fit: ſeu cui bonum aliquod optatur, & procuratur. Imo ferè ſemper ex his duobus vnus totalis finis integratur; vnde prædicta diuiſio finis, potius videtur eſſe diuiſio in fines partiales adæquantes vnum totalem, quàm in duo membra totalia, & adæquata.

Proponuntur aliæ diuiſiones finis.

2. Secundò diuiditur finis in actionem, & in rem productam per actionem. Qua ratione finis cytharædi eſt actio cytharizandi. ſanitas dicitur finis, quem medicus intendit comparare per ſuas operationes, & ideo eſt finis productus per actionem. Tertiò diuiditur in finem operationis, & in finem rei productæ. Finis operationis, eſt quilibet terminus, per actionem productus. Finis rei productæ eſt ille, ad quem exercendum, vel comparandum res fit, in quo ſenſu dicitur vnumquodque eſſe proptet ſuam operationem, aut quaſi operationẽ. Quartò diuiditur finis in formalem, & obiectiuum. Formalis eſt ille, quo immediatè aſſequimur obiectiuũ: verbi gratia Deus clarè viſus eſt finis noſter obiectiuus; viſio autem clara Dei, per quam

poſsidemus ipſum Deum vt obiectum,& finem obiectiuum dicitur finis formalis. Quintò diuiditur in finem intrinſecũ,& extrinſecũ. Finis intrinſecus eſt ille ad quẽ res aliqua de ſe,& ex ſua natura ordinatur; qua ratione actus ordinãtur ad ſua obiecta formalia,& ſimiliter ſcientiæ. Finis extrinſecus eſt ille, qui liberè apponitur ab operante, vt ſi quis ſtudeat philoſophiæ propter dignitatem conſequendam.

Finis vltimus, & nõ vltimus quales.

5. Vltimò diuiditur finis in finem vltimum, & non vltimum. Finis vltimus eſt ille, qui propter ſe ipſum amatur à voluntate, neque ad alium finem poteſt ordinari. Ita ſe habet Deus reſpectu omnium finium; quia in illo tandem ſiſtunt omnes. Et ille ad nullum alium ordinatur. Finis non vltimus eſt quilibet alius finis,qui cum per ſuam bonitatẽ moueat, tamen voluntas ibi non ſiſtit,ſed vlterius tendit, & ipſum ordinat, vel ordinare poteſt ad alium finem,vt ſunt omnes fines creati. Diuidi etiam ſolet finis in finem proximum,& remotum; & in finem, qui per operationem producitur, & qui ante operationem erat productus. Hæ tamen diuiſiones potius ſunt quædam enumerationes diuerſorum finium, *cuius* & *cui*,quàm propriæ diuiſiones. Præcipuus ergo finis eſt ille, cuius gratia aliquid fit,ex quo, & ex fine *cui*, integratur vnus finis totalis,qui eſt vera cauſa phyſica, & habet veros, ac reales effectus, cum verè,& realiter moueat voluntatẽ creatã ad eliciendos ſuos actus,vt magis infra conſtabit.

Præcipuus finis qualis ſit.

Quæ ſit ratio cauſandi cauſæ finalis, & quas requirat conditiones vt cauſet.

CAP. II.

4. RAtio cauſandi in quaLibet cauſa dicitur illud per quod talis cauſa conſtituitur in actu primo apta ad cauſandum ſuum effectum;qua ratione totũ phyſicum conſtituitur in ratione cauſæ efficientis aptæ ad producendum per ſuammet formam ſubſtantialem, & per virtutes illius. Cum ergo finis ſit obiectum voluntatis, ſaltem principale, & in voluntatem creatam exerceat præcipuè ſuam cauſalitatem,mouendo,& alliciendo illam : illud per quod finis eſt potens allicere voluntatem,& per quod illam de facto allicit,dicetur in fine ratio, ſeu principium cauſandi finaliter, ſeu finalizandi.

Ratio cauſandi in aliquo quid ſit.

Illud per quod finis mouet, eſt cauſandi principiũ.

5. Vera igitur ſententia eſt illud principiũ, per quod cauſa finalis conſtituitur in ratione cauſæ proximæ,aptæ ad cauſandum non eſſe appetibilitatem , vt aliqui voluerunt,ſed eſſe bonitatem realẽ, vel apparentem, quæ datur in re illa,quæ dicitur cauſa finalis. Ratio eſt, quia finis cauſat alliciendo ad ſe voluntatem, ſed nihil illam ad ſe allicit, niſi ſit bonum, ſaltem apparens; ergo per bonitatem conſtituitur finis in proxima ratione cauſæ.

Reſolutio quæſtionis.

Ratio.

6. Cum tamen bonum ſit triplex,nempe honeſtum, iucundũ,

Quæ bonitas conſtituat rationem finis.

& vtile eſt dubium, vtrùm om nes iſtæ bonitates poſsint conſtituere rationem cauſæ finalis? Reſpõdetur ſolum bonum honeſtũ, ac iucundũ, ſeu delectabile poſſe conſtituere rationem cauſæ finalis; quia iſta tantùm duo bona propter ſe appetuntur, bonum verò vtile, quatenus tale, non appetitur propter ſe, ſed propter aliquod ex alijs duobus bonis. Vnde colliges media, quatenus media, non poſſe ſortiri rationẽ finis, quia vt ſic ſolũ participãt bonitatem finis, hoc tamẽ nõ tollit quominus res illa, quæ eſt medium ad aliquem finem, poſsit habere ſecundùm ſe aliquam honeſtatem, vel iucunditatem, propter quam ametur per ſe, & ratione ſui per alium actum diuerſum. Similiter quamuis bonum delectabile aliquando repugnet honeſtati, hoc non tollit quominùs in genere phyſico eſſe poſsit cauſa finalis, aliquorum actuum.

Corollaria aliqua ex dictis.

7 Hinc colliges, quæ res poſſint cauſare finaliter; ſolùm enim cauſabunt finaliter illæ, quæ fuerint honeſtæ, vel delectabiles, vel ſaltẽ, quæ tales apparuerint; quas longum eſſet ſigillatim recenſere. Colliges ſecundò malum, quatenus malum, & cognitum vt tale non poſſe ſortiri rationem finis, nec propter ſe amari. Similiter negationes, & priuationes nõ poſſunt propter ſe amari, ſed ad ſummum propter aliquod bonũ poſitiuum, vel propter aliquod malũ, quo priuant. Vnde ſi amantur, ſolùm amantur tamquam media ad conſeruandum, vel obtinendũ aliquod bonum.

Quæ obiecta poſsint cauſare finaliter.

8. Cùm autem cauſa finalis ſit propria reſpectu agentium intellectualium, & illa tãtùm moueat, vt actualiter poſsit cauſare, requiritur cognitionẽ ſui in eo ſubiecto, quod mouet. Vnde præcipua conditio, quam requirit cauſa finalis, vt actualiter cauſet, eſt cognitio ſuæ bonitatis in intellectu operantis; nam cauſa realis, & phyſica ad hoc vt actualiter cauſet. aliquo modo debet exiſtere obiectiuè in intellectu. Deindè quia præcipua cauſalitas finalis exercetur circa volũtatem creatam. ſed hæc nihil vult, niſi priùs cognoſcatur, ergo, &c.

Vt actualiter cauſent requirunt præuiam ſui cognitionem.

9. Dubitabis tamen, vtrùm ad mouendam voluntatem ſufficiat ſola cognitio phantaſiæ, ita vt ſi ab homine auferatur intellectus, & maneat ſola phantaſia, adhuc voluntas operetur? Reſpondetur negatiuè, quia voluntas eſt appetitus rationalis; ergo etiam requirit neceſſariò potentiam dirigentem rationalem, qualis non eſt phantaſia; nam regula, & menſura debet proportionari rei mẽſuratæ: ſed phantaſia non eſt regula proportionata voluntati; ergo, &c.

Cuius potẽtiæ cognitio præ requiratur & ſufficiat.

10. Dubitabis ſecundò, qualis debeat eſſe cognitio ex parte intellectus ad hoc vt volũtas poſsit moueri à fine? Vtrũ ſcilicet requiratur neceſſariò notitia iudicatiua de bonitate finis, an ſufficiat cognitio ſimpliciter apprehenſiua? Reſpondetur requiri, & ſufficere talem cognitionem per quã intellectus reddatur certus de bonitate obiecti; quæ certitudo ſi poteſt dari in notitia aliqua tan

An neceſſaria ſit notitia præcedens iudicatiua.

tum apprehenſiua, iſta ſufficiet: ſi autem dicamus in nulla cognitione apprehenſiua poſſe dari illam certitudinem (quod non eſt probabile) tunc neceſſariò requiretur iudicatiua. Non tamen neceſſaria erit cognitio iudicatiua practica, ſaltem ad omnes actus voluntatis, ſed ſufficiet iudicium tantùm ſpeculatiuum ad ſimplicem amorem finis.

Cognitio requiritur tantùm vt conditio logica.

11. Dubitabis tertiò An iſta cognitio requiratur etiam vt principium, & ratio cauſandi, an requiratur vt conditio? Reſpondetur requiri tantùm vt conditionem, ſine qua voluntas non amabit; nam voluntas non amat cognitionem finis, ſed amat finem cognitum propter ſuam bonitatem; ergo bonitas eſt tota ratio amandi, cognitio verò ſolùm ſe habet, vt conditio logicè neceſſaria, quæ neque etiã diuinitùs ſuppleri poteſt: quidquid aliqui contradicant.

Vtrùm impoſsibile poſsit eſſe cauſa finalis?

CAP. III.

Impoſsibile duplex.

12. Duplex eſt impoſsibilium genus. Primum eſt illud, quod natura ſua tale eſt, vt Deũ non eſſe, Petrum eſſe Angelum. Secundùm, dicitur impoſsibile per accidens, ſeu ex ſuppoſitione, vt hominem, qui peccauit, non peccaſſe: rem, quæ fuit, non fuiſſe. Duplex etiam datur affectuum genus in voluntate circa aliquod obiectum. Primus actus, ſeu affectus dicitur efficax, per quem voluntas efficaciter intendit, & vult tale obiectum, & ex vi illius actus applicat media, & quantum in ſe eſt, conatur ad cõſequendum finem. Alter affectus dicitur inefficax, per quem volũtas ſibi complacet in aliquo obiecto, & ſimplici amore illud vult, & amat, non tamen applicat media.

Duplex genus affectuum datur in volũtate.

Secundus effectus voluntatis.

Prima concluſio.

13. Dico igitur primò. Impoſsibile primi, vel ſecundi generis cognitum vt impoſsibile, nõ poteſt appeti per actũ volũtatis efficacẽ, neq; per media procurari; quia vt tale cognitũ, nullã habet bonitatẽ, & nemo procurat aſſequi illud, quod iudicat impoſsibile. Imò impoſsibile, quod nullam habet rationẽ boni, vt chimæra, cognitũ vt tale nõ poteſt etiã appeti actu inefficaci, quia volũtas per actum proſecutionis non fertur, niſi in bonum.

Secunda concluſio.

14. Dico ſecundò. Si obiectũ à parte rei impoſsibile cognoſcatur vt bonũ, & intellectus non aduertat, vtrũ ſit poſsibile, vel impoſsibile, poterit amari, ſaltẽ per actũ quemdam cõplacentiæ inefficacem. Hac ratione pueri amant auium volatũ, & homines optant in Angelos trãsformari, & dãnati in inferno appetunt Deũ nõ eſſe, quãuis hæc à parte rei ſint impoſsibilia, neque accidere poſsint.

Tertia.

15. Dico tertiò. Illud impoſsibile, quod ſaltẽ per diuinã potentiã eſt poſsibile, poteſt appeti à volũtate tamquam finis, & per media procurari. Ita cæcus appetit viſum, & ad Deũ fundit preces, illũque

que aſſequi contendit. Similiter peccator per conueniẽtia media curat gratiam comparare, quam peccando amiſit, & ſimilia. Vnde à fortiori colliges impoſsibile iudicatum vt poſsibile poſſe appeti tamquam finem; & per media procurari, donec intellectus cognoſcat talẽ rem eſſe impoſsibilem.

Reſolutio quæſtionis.

DE CAVSALITATE CAVSÆ FINALIS, & eius effectibus.

QVÆSTIO XII.

Quid ſit cauſalitas cauſæ finalis.

CAPVT I.

1. Tres ſunt hac in re ſententiæ præcipuæ. Prima aſſerit cauſalitatẽ cauſæ finalis eſſe finalizationem, ſicut cauſalitas agentis eſt actio. Additque hanc finalizationem nihil aliud eſſe, quàm finem eſſe illud, propter quod aliquid fit. Hæc tamen ſententia rem non explicat: ſecunda ſentẽtia conſtituit cauſalitatem cauſæ finalis reſpectu effectuum, quos propriè cauſat in motione quadã metaphorica, per quam finis actualiter trahit, & allicit ad ſe voluntatem operantis. Hæc ſententia communis eſt, varijs tamen modis explicatur ab auctoribus. Qui tamen illam meliùs explicãt, dicunt cauſalitatem cauſæ finalis conſiſtere quidem in motione metaphorica, ſed iſtam motionem non eſſe aliquid diſtinctum ab actione voluntaris, per quam voluntas concurrit effectiuè ad ſuos actus. Vnde aſſerunt eamdẽmet actionẽ voluntaris, vt egreditur à voluntate tãquam á cauſa efficiente, eſſe cauſalitatem efficientis, vt verò eſt à fine, eſſe cauſalitatem cauſæ finalis, & vocari motionem metaphoricam, quæ manat tamquam via á fine mouente, & alliciente voluntatem.

Variæ ſententiæ proponuntur, & reijciuntur.

Cõmunior opinio.

2. Hæc cæteris eſt probabilior, & ſecundum illam cauſalitas finalis cauſæ eſt illa actio, per quã volũtas creata tracta à fine, elicit ſuum actum. Probatur autem per excluſionem reliquarum, quia nulla alia ſententia meliùs explicat hanc cauſalitatem. Secundò, quia tunc datur cauſalitas actualis alicuius cauſę, quãdo ipſa cauſa actualiter cauſat; ſed tunc finalis cauſa actualiter cauſat, quando voluntas operatur propter finem; ergo prædicta volitio eſt cauſalitas finis. Tertiò, quia illa volitio cauſatur à fine: ſed non cauſatur vt terminus, & vt proprius effectus; ergo cauſatur vt via ad effectum,

Sententia probabilior.

Probatur.

effectum; ſed via ad effectum eſt cauſalitas; ergo, &c.

Quæ cauſæ operentur propter finem,

CAP. II.

Reſolutio quæſtionis.

3. Sola agentia intellectualia propriè, & verè poſſũt operari propter finẽ, vt cõſtare poteſt ex dictis hacten⁹. Quapropter Deus in omnibus ſuis operationibus, & effectib⁹ ad extra operatur propter ſuã bonitatẽ tãquam per finẽ; nã cũ nihil agat temerè & inconſultè, ſed omnia in põdere, & menſura, & nõ poſſit moueri ab aliquo fine extrinſeco, & creato, omnia propter ſe metipſũ operatur. Vtrũ verò De⁹ propriè moueatur à ſua bonitate, vt á cauſa finali, ſtatim dicemus.

Secunda reſolutio.

4. Secundò Angeli, & homines in ſuis actionibus, & effectibus, quos liberè producũt, etiã operãtur propter finẽ, cum in illis dentur omnia requiſita ad operandũ propter finem. Deinde, quia ſi homines, & Angeli propter finẽ non operarentur, iam nulla eſſet cauſa finalis, quæ haberet reales effectus. Reliqua verò agentia cognoſcitiua, quæ liberè nõ operantur, vt brutæ animantes, ſolùm poſſunt dici operari propter finẽ materialiter, nõ tamẽ formaliter; quia quãuis ferantur in bonum delectabile, & ſibi conueniẽs, tamẽ nõ feruntur in tale bonũ, ſub ratione finis, nec cognoſcũt proportionem finis, aut vtilitatẽ mediorum ad talem finem, ſed per naturalem inſtinctum feruntur ad bonum ſibi conueniens.

Quomodo animantes operentur propter finem.

Quid ſit naturalis brutorum inſtinctus.

5. Petes quid ſit iſte naturalis inſtinctus brutorum? Reſpondetur nihil aliud eſſe, quàm operationẽ phantaſiæ determinatã ad iudicium quoddam imperfectũ, conuenientis, aut incõmodi, determinanſque appetitũ ad fugã, vel proſequutionem. Quãuis autẽ brutorũ phantaſia in omnibus ſit eiuſdem ſpeciei, tamẽ propter coniunctionem, quam habet cum diuerſis formis ſublunaribus brutorũ, & propter diuerſas diſpoſitiones inclinat formicas, v. g. ad quærenda grana verno tempore, apes ad conficiendos fauos, araneas ad telam, & ſic de alijs.

Pueri an operentur propter finem.

6. Quod diximus de operationibus brutorum propter finẽ, aptari etiã poteſt modo operandi puerorũ ante vſũ rationis, & appetitui, & phãtaſię humanę, ſi per ſe tantùm conſiderentur, & non quatenus ſubijciũtur imperio volũtatis. Quòd verò brutæ animãtes operentur propter finẽ materialiter, oſtenditur, quia appetunt res ſub ratione boni, & ſibi cõuenientis; v.g. equus ſitibundus naturali inſtinctu fertur ad fontem, quamuis non cognoſcat proportionẽ, quã habet ſuus motus, neq; illam, quam habet aqua ad ſedãdam ſitim. Et ſic de alijs ſimilib⁹ effectibus, quos edunt bruta animalia, qui nobis videntur fieri ex quodam diſcurſu, cùm tamen fiãt tantùm ex naturali inſtinctu proximè explicato.

Reliqua agentia nõ cognoſcitiua quomodo operentur propter finem.

7. Reliqua agentia, quæ operãtur nulla præuia cognitione non

operantur

operantur propter finem formaliter, nec materialiter; quia finis ad hoc vt moueat, debet priùs cognoſci; ergo agẽtia, quæ nullã habẽt cognitionẽ nõ poſſunt operari propter finẽ. Si tamen actiones horũ agentiũ naturaliũ, quæ non habent cognitionem, & illorum, quæ eam habẽt, nõ tamen intellectiuã, ſumãtur prout ſimul à Deo egrediũtur, tales actiones, & effectus ſũt omnes propter finẽ, & ad finẽ ordinãtur. Et in hoc ſenſu dicitur natura operari propter finẽ, & nihil fruſtrà moliri, & omnia agentia etiã nõ cognoſcitiua dicũtur agere propter finẽ, quia quãuis nõ dirigãt ſuas actiones, & effectus ad aliquẽ finẽ, diriguntur tamẽ ab alia cauſa ſuperiori, quæ rerũ omniũ fines cognoſcit, & ad illos obtinendos, vires, & naturales inclinationes contulit rebus omnibus. In quo etiam ſenſu dicitur opus naturæ eſſe opus intelligentiæ.

In quo ſenſu dicatur natura operari propter finem, & nihil fruſtra moliri.

8. Eſt tamẽ dubiũ, vtrũ in productione monſtri natura propter finem operetur? Vt hæc quæſtio ſoluatur oportet definire quid ſit monſtrũ. *Monſtrũ igitur eſt naturalis effectus à recta, & ſolita ſecundũ ſpeciem diſpoſitione degenerans.* Tale cenſeretur, ſi ex muliere naſceretur brutũ, aut puer cum capite arietino, vel ex boue vitulus cũ humano capite. Accidit autẽ monſtrum plurimis de cauſis, nam aliquando ex ruditate materiæ, vel ex defectu virtutis formatricis, vel ex abundãtia materiæ, vel ex diuerſitate, & commixtione diuerſi ſeminis; vel ex anguſtia loci, in quo formatur fœtus, vel ex intẽperie quatuor qualitatũ; iuuat etiã regionis, & aëris diſpoſitio, & parentũ imaginatio, aliæque plures cauſæ poſſunt concurrere ad productionẽ monſtri, ita vt quædã concurrant effectiuè, aliæ impediendo tantùm.

Monſtrum quid.

Variæ mõſtrorum cauſæ.

9. Monſtra igitur ſi comparẽtur cũ cauſis ſecundis impeditis, non intenduntur per ſe à talibus cauſis, ac proinde non fiunt propter finẽ, quia tales cauſæ intendunt ſibi aſsimilare effectũ. Si autem monſtrum comparetur cum cauſa prima omnia cognoſcente, & operante propter finem, intenditur ab ipſa cauſa prima, & in aliquem finẽ dirigitur, verbi gratia, ad pulchritudinem vniuerſi, & propter alias cauſas.

An intendantur à natura.

Vtrùm actiones, & effectus Dei ad extra habeant propriam cauſam finalem?

CAP. III.

10. NOn excitatur quæſtio de actibus diuinæ voluntatis, quia cum ſint ipſa diuina eſſẽtia, nõ poſſunt habere vllam cauſam, ſed ſunt quid omnino independens; ſolùm ergo quærimus de actionibus Dei ad extra, & eiuſdẽ effectibus, qui cum ſint creati, non illi repugnat quælibet dependentia. Dubiũ igitur eſt, vtrũ iſti effectus prout egrediũtur á Deo, habeant propriam cauſam finalem? Et ratio dubij eſt, quia nullus effectus externus poteſt habere veram cauſalitatem finalem, neque eſſe

Actus Dei interni non habent cauſas.

Dubium.

Ratio dubitandi.

propriè effectus cauſæ finalis, niſi media volitione, quæ eſt cauſalitas finis, vt ſupra diximus; ſed nulla volitio diuina eſt cauſalitas cauſæ finalis: ergo nullus effectus Dei ad extra poteſt eſſe proprius effectus cauſæ finalis. Deinde noſtri actus externi non ſunt effectus cauſæ finalis, niſi prout coniunguntur alicui interno, qui propriè cauſatur à fine, ſed nullus actus Dei internus cauſatur propriè à cauſa finali, ergo etiam effectus Dei externi non habent propriam cauſam finalem.

Opinio Gabriel.

11. Propter hæc fundamenta Gabriel in 2. diſtinc. 1. quæſt. 5. & Okamus q. 3. art. 1. non ſine probabilitate diſtinguunt finem, qui eſt tantùm finis, & finem, qui eſt cauſa finalis. Finem tantùm appellant illum ad quem tendit operatio, ſeu motus. Vnde ſi detur finis, qui non moueat propriè voluntatem agentis, dummodo tamen effectus ordinetur ad illum, talis finis, erit tantùm finis, & nõ cauſa finalis. Si autem finis verè moueat voluntatẽ operantis tunc erit vera cauſa finalis. Aſſerunt igitur effectus Dei ad extra habere finem, quia ordinatur ad Deũ tanquam ad finem; non tamẽ habere cauſam finalem, quia voluntas Dei propriè non mouetur ab aliquo fine; neque actus interni diuinæ voluntatis ſunt propter cauſam aliquam finalem.

Finis tantũ quid ſit.

Communis opinio.

12. Alij dicunt effectus Dei ad extra habere ipſum Deum, non tantùm pro fine, ſed etiam pro cauſa finali, ita communiter Recentiores, & putant eſſe omnium Theologorum ſentẽtiam. Et probant ex Scriptura dicente: *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus.* Vbi pars illa *propter*, veram indicat cauſam finalem. Deinde quia cauſa finalis nullam dicit imperfectionem, ergo omnes effectus Dei ad extra habent ipſum Deum pro cauſa finali.

Soluitur ratio dubitandi.

13. Ad rationem dubitãdi reſpondent. Ad hoc vt finis ſit propria cauſa effectus non eſſe opus, vt priùs in ipſo agente habeat aliquam cauſalitatem propriã; quãuis enim hoc contingat in agentibus creatis propter finem tamẽ in agente intellectuali increato non eſt neceſſarium, quia ſine vlla ſui mutatione, ſimpliciſsimo, & eminentiſsimo modo ſeſe applicat, ac veluti determinat ad operandum propter ſeipſum, vt propter cauſam finalem rerum omnium creatarum. Hæc tamen doctrina adhuc patitur aliquas difficultates, quas in tantillo opuſculo non poſſumus expendere. Ideo vtraque ſententia facilè defendi poteſt, ſed prima faciliùs: niſi in hac ſecũda dicas illam mer actionem; per quam Deus efficit ad extra quemcumque effectum dici etiam poſſe cauſalitatem finalẽ talis effectus.

Fertur iudicium de vtraque ſententia.

14. Quando autem Deus dicitur amare ſe propter ſuam bonitatẽ, & reliqua propter ſeipſum. Particula illa *propter*, nõ ſignificat aliquam cauſalitatem, quæ exerceatur circa diuinam voluntatẽ, ſed ſolùm indicat, & explicat rationem diuinæ voluntatis, & ſolum vult, rationem cur diuina voluntas amat, eſſe diuinam bonitatem, ſicut dicimus diuinum

In quo ſenſu dicatur Deus amare omnia propter ſe.

intellectum

intellectum cognoſcere obiecta, quæ vera ſunt.

De effectibus cauſæ finalis, per per ordinem ad creatam voluntatem.

CAP. IIII.

Actus voluntatis ſunt in duplici genere.

15. Dvo genera actuũ poſſunt dari in voluntate creata, quos ipſa eliciat propter cauſam finalem. Quidam ſunt actus interni, & eliciti à propria voluntate, alij ſunt actus imperati ab eadem, & eliciti ab alijs potentijs, quæ ſubiacent imperio voluntatis, & aliter dicuntur actus externi. De vtroque genere actuũ poteſt eſſe dubium an fiant propter cauſam finalem, & ſint ipſius effectus.

Prima concluſio.

16. Dico primò. Actus omnes interni, quos voluntas elicit liberè, ſunt propter finem, & effectus cauſæ finalis. Hæc vt magis pateat notandus eſt modus, quo voluntas creata ſe habet in amando aliquo fine. Præſuppoſita igitur cognitione finis, primus actus, quem voluntas elicit eſt ſimplex amor, ſeu ſimplex complacentia, de tali fine. Secundò, ſequitur deſiderium de fine conſequendo. Tertiò, ſpes conſequendi. Quartò, ſequitur actus per quẽ voluntas intendit, & vult efficaciter talem finem, & media ad illum applicare. Quintò, eligit media aptiora. Sextò, imperat volũtas mediorum executionem illis potentijs, per quas media electa ſunt exercenda; vel etiam ſibi ipſi, ſi medium eſt aliquis actus internus voluntatis. Tandem per iſta media executioni mandata comparatur finis, quo comparato ſequitur in voluntate gaudium de fine poſſeſſo, & aliter dicitur fruitio.

Modus procedendi in amando fine.

17. Omnes igitur iſti actus voluntatis interni fiunt propter finem, & voluntas mouetur ad illos eliciendos á fine vt à cauſa. Ratio vniuerſalis eſt, quia omnes actus, quos volũtas elicit, aut verſantur circa finem, aut circa media, ſi verſantur circa finem, fiunt immediatè propter finem, ſi verſantur circa media, etiam fiunt immediatè propter bonitatem finis; ergo nullus actus internus, & liber datur in voluntate creata, qui non cauſetur à cauſa finali. Cauſalitates verò horum actuum, ſunt ipſæ actiones volendi, quæ effectiuè oriuntur à voluntate tamquã viæ ad ſuos terminos. Cõcluſio. Ratio concluſionis.

18. Dico ſecundò. Omnes actus externi, & imperati à voluntate creata operante propter finem ſunt effectus cauſæ finalis. Ratio eſt, quia omnes iſti actus imperãtur, & fiunt propter finem; ergo omnes ſunt effectus ipſius finis. Aduertendum tamen eſt, quãdo iſti actus externi fiunt propter finem dari in voluntate creata actum quemdam internum, per quẽ voluntas dirigit actum externum ad aliquem finem, & tunc ex actu externo, & interno adæquari vnũ totalem effectum cauſæ finalis, quapropter ſolus actus externus ſine aliquo interno, non poteſt eſſe proprius, & totalis effectus Concluſio ſecunda.

cauſæ

Digitized by Google

cauſæ finalis, ſed neceſſariò adiūgendus eſt alius actus inrernus.

Actus voluntatis neceſſarij an ſint propter cauſam fioalem.

19. Petes, vrrùm actus neceſſarij eliciti à voluntate ſinr effectus cauſæ finalis? Reſponderur cum diſtinctione; nam illi effectus, qui ſunt neceſſarij ex defectu aduertentiæ, vel ex carenria vſus rationis, non fiunt propriè propter finem formaliter, licet poſsinr dici propter finem materialiter. Illi autem, qui ſunr neceſſarij ſolùm quia obiectū proponitur vt ſummè bonum, qualis eſt amor Dei in Patria, per quem beati poſsident Deum clarè viſum, & de illo gaudent, etiam ſunt propter finē formalirer; quia licet ſint neceſſarij, & non liberi, tamen illa neceſsitas non prouenit ex imperfectione, aur ex modo operandi irrrationali, ſed ex ſumma perfectione vltimi finis clarè cognita.

Actus naturales quomodo ſe habeant.

20. Actus verò, qui non ſubiacent imperio voluntatis, vt eſt actus nutriendi, & alij ſimiles naturales non ſunt propter finē, ſaltē prout hìc de fine loquimur, quia in his proinde ſe habet homo, ac reliquæ brutæ animantes. Poſſet etiam hoc loco inquiri, vtrùm vnus & idem actus, tam internus, quā externus poſsit habere duos torales fines partiales, & diſparatos? Verùm iſta quæſtio ſoler tractari á Theologis prima ſecundę, quæſtione decima octaua, & decima nona, vbi quærūt an idē numero actus poſsir habere duplicē bonitatē formalē, ex duplici fine totali. Er ideo illis remirrimus tractationem huius quæſtionis; ne longiores ſimus in explicandis rerum naturalium cauſis, quas Ariſtoteles explicuit libro ſecundo Phyſicorum.

DE MOTV RERVM naturalium.

QVÆSTIO XIIII.

Quid ſit motus & quotuplex.

CAPVT I.

Motus definitiones.

1. QVia per ordinem ad motū Ariſtoteles naturam definierar, & præcipua rerum naturalium proprieras eſt motus, ideo explicara rerum eſſentia, & cauſis, proximè ſequitur agendū de motu phyſico. Definitur ergo tripliciter ab Ariſt. Primò *Motus eſt actus mobilis prout mobile eſt*. Secundò. *Motus eſt actus eius, quod agere, & pati poteſt*. Tertiò, & principaliter. *Motus eſt actus entis in potentia prout in potentia eſt*. Et hæc vltima definitio magis explicat

natutam

naturam motus. Dicitur *Actus*, id eſt perfectio eius rei, quæ adhuc eſt in potentia ad vlteriorem formam recipiendam; id enim indicant illa verba *Quatenus in potentia eſt*. Motus igitur eſt acquiſitio cuiuſcũque formæ naturalis prout paulatim acquiritur, donec perueniat ad vltimam perfectionẽ, ſeu ad vltimum gradum.

Quæ entia reijciantur à definitione motus.

2. Per illud *Actus entis* intelligitur ens naturale; vnde reijciuntur motus Angelorum, & aliorũ entium, quæ non cõſtant ex materia, & forma; reijciuntur etiam productiones inſtantaneæ, quales ſunt generationes ſubſtantiales. Generationes verò accidentales hìc etiam comprehendi poſſunt, quia plures earum fiunt ſucceſsiuè, & in hoc ſenſu intelligi poteſt Ariſtoteles, quando in exemplum motus attulit generationẽ.

Eſt eſſentialiter ſucceſſiuus, & cõtinuus.

3. Ex dictis colligitur motũ eſſe eſſentialiter cõtinuum, & ſucceſſiuum, cum ſit tendentia quædã ad formam, non ſimul, ſed per partes. Deinde non eſt quælibet tẽdentia interrupta, ſed continua, habetque partes, quæ nectantur indiuiſibilibus, & iſta indiuiſibilia vocantur mutata eſſe. Neque iſta ſucceſsio, & continuitas in motu ſunt duæ res, ſed vna tantùm intrinſecè conſtituens eſſentiã motus, & illum diſtinguens à quouis alio ente. Præter hanc continuitatem motui eſſentialem, poteſt conſiderari alia duplex in motu. Prima ex parte durationis, ſeu tẽporis, in quo fit motus. Secunda ex parte ſubiecti, in quo recipitur forma, quæ per motum acquiritur: & iſtæ duæ poſſunt eſſe motui accidentales, non tamen prima.

Aliæ continuitates in motu accidentes.

Multiplex acceptio motus.

4. Notandum deinde eſt motũ quinque modis poſſe ſpectari. Primò, prout egreditur ab agente, & ſic eſt actio. Secundò, prout recipitur in patiẽte, & eſt paſsio. Tertiò, vt eſt forma imperfecta tẽdens ad perfectionem, & ſic eſt aliquid incompletum. Quartò, vt eſt acquiſitio huius formæ imperfectæ, qua etiam ratione eſt aliquid incompletum, & analogũ. Quintò poteſt ſumi vt ens quoddam ſucceſsiuum, & continuum, & ſic poteſt eſſe aliquid vnum cum; & iuxta aliquos ſpectat ad prædicamentum Quantitatis, vt vera quantitas ſucceſsiua.

Actio, paſſio, & motus qua ratione diſtinguantur.

5. Vnde colliges vnum, & idem modum ſimul eſſe actionem, paſſionem, & motum, ſolumque differre inter ſe virtualiter iſta tria, quando coniunguntur in eodem modo reali. Petes, vtrùm mutatio idem ſit, atque motus? Reſpondetur negatiuè, nam mutatio ſignificat quamcumque actionem, & variationem realem factam in aliquo ſubiecto, ſiue fiat ſucceſſiuè, ſiue in inſtanti, motus verò ſolùm ſignificat mutationem ſucceſsiuam, & continuam. Petes ſecundò, vtrùm actio ſucceſsiua, & inſtantanea, quando habẽt eumdem terminum, differant eſſentialiter? Reſpondetur negatiuè, quia ſpecificantur per terminos materiales; ergo ſi terminus eſt idem, non poſſunt actiones eſſe diuerſæ.

Motus non eſt idem atque mutatio.

Actio ſucceſsiua, & inſtantanea differunt accidentaliter.

Motus phyſicus triplex.

6. Motus phyſici triplex genus numeratur, nempe motus ad qualitatem, qui dicitur accretio Mo-

tus.

tus ad qualitatem, qui vocatur alteratio. Motus ad Vbi ſeu præſentiam localem; qui appellatur latio. Quòd verò non dentur plures motus phyſici, probatur, quia non dantur plures formæ, quæ per motum ab Ariſtotele defini tum poſsint produci: ſed motus diſtinguuntur per terminos ad quos feruntur; ergo ſi dantur tria tantùm genera terminorum, dabuntur etiam tria genera motuum.

7. Dubium tamen eſt, vtrùm motus ad quantitatem ſit duplex ſpecie diſtinctus, quorum vnus dicatur accretio, & alter decretio? Reſpondetur motum ad quãtitatem eſſe vnum tantùm, quia decretio non eſt realis motus, ſed eſt tantùm motus quidam negatiuus, ſeu negationes quædã continuatæ partium præiacentium. Et idem dicendum eſt de remiſſione qualitatum. De motibus verò ad qualitates dicendum eſt tot eſſe motus ſpecie diſtinctos, quot qualitates diſtinctæ, quæ per motum producuntur. Imò etiam probabilius eſt, quando idem ſubiectum ex nigro fit album recipiendo prius in ſe colores inter medios, dari ibi motus ſpecie di uerſos propter diuerſas qualitates, ſeu colores, qui in tali ſubiecto producuntur. Similiter quando duo ſubiecta tendunt ad eumdem colorem extremum, v.g. ad nigredinem: ſed per colores intermedios diuerſos, quia vnum tendit ad nigredinem per cæruleum, alter per colorem viridem: etiam tunc dantur ibi diuerſi motus ſpecie ad colores intermedios, quamuis motus ad extremum colorem ſit eiuſdem ſpeciei.

Decretio non eſt realis motus.

Motus ad colores intermedios.

8. De motibus localibus ſimiliter dicẽdum ſpecificari per præſentias intrinſecas, & reales ſubiectorum, quæ per tales motus acquiruntur. Probabilius tamen eſt omnes locales motus, qui recipiuntur in quantitate, eſſe eiuſdẽ ſpeciei, ſicut etiam præſentiæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Vnde colliges ſubiectum motus localis non eſſe ſuperficiem corporis ambientis, ſed eſſe ipſum ſubiectum, in quo producitur realis præſentia. Colliges ſecundò terminum motus localis non eſſe relationem aliquam diſtantiæ ad Polos, nec eſſe denominationem aliquã extrinſecam per ordinem ad ſuperficiẽ ambientem, (vt aliqui volebant) qui ex eo refelluntur, quia ad relationem non eſt per ſe motus. Deinde quia motus poteſt dari in vacuo, vbi nulla datur realis ſuperficies; ergo, &c.

Motus localis per quid ſpecificetur.

Eius ſubiectum & terminus.

De diſtinctione motus à termino, & à ſubiecto, & de illius vnitate.

CAP. II.

9. Terminus motus *Eſt illa forma, quæ per motum producitur.* Subiectum verò *Eſt illud, in quo forma ipſa, & motus mediante forma recipitur.* Quod ſubiectum poteſt conſiderari, vel quoad ſubſtantiã, vel quoad quantitatem. Dicendũ ergo primò eſt motum compara

Quid ſit terminus motus, & illius ſubiectum.

Reſolutio.

tum cum termino ſolùm modaliter ab illo diſtingui, cum non poſsit etiam diuinitùs ſine termino conſeruari, nec ſit de eſſentia termini, ſeu formæ ſed tantùm acquiſitio talis formæ; ergo ſicut actio non diſtinguitur, niſi tantùm modaliter á ſuo termino, ita motus non diſtinguetur maiori diſtinctione.

10. Si motus comparetur cum ſubiecto (quod aliter dicitur mobile) ſecundùm ſubſtantiam ſpectato, omnis motus phyſicus diſtinguitur realiter à ſubſtantia ſui ſubiecti mobilis, quia omnis forma, quæ per motum producitur, hoc genere diſtinctionis differt à ſubſtantia rei mobilis, vt patebit inductione. Si autem motus comparentur cum quantitate ſubiecti, tunc ille motus, per quem producitur præſentia localis in corpore quanto, ſolùm diſtinguitur modaliter á mobili ſpectato ſecundùm quantitatem; reliqui verò motus diſtinguuntur realiter, etiam ille qui datur ad maiorem quantitatem, quia partes quantitatis, quæ de nouo adueniunt, diſtinguuntur realiter à præiacentibus.

Requiſita ad vnitatẽ motus.

11. Petes quid requiratur ad hoc vt motus dicatur vnus? Reſpondetur ad vnitatem numericam motus præter eſſentiam illius, requiri vnitatem mobilis, vnitatem formæ productæ per motum, & vnitatem temporis, ita vt deficiente aliqua ex his vnitatibus, ſtatim motus naturaliter loquendo cenſeatur diuerſus. Vnde ſi mobile ſit duplex, iam motus erit duplex, vt ſi ignis ſimul calefaciat hominem, & lignum, dabuntur ibi duo motus. Similiter ſi forma ſit duplex, quamuis ſubiectum ſit idem, erunt motus diuerſi. Qua ratione Sol in eodem tempore extrinſeco producit ſimul calorem, & ſiccitatem in luto. Tertiò, ſi ignis calefaciat aquam, & aqua per aliquod temp⁹ remoueatur ab igne, & poſtea iterum approximetur, dabuntur ibi duo motus ratione diuerſi temporis, & non vnus tantùm.

12. Atque hinc colliges ſi lignum ex parte viride, & ex parte ſiccum moueatur, dari ibi duplicem motum, quia dantur duo obiecta. Colliges ſecundò illum motum, qui fit á cytharædo in fidibus eſſe ſimiliter multiplicem, quamuis motus, qui fit in manu poſsit eſſe vnus tantùm. Ille verò motus, quo lapis deſcenderet à concauo Lunæ ad terram, eſſet vnus tantùm, quia haberet vnam præſentiam totalem. Ille tamen, quo viuens aliquod proijceretur à turri, ſi in medio aëre interiret, & cadauer ad terram perueniret, non eſſet vnus tantùm motus, ſed duplex, quia ibi erat duplex ſubiectum.

DE INFINITO.

QVÆSTIO XIIII.

Quid, & quotuplex ſit infinitum.

CAPVT I.

1. QVia motus eſt quid cõtinuũ, & in infinitas partes ſecari poteſt, vt magis pateat eſſentia motus, explicauit Ariſtoteles in tertio libro phyſicorum quid ſit infinitum.

Infinitum quid ſignificet.

Infinitum igitur eſt nomen concretum ſignificans de formali negationem finis, & ſecundariò rem, vel res in quibus recipitur talis negatio, & aliter vocatur infinitum materialiter. Ens igitur aliquod vel poteſt dici infinitum ſecundùm eſſentiam, & eſſentialem perfectionem, vel poteſt dici infinitum extenſiuè tantùm, quia habet partes infinitas.

Quotuplex ſit infinitum.

Ens primo modo infinitum eſt ſolus Deus, qui nullum terminum habet ſuæ perfectionis eſſentialis. Ens infinitum extenſiuè eſt adhuc duplex.

Infinitum actu propriè quid.

Primum dicitur infinitum actu propriè: & eſt illud, quod continet infinitas partes certas actualiter exiſtentes, & æquales vni certæ, neque inter ſe communicantes, verbi gratia, ſi daretur vna quantitas, quæ haberet infinitos palmos, talis quantitas eſſet actu infinita propriè, quia palmus eſt pars certa quantitatis, & illa quantitas haberet infinitas partes æquales vni palmo. Similiter ſi ſub ſpecie hominis Deus produceret infinitos homines indiuiduos, tota collectio illorum diceretur quoddã infinitum actu.

Infinitum poteſtate.

2. Aliud infinitum dicitur infinitum poteſtate, & tunc datur quando in aliquo ente certo, & determinato dantur infinitæ partes incertæ, quas vocant proportionales, & infinita indiuiſibilia nectentia illas partes, quæ componunt aliquod ens infinitum, & limitatum.

Eius definitio.

Vnde infinitum poteſtate definiri poteſt *Illud, quod ex infinitis partibus incertis coaleſcit ipſum tamen in ſe eſt finitum, ac limitatum.*

Motus in quo ſenſu infinitus

Et hac ratione motus quilibet dicitur infinitus poteſtate; quia ita poteſt diuidi in partes proportionales, vt illius diuiſio nullum ſit exitum, ac finem habitura.

Infinitum ſyncategorematicum.

3. Præter hæc duo genera infiniti datur aliud, quod vocant infinitum ſyncategorematicum. Et tunc dicitur dari, quando tot dantur indiuidua vnius ſpeciei, vel ſpecies vnius generis, vt ſemper poſſint dari plures in infinitum, verbi gratia, poteſt Deus ſub homine condere non tot quin plura

hominis

hominis indiuidua. Et hoc infinitum poteſt aliter vocari infinitū actu, impropriè loquendo.

Vtrùm infinitum poſsit dari viribus naturæ, vel de facto detur?

CAP. II.

Reſponſio ad quæſtionem.

4. INfinitum actu propriè dictū neq datur, nec dari poteſt viribus naturæ. Ratio eſt, quia virtus naturæ in operando eſt finita, ac limitata, neque in tempore certo, & determinato poteſt producere infinitos effectus actualiter exiſtentes.

In quo ſenſu poſſet dari infinitum.

Dixi *In tempore certo & determinato*, quia ſi aliqua cauſa naturalis produceretur ab æterno, & ſemper operaretur, poſſet producere infinitos effectus actu in duratione infinita. Similiter infinitum ſyncategorematicum poteſt dari naturaliter, quia animæ rationales á parte poſt ſunt æternæ, & per totam æternitatem poſſunt producere non tot actus intellectus, quin plures: & idem de Angelis dicēdum; & de qualibet cauſa creata ſi in æternum conſeruetur cum omnibus requiſitis ad agendum.

Datur de facto infinitum poteſtate.

5. Infinitum poteſtate viribus naturæ eſt poſsibile, & de facto datur, iuxta probabiliorem ſententiam, quæ in qualibet quantitate certa, & determinata agnoſcit infinitas partes proportionales, & infinita indiuiſibilia nectētia illas partes.

Ratio.

Et probatur, quia quælibet quantitas ſiue ſucceſsiua, ſiue permanens, eſt in infinitum diuiſibilis: ſed quidquid eſt in infinitum diuiſibile, habet partes infinitas, in quas poteſt diuidi; ergo in quantitate dantur partes proportionales infinitæ. Vnde in magnitudine palmari, verbi gratia, tot dantur partes proportionales, quot dantur in alia minori, quamuis non dētur tot partes certæ, quia multitudo partiū infinita non poteſt ſuperari à quauis alia multitudine.

Vtrùm infinitum actu ſaltem diuinitùs poſsit dari?

CAP. III.

6. HÆc quæſtio problematica eſt, ſed probabilior pars negatiua, quam tuentur Diuus Thom. 1. p. q. 7. quodlibet. 9. artic. 1. & quodlibet. 12. artic. 2. Bonauentur. in 1. diſtin. 43. q. 3. Richardus q. 5. & 6. Durandus q. 2. Scotus in 2. diſt. 1. q. 3. & alij plures Recentiores frequēter. Reſolutio.

Primū fundamentū.

Primùm fundamentū eſt, quia ſi eſt poſsibile infinitum actu, producatur à Deo; illo producto, vel Deus poteſt producere in eo genere plura, vel non: ſi poteſt producere plura, non produxit infinitum: ſi non poteſt plura producere, iam exhauſta eſt diuina potentia ſaltem in eo genere entis: ſed hoc non eſt dicendum; ergo nec illud vnde ſequitur.

Secundum

Secundum fundamentum; quia in ea multitudine tot eſſent binarij, quot quaternarij, & pars adæquaretur ſuo toti.

Tertium.

Deinde ſi daretur corpus phyſicum infinitum, poſſet moueri, quia eſt ens naturale,& non poſſet,quia omnem locum occuparet. Quartò, quia ſi Deus creare poteſt infinitos Angelos, iſti poſſent applicare infinitum impulſum, ac proinde mouerent aliquod corpus in inſtanti, quod eſt impoſsibile; ergo,&c.

Quartum.

Pars affirmans probabilis & eius fundamenta.

7. Pars affirmatiua etiam eſt probabilis;eam tenent Gregorius in 1.d.43.q.4. Aliacenſ. d. 42. q. 13.artic.3. Ochamus quodlib.2.q. 5.& in 2.q.8. Argentinas d.*q.2. attic. 4. Maior, & Almainus in 3 d.13.q. vnica, & alij. Et probant primò, quia potentia Dei eſt infinita; ergo poteſt habere infinitos effectus. Secundò, quia diuinus intellectus cognoſcit infinita; ergo diuina potentia poteſt etiam facere infinita. Tertiò. Si darentur infinita agẽtia, poſſent producere infinitos effectus: ſed omnipotentia Dei ſuperat virtutem infinitorum agentium; ergo poteſt facere quidquid facerent infinita agentia. Quartò. Deus non habet modò minorem potẽtiam, quàm habuit ab æterno:ſed ſi Deus ab æterno operaretur,iam nunc produxiſſet infinitos effectus; ergo etiam nunc poteſt eoſdem producere.

Syncategorematicum infinitum an poſsit fieri à Deo.

8. Quãuis ſit dubium, An Deus poſsit condere infinitum actu, tamen non eſt dubiũ poſſe creare,ſeu producere infinitum ſyncategorematicè,ſaltem in indiuiduis,dato enim quocumque numero indiuiduorum ſub aliqua ſpecie, poteſt condere plura, & plura in infinitum ſub eadẽ ſpecie. Vnde etiam ſub qualibet ſpecie angelica poteſt condere infinitos Angelos ſyncategorematicè, ſaltem in indiuiduis, quia in hoc nulla apparet repugnantia.

De ſpeciebus ſub eodem genere perfectioribus in infinitum.

9. De ſpeciebus eſt maius dubium,an data quacumque ſpecie ſub aliquo genere, poſsit Deus aliam ſpeciem rerum condere ſub eodem genere perfectiorem? Aliqui etiam ex Catholicis arbitrantur poſſe dari ſub vno genere ſpeciem aliquam ita perfectam, vt Deus non poſsit aliam perfectiorem condere. Ita Henricus quodlib.5.q.3. & quodlib. 8.q.8. Scotus in 3.diſtinct.13.q.1. Durãdus in 1.diſtinc.44.q.2. & Aureolus apud Capreolum in 1.d.43.q. vlt.artic.2. Dicendum tamen eſt ſub quolibet genere poſſe Deum condere aliam, & aliam ſpeciem eſſentialiter perfectiorem in infinitum, v. g. ſpeciem aliquam ſub animali perfectiorem homine,& aliam iſta perfectiorem, & ſic de reliquis; quia nunquam deuenirent ad perfectionem ſimpliciter infinitam, ſed omnes in ſuo ordine eſſent limitatæ perfectionis,& quamuis ſe excederent in infinitum, iſte exceſſus non eſſet arithmeticus, ſed proportionalis. Ratio præcipua eſt, quia hoc infinitum nullam inuoluit repugnantiam,nec ex parte diuinæ potentiæ, nec ex parte ſpecierũ: Et alioqui ex oppoſito ſequeretur exhauriri diuinam potentiam,ſaltem in aliquo genere, quod non eſt dicendum.

Concluſio.

Ratio concluſionis.

Digitized by Google

De cognitione, quæ poteſt haberi de infinito.

CAP. IIII.

10. SUmimus infinitũ hoc loco materialiter pro rebus ipſis, quæ dicũtur infinitæ; nam de infinito formaliter pro negatione finis, non eſt dubium poſſe cognoſci. Cognitio igitur alicuius infiniti vel poteſt eſſe cõfuſa, vel diſtincta; & de cognitione cõfuſa non eſt dubiũ poſſe haberi etiã à creato intellectu, cognoſcimus enim naturaliter Deum confusè, quãuis ſit ens ſimpliciter infinitũ. Cognoſcimus etiam confusè in qualibet quãtitate infinitas partes proportionales. Totũ dubiũ eſt de cognitione clara infiniti, quæ vel poteſt haberi ſimul, vel per partes, & ſucceſsiuè.

Cognitio confuſa nõ repugnat naturaliter.

Sẽſus quæſtionis

11. De diuino igitur intellectu non eſt dubiũ, quòd ſimul cognoſcat quodlibet infinitum diſtinctè, & cognitione cõprehenſiua; cũ ſe ipſum comprehendat, & omnia obiecta creata, & creabilia, eo ipſo quòd ſunt cognoſcibilia, propter infinitũ lumen, quod datur in diuino intellectu, qui non accipit ſcientiam á rebus, ſed ex ſe habet virtutem cognoſcendi quodcũque obiectũ cognoſcibile. Vnde etiam cognoſcit quodlibet infinitum ſyncategorematicum, & quoduis proportionale. Non poterit tamen Deus ſucceſſiuè cognoſcere aliquod infinitum, & per partes, quia hoc dicit imperfectionem ex parte intellectus cognoſcentis, qui omnia ſimul percipit, & comprehẽdit.

Cognitio Dei circa infinitum.

12. De intellectu verò creato ſuis viribus relicto certum primò eſt non poſſe naturaliter, clarè cognoſcere ens ſimpliciter infinitum, qualis eſt Deus: vt oſtendũt Theologi prima parte, quæſtione decima ſecunda. De alijs infinitis etiam eſt certum non poſſe intellectum creatum naturaliter percipere infinita clarè, & euidenter ſimul, nec ſucceſsiuè. Atque in hoc ſenſu docuit Ariſtoteles lib. 1. Phyſic. c. 4. text. 35 & c. 7. textu 65. & 2. Metaphyſicæ cap. 2. textu 11. & 3. Rethoricorũ ad Theodectem c. 8. infinitũ, qua infinitũ, eſſe ignotũ. Et ratio eſt, quia infinitũ ita cognitũ excedit virtutẽ limitatã cognoſcẽdi, quã habet intellectus creatus. Quòd autẽ nõ poſsit intellectus creatus ſucceſsiuè cognoſcere infinita, probatur, quia infinitũ nõ poteſt percurri tẽpore finito; ſed quoduis tẽpus ſucceſsiuũ eſt finitum; ergo in illo nõ poterit intellectus creatus cognoſcere infinitũ. Si tamen Angelus crearetur ab æterno, rectè poſſet cognoſcere iam nunc infinita, quia illa duratio eſſet ſimiliter infinita.

Quid poſsit intellectus creatus circa obiecta infinita.

Infinitum, qua infinitum ignotum eſt.

13. Vtrũ verò intellectus creatus poſsit diuinitùs infinita cognoſcere? eſt maius dubium, loquendo de infinita rerum multitudine; nã de infinito ſimpliciter, certum eſt de fide poſſe intellectum creatum illud clarè cognoſcere, & de facto ita contingere in intellectu Beatorum, qui Deum clarè vident. De infinito in multitudine probabilius primò eſt poſſe in-

Quid poſsit eleuatus intellectus circa infinita cognoſcere.

tellectũ creatũ in diuina eſſentia, ſeu in Verbo cognoſcere infinita poſsibilia. Et ratio eſt, quia diffiѕr lius eſt cognoſcere clarè Deũ, quã cognoſcere infinitũ aliud: ſed intellectus creatus poteſt clarè Deũ cognoſcere; ergo etiã poterit in ipſo Deo cognoſcere infinita. Et de facto fuiſſe cõmunicatã animæ Chriſti Dñi hãc cognitionẽ infiniti in diuina eſſentia, tenet melior Theologorũ pars. Deĩde probatur, quia intellectus creat⁹ licet de ſe nõ ſit proportionat⁹ ad cognitionẽ clarã infiniti, poteſt tamẽ diuinitùs proportionari per lumen aliquod ſupernaturale.

14. Nõ poterit tamẽ intellectus creatus in Verbo cognoſcere omnia poſsibilia, quia hinc ſequeretur, quòd homo, vel Angelus poſſet Deum comprehendere. Vtrũ verò intellectus creatus poſsit in proprio genere, & per aliquam ſpeciem impreſsam omnia poſſibilia cognoſcere, vel ſaltẽ infinita? maius dubiũ eſt. In quo probabilior cẽſetur pars affirmãs; quia in hoc nulla cernitur repugnãtia, nec ex parte obiecti, nec ex parte potẽtiæ, nec ex parte Dei eleuãtis, nec ex parte ſpeciei impreſſæ, quę repræſentet habitualiter omnia poſsibilia, vel ſaltẽ infinita.

Non poteſt in Verbo cognoſcere omnia poſſibilia.

Poteſt tamẽ in proprio genere.

DE LOCO REALI, IN QVO FIT MOTVS.

QVÆSTIO XV.

Quid ſit locus realis.

CAP. I.

1. Locus realis definitur ab Ariſtotele. *Locus eſt extremũ, ſeu finis corporis continẽtis aliud, immobilis, & primus.* Ex qua definitione patet locũ propriè eſſe realẽ ſuperficiẽ ambientẽ aliud corpus, cui ſuperficiei cõuenit relatio quædã continentis ad rem contentã, ſeu ad rẽ, quæ eſt in loco. Dubiũ tamẽ eſt in quo ſenſu Philoſophus appellauerit locum immobilẽ, cũ quælibet ſuperficies aeris, vel aquæ facilè moueatur? Reſpondetur quãcumque realẽ ſuperficiẽ aeris, vel aquæ dupliciter poſſe cõſiderari. Primò ſecundũ ſe, & abſolutè. Secundò prout correſpondet alteri ſuperficiei imaginariæ certę, ac determinatę, quæ mutari non poteſt. Primo modo quælibet ſuperficies realis eſt mutabilis. Secũdo tamẽ modo eſt immutabilis, & in hoc ſenſu dicitur immobilis ab Ariſtotele. In quo ſenſu etiã nulla res, dũ nõ mouetur mutat locũ, quia ſemper reſpondet eidẽ ſuperficiei imaginariæ, quamuis mutentur reales ſuperficies, vt appatet in turri perflata ventis.

Definitio loci.

In quo ſenſu dicatur immobilis.

2. Aduertendum deinde eſt locum vel poſſe ſumi mathematicè pro ſola ſuperficie ambiente, quæ eſt quãtitas quædã, vel poſſe ſumi phyſicè pro qualitatibus cõſeruantibus, & fouẽtibus aliquod corpus ſibi vicinum. In quo ſenſu dicunt Philoſophi locum ad ſe

Variæ acceptiones loci.

ad ſe allicere, & fouere corpora, quæ ſunt in loco, non enim ſumunt locum pro ſola ſupeficie quatenus eſt cõiuncta cũ qualitatibus. Aduertendum etiam eſt nõ definiri locum ſubſtãtiarum ſpiritualium, imò nec corporalium, ſi denudentur quantitate, quia non ſunt in loco per contactum phyſicum.

Qui locus hic non definiatur.

3. Petes, vtrùm elementa habeant locum ſibi proprium? Reſpondetur affirmatiuè; nam terra vt craſsior, ac rudior eſt in loco inferiori, Aqua in ſecundo, Aër in tertio, Ignis in quarto, tandem orbes cæleſtes vt præſtantiores in ſupremo; ita vt extrema ſuperficies vnius ſit locus alterius proprius, & realis; qua ratione aqua eſt in extrema ſuperficie terræ, terra verò per ſuas partes eſt in loco, ſicut etiam cælum empyreũ, & hac ratione elementa ſe inuicem iuuant, præſertim per qualitates ſymbolicas, vt infra explicabimus ſuo loco. Aduertendum tamen eſt aquam, & aërem magna ex parte pro hoc ſtatu nõ eſſe in ſuo loco naturali, quia aër poſtulat eſſe in extrema ſuperficie aquæ, nunc verò partim eſt in aqua, partim in terra; aqua verò poſtulat operire totam terram, quod modo non habet propter animalium, & hominum mortalium vitam.

De loco elementorũ.

Quæ elementa nũc non ſint omni ex parte in loco proprio.

Vtrùm duo corpora poſsint eſſe in eodem loco?

CAP. II.

4. Aliqui exiſtimarunt poſſe hoc naturaliter fieri; quia putabant in ferro cãdenti eſſe ſimul ignem cũ ferro; & in eodẽ vaſe (ſi cinere repleatur) eſſe ſimul tantum aquæ quantũ vas illud vacuũ poſſet recipere, idemque probant varijs experimentis. Reclamat tamen experientia, videmus enim corpora ſe mutuò pellere loco, & vt vnum ingrediatur, opus eſſe vt alterum exeat: alioqui nullum eſſet miraculum, quòd Chriſtus ex vtero Virginis prodiret illæſa virginitate illius; neque quòd cælos penetrauerit, vel ſepulchri lapidem, quæ tamẽ opera fuere valde miraculoſa; ergo naturaliter fieri non poteſt, vt duo corpora ſint ſimul in eodem loco.

Sententia affirmans ad naturaliter contingere, reijcitur.

5. Ad exempla in contrarium, reſpondetur in ferro candente, vel non eſſe ignis ſubſtantiam, & quantitatem, vel ſi eſt, ſolùm eſſe in poris ferri, qui antea erant aere pleni, poſtquam verò ferrum eſt iniectum in fornacẽ, conſumptus eſt aer, & intrauerũt minutiſsimæ partes ignis. Vas autem plenum cinere ideo capit tantũ aquæ, quantũ caperet ſi eſſet vacuum, quia cinis iniecta aqua ſoluitur in vapores, & ſecum defert etiã aliquas partes aquæ, quantũ ſatis eſt vt partes aquæ, & cineris, quæ manent, poſsint habere ſua loca diſtincta in vaſe.

Soluuntur fundaměta.

6. Alij opinati ſunt nec diuinitùs poſſe duo corpora eſſe ſimul in eodẽ loco. Ita Durãdus in quarto diſtinct. quadrageſima quarta quæſtione ſexta. Dicendũ tamen

Opinio Durandi.

[V]era ſententia.

eſt poſſe diuina virtute duo corpora eſſe ſimul in eodem loco: ita docent omnes Patres, ac Theologi communiter, & eſt conformior doctrina cum doctrina noſtræ fidei, credimus enim Chriſtũ Dominum egreſſum fuiſſe de ſepulchro, & de vtero Virginis ſine vlla diſruptione, & ſimiliter intraſſe ad Diſcipulos, ianuis clauſis, ac cælos penetraſſe: ſed hæc omnia non poterant fieri, niſi corpus Chriſti Domini eſſet ſimul cum alio corpore, ergo non repugnat diuinitus duo corpora conſtitui in eodem loco.

Quid tunc Deus præſtet.

7. Quid autem in hac duorum corporum penetratione debeat præſtari ex parte Dei, vel quid debeat auferri ex parte quantitatis, non omnes eodem modo explicant, neque nos latiùs valemus expendere. Solùm dico quantitatem non reſiſtere formaliter alteri quantitati per ſe ipſam, ſed per ſuam præſentiam circumſcriptiuam; hæc autem præſentia circumſcriptiua habet duplicem effectum in corpore quanto. Primus eſt reddere illud replens locum; effectus ſecundarius eſt expellere ab eodem loco aliud corpus. Iſte igitur effectus formalis ſecundarius impeditur à Deo, & ita quantitas vna quamuis per ſuum vbi repleat locum, non tamen expellit aliud corpus ab eodem loco. Et ſic fit penetratio duorum corporum, quæ eſt actio ſupernaturalis tantùm quoad modum. De hoc tamen latiùs in Metaphyſica libro quinto ad caput de Quantitate.

Vtrùm idem corpus poſsit diuinitùs poni in diuerſis locis?

CAP. III.

Quid ſit certum hac in re.

8. Non eſt dubium poſſe idem corpus diuinitus eſſe in diuerſis locis per duas præſentias diuerſæ rationis, quarum ſcilicet vna ſit circumſcriptiua, & altera definitiua, vel etiam per plures definitiuas, vel quaſi definitiuas; nam corpus Chriſti Domini eſt in cælo per præſentiam circumſcriptiuam, & in ſacroſancto Euchariſtiæ myſterio per præſentiã definitiuam. Deinde eſt in pluribus locis per præſentiam ſacramentalem.

Dubium in quo conſiſtat.

9. Totum dubium eſt, vtrùm idem corpus poſsit eſſe in diuerſis locis per præſentias diuerſas circumſcriptiuas, per quas totum ſit in toto hoc loco, & pars in parte, & totum in alio loco diſtante? Negant D. Thomas 3. p. q. 75. art. 1. & lib. 4. contra gentes c. 64. Durandus in 4. diſtinc. 10. q. 1. Ægidius quodlibeto 1. q. 1. & quodlibeto 2. q. 17. Heruæus quodlibeto 11. q. 13. Capreolus in 4. d. 10. q. 1. Paludanus d. 44. q. 3. Ferrarienſis 4 cõtra gentes ad c. 63. Hẽricus Gãdauenſis quodlib. 9. q. 32. Et alij Thomiſtę. Affirmãt Scotus in 4. diſt. 10. q. 2. Ricardus ibidem. Hugo Victorinus lib. 2. de Sacramẽtis p. 8. cap. 11. Ochamus q. 4. Marſilius q. 7. Ioannes Maior q. 2. Argentinas d. 10. q. 1. art. 1. Aliacenſis q. 5. art. 2. Mairo-

Opinio Thomiſtar.

nus in 4.d.11.q.1. & communiter recentiores. Et hæc ſententia eſt probabilior, quia non magis videtur repugnare, quòd idē corpus ponatur in diuerſis locis, quā quòd duo corpora ponantur in eodem loco: ſed hoc poſterius poteſt fieri; ergo,& primū. Deinde non magis repugnat poni idē corpus in diuerſis locis per præſentias circumſcriptiuas, quâm per ſacramentales: ſed Chriſtus Dominus ponitur in diuerſis locis per has præſentias;ergo etiam poſſet poni per præſentias circūſcriptiuas.

Sententia probabilior.

Confirmatur.

10. Dubium tamen eſt, vtrùm idem corpus poſitum in diuerſis locis haberet in vtroque loco eadem accidentia,verbi gratia,vtrū ſi Vlyſsipone calefiat,calefiat etiā Romæ,ex vi illius ignis,qui eſt Vlyſsipone? Reſpondetur quoad accidentia alteratiua, quæ pendent à loco, & ab agente, quod eſt in hoc loco, & non in alio, probabilius eſſe, quòd illa recipiat in vno loco, & non in alio; quia agens naturale non poteſt dare duas præſentias ſuo effectui, naturaliter loquendo, verbi gratia ignis, qui eſt hìc, non poteſt producere calorem Romæ. Vnde etiam idem videtur dicendum de augmentatione,quamuis enim in illo loco accreſcat naturaliter,nō proinde in alio accreſcet; nam ſi eadem aqua ponatur hìc, & Romæ, quamuis ei hìc addatur aliqua pars, non ideo eadem pars addetur Romæ: ſed augmentatio,eſt additio nouæ quantitatis; ergo, &c. Similiter non neceſſariò nutrietur in vtroque loco,ſi in vno habeat alimentum præſens, & non in alio.

Quæ accidentia comitentur idem corpus in diuerſis locis.

11. Atque hinc fit,vt idem homo poſitus in duobus locis poſſit in vno viuere, & in alio mori, ſeu corrumpi: nam corruptio,ſeu mors cauſatur ex qualitatibus cōtrarijs formæ,& conſeruationi illius in materia: ſed idem homo poteſt hìc habere qualitates,quas non habet alibi; ergo poteſt hìc mori,& in alio loco viuere. Quod attinet ad actus vitales dicendū primò eſt actus ſenſuum externorum poſſe dari in vno loco,& nō in alio, quia in vno loco poſſunt dari ſpecies iuuantes ad iſtos actus,& non dabuntur in alio: ſed potentia videndi in hoc loco nō poteſt videre ſine ſpecie;ergo &c. Vnde etiam actus intellectus, & phantaſiæ non neceſſariò erunt in vtroque loco,nam ſi intellectus, vel phantaſia habeat in hoc loco ſpeciem obiecti,& non illam habeat in alio, ſolùm hìc poterit elicere cognitionem obiecti, & non in alio loco, quia ſine ſpecie non ſunt cauſæ adæquatæ ſuorū actuum.

Poteſt in vno loco mori,& in alio viuere.

Quid de actibus vitalibus.

12. Dubium tamen eſt, vtrùm omnes ſpecies intelligibiles,quas intellectus recipit in vno loco ab intellectu agente recipiat etiam in alio? Aliqui affirmant. Alij negāt probabiliùs,quia intellectus agēs non producit ſpeciem intelligibilem ſine phantaſmate expreſſo. Actus tamen ſcientiæ,& erroris,vel opinionis etiā per diuerſa media nunquam poterunt dari in eodem intellectu poſito in diuerſis locis circa idem obiectum, propter conditiones repugnantes,

De ſpeciebus intelligibilibus.

Actus ſciētiæ, & erroris.

tes,quæ ſupponuntur ad tales actus in eodem obiecto.

Actus voluntatis,& appetitus.

13. De actibus voluntatis,& appetitus ſenſitiui docet Soarius tomo tertio in tertiam partem, diſputatione quadrageſima octaua,ſectione ſexta ſemper fore eliciendos in vtroque loco. Et ratio eſt, quia voluntas, & appetitus ſunt cauſæ adæquatæ ſuorum actuum, & ſolùm ſupponunt cognitionem obiecti in eodem ſuppoſito tamquam conditionem; ſiue talis cognitio eliciatur in vno tantùm loco,ſiue in vtroque. De his tamen latiùs dicetur alibi.

De loco vacuo,& vtrùm poſſit dari motus in illo?

CAP. IIII.

Reſolutio quæſtionis.

14 NOn dari vacuum in rerum natura,docet ipſa experiẽtia.Ideo enim latera follium operto orificio nulla vi diuelluntur,ne detur vacuum. Ideo aqua attracto aëre per fiſtulam aſſurgit, ne fiat vacuum,& ſimilia paſsim occurrunt exempla, quæ hoc ipſum oſtendunt. Refugit autẽ natura vacuum,quia per vacuum nõ poſſunt trãſmitti cæleſtium corporum influxus, neque ipſa corpora dato vacuo ſe poſſent inuicem iuuare, & ideo ſibi inuicem adhærent,nec patiuntur aliquod vacuum intermedium, & ad illud impediendum aliquando cõcurrere videntur contra proprium, ac peculiare bonũ cuiuſque corporis, ne bonum totius vniuerſi pereat. Vtitur autem natura diuerſis medijs ad impediendum vacuum. Modo enim rarefit corpus,vt maius ſpatium occupet; aliquando etiam vtitur naturali aliqua inclinatione, quam rebus conceſsit,vt acurrerent ad repellendum vacuum, aliquando mouetur ad ſpeciem contra naturam ipſius corporis,quod mouetur.

Quare natura vacuũ fugiat.

Media,quibus vtitur

Diſcrimen inter vacuũ & ſpatium imaginar.

15. Petes quodnam ſit diſcrimen inter locum vacuum,& ſpatium imaginarium, quod eſt iuxta cælum empyreum. Reſpondetur vtrumque eſſe ſpatium quoddam inane,& cauitatem quamdã, ſpatium tamen imaginarium habere tãtùm negationem corporum, quia hactenus non ſunt in illo collocata aliqua corpora. At verò ſpatium vacuum propriè diceretur illud,quod ſub cęlo empyreo eſſet ſine aliquo corpore, quia cum ab auctore naturæ iam in hoc ſpatio inter terram, & cælum fuerint diſpoſita omnia corpora, & aptata ſuis locis,iam hoc ſpatium acquiſiuit aptitudinem proximam ad continenda corpora,& ideo ſi illis priuetur, dicetur vacuum,non per negationẽ ſimpliciter,ſed per priuationem,quia erat proximè aptum ad illa continenda,& tamen non continet. Vnde ab Ariſtotele definitur. *Vacuum eſt locus carens corpore,aptus tamen repleri.*

Definitio vacui.

Qua virtute poſſit fieri.

16. Quamuis autem hoc ſpatiũ vacuum non poſsit fieri naturæ viribus,imò nec virtute Angelica,propter reſiſtentiam maximã, quam habent corpora, vt impediant vacuum, tamen diuina virtute non repugnat fieri vacuum.

Nam

Nam cum Deus res omnes in ſuo eſſe conſeruet, & concurrat cum omnibus earum virtutibus ad operandum, poterit anihilare aerē v.g. & non concurrere cū corporibus alijs ad replendum illud vacuum, & tunc manebit vacua illa cauitas, in qua modo continētur aer, & fiet vacuum diuina virtute.

De motu corporis in vacuo.

17. Dubium igitur eſt, vtrùm facto iſto vacuo per diuinam potentiam poſsit ibi moueri aliquod corpus? Reſpondetur affirmatiuè, quia adhuc ibi eſſet diſtantia vincenda ſaltem negatiua, & lapis poſſet deſcendere, cum in hoc nulla appareat repugnantia. Petes, an motus fieret tunc in inſtanti, vel in tempore? Reſpondetur factum iri in tempore, quia motus nō poteſt dari in inſtanti, & res, quæ moueretur, deſereret vnū terminū, & tenderet ad aliū per mediū vacuū. Negandū tamē non eſt, quòd tunc fieret motus breuiori tempore, quia nullum dabatur corpus medium, quod reſiſteret mobili, vt nunc fit.

DE TEMPORE, QVOD EST menſura motus.

QVÆSTIO XVI.

Quid ſit Tempus.

CAP. I.

Variæ ſententiæ circa tempus.

1. DAri tempus aliquod, nobis eſt maximè notum. Difficilimè tamen explicatur illius eſſentia. Et ideo variæ fuerunt apud veteres ſententiæ circa tempus. Quidam enim exiſtimarunt tempus eſſe conuerſionem cæleſtis mundi. Alij eſſe ampliſsimam ſphęrā totius vniuerſi. Tertiò dixerunt aliqui eſſe iter Solis. Alij errarunt aliter.

Definitio temporis.

2. Ariſtoteles verò ita tempus definiuit. *Tempus eſt numerus motus ſecundùm prius, & poſterius.* Clariùs definiri poteſt, *Eſt partes motus numerata ſecundùm prius, & poſterius, & per ſolum intellectum à ſe diuiſis.* Aduertendum autem eſt, ſicut motus ſunt diuerſi, ita etiam tēpus eſſe diuerſum. Deinde ſicut motus cæli eſt menſura extrinſeca reſpectu motuū ſublunarium, ita etiam tempus illud, quod mēſurat motum cæli, eſſe menſuram extrinſecam motuum ſublunariū. Quapropter ſolet diuidi tempus in tempus intrinſecum, & extrinſecum. Tempus intrinſecum eſt quælibet duratio propria cuiuſuis motus ſingularis, v. g. tempus, quod menſurat motum cæli, eſt tempus intrinſecum ipſius, & aliter dicitur eius duratio intrinſeca. Tempus verò extrinſecum eſt

Diuiſio tēporis.

illud

illud,quod cum ſit intrinſecū ali cui rei, eſt tamen alijs motibus extrinſecum;qua ratione tempus primi mobilis eſt extrinſecū omnibus motibus inferioribus, & illos extrinſecè menſurat. In quo ſenſu dicitur Apocalypſis decimo,non futurum tempus poſt diē iudicij.

Alia diuiſio. 3. Diuiditur etiam tempus in reale,& imaginarium.Reale eſt illud, quod hactenus explicauim⁹, imaginarium verò eſt illud,quod concipitur à nobis per modum cuiuſdam durationis initio carēs, & æquabili quadam velocitate tranſiens,in quo apprehendimus ſucceſsionem quamdam copulatam inſtantibus, per quam quodammodo m nſurantur omnes motus. Ex his verò præſertim definiuit Ariſtoteles tempus internum,& reale,quia hoc eſt præcipuum in hoc genere.

Obiectio ſolutio. 4. Dices. Tempus in ſe eſt cōtinuum, numerus verò diſcretus, ergo tempus non poteſt eſſe numerus partium motus. Reſpondetur,licet tempus in ſe ſit continuum,tamen per rationem poſſe diuidi,& fieri quaſi aliquid diſcretum,vt accidit in tempore primi mobilis,quod ſecundùm ſe eſt vnum continuum, nos verò illud partimur in annos, menſes, dies, & horas. Aduertendum deinde, ſicut motus conſtat ex partibus ſucceſsiuis, & proportionalibus infinitis,quæ copulantur mutatis eſſe,ita etiam tempus reale conſtare ex partibus infinitis, & copularis inſtantibus, quæ partes decurrunt vnæ poſt alias, & habent ſuam exiſtentiam ſucceſsiuam: vnde motus,& tempus non habent aliam exiſtentiam,niſi dū fiunt,& ſolùm dum fiunt,ſunt, & non aliter; res verò permanentes non dicuntur propriè eſſe, dum fiunt.

Quomodo Tempus à motu diſtinguatur.

CAP. II.

5. NOn eſt dubium tēpus primi mobilis diſtingui realiter à motibus inferioribus, quos extrinſecè tantùm menſurat. Solùm ergo dubium eſt de tempore intrinſeco,& reali cōparato cū illo motu,quem intrinſecè menſurat. Senſus quæſtionis. Quo in dubio certum eſt hoc tēpus non diſtingui realiter à ſuo motu, nam ſi realiter differrent poſſet vnum conſeruari ſine alio, & è contra ſaltem diuinitùs: ſed hoc fieri non poteſt; ergo non diſtinguuntur realiter. Reſponſio. Dicendū igitur eſt diſtingui ad ſummum modaliter,quia tempus eſt menſura motus, menſura autem ſupponit rem menſuratam: & nihil poteſt eſſe menſura ſui ipſius; ergo tempus non eſt idem à parte rei cum motu, ſed ab illo modaliter differt.

6. Vnde colliges exiſtentiam temporis etiam differre modaliter ab exiſtentia motus. Exiſtentia temporis & motus differunt. Imò in quacūque re probabilius eſt exiſtentiam modaliter diſtingui ab eiuſdem rei duratione. Nam exiſtere,& durare ſunt diuerſæ denominationes, quæ ſupponunt di-

uerſos modos, à quibus immediatè oriantur: & ratione quorum conueniant eidem rei.

De alijs durationibus à tempore diuerſis.

CAP. III.

Æternitas Dei.

7. Dictum eſt proximè tẽpus eſſe intrinſecam durationem motus; reſtat dicendum de durationibus aliarum rerum non ſucceſsiuarum. Duratio igitur Dei appellatur *Æternitas*, & definitur, *Æternitas eſt interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio*. Id eſt. *Duratio omnino inuariabilis, atque independens*. Duratio Angelorum, & animæ rationalis, illarumque ſubſtantiarum, quæ per cauſas naturales deficere non poſſunt, vt ſunt corpora cæleſtia, dicitur *Æuum*. Definitur autem æuum, *Eſt duratio, ſeu menſura eſſe creati naturalis ſtabiliter, ac perenniter ſeſe habentis*.

Æuum.

8. Reliquæ ſubſtantiæ corruptibiles, dum aliquamdiu perſeuerant ſine vlla mutatione, aut corruptione, habent duratioñẽ quãdam, quæ dicitur modus æui, ob ſimilitudinem, quam habent pro tunc cum duratione rerum incorruptibilium. Quando autem tales ſubſtantiæ ſunt in perpetuo fluxu, & in perpetua diminutione, aut nutritione, dicuntur mẽſurari tempore, idque ſolùm per accidens, quia de ſe non ſunt entia ſucceſsiua, quæ ſola per ſe tempore menſurantur.

Modus æui.

De accidentium durationibus.

9. De qualitatum, & accidentium reliquorum durationibus aduertendum eſt, quædam accidentia eſſe ſpiritualia, quædam corporea. Ex ſpiritualibus quædã pendent in fieri, & conſeruari à ſuis cauſis proximis, vt actus vitales. Alia ſolùm pendent in fieri, vt habitus naturales. Deinde, quædam accidentia ſunt naturalia, quædam ſupernaturalia. Accidentia igitur corporea, & naturalia, quæ non ſunt eſſentialiter ſucceſsiua, ſed corrumpuntur, & deſinunt per cauſas naturales, durant quibuſdam durationibus ſimilibus ſubſtantiæ corruptibilis durationi. Et idem dicendum de actibus vitalibus, qui aliquando permanẽt in ſuo eſſe, dum à cauſa conſeruantur. Si autem ſint accidentia ſupernaturalia, quæ ſolùm pendeant in fieri, & conſeruari à cauſa prima, illorum duratio dicitur æternitas participata; ita durant lumen gloriæ, gratia, & habitus ſupernaturales. Actus verò ſupernaturales, vt viſio beata, & alij, qui per aliquod tempus conſeruantur à ſuis cauſis, dicuntur durare per modum æternitatis.

10. Motus verò Angelorum, animæ ſeparatæ, & aliorum entiũ ſupernaturalium menſuratur tẽpore quodam ſpirituali. Inſtantia verò tẽporis, & indiuiſibilia motus durant per vnum tantùm inſtans imaginarium, vel reale. Præter hæc inſtantia temporis dantur alia inſtantia naturæ, & nihil aliud ſunt, quàm quædam antegreſsiones, quibus ea, quæ habẽt rationem cauſæ, aut conditionis

Inſtans naturæ quid.

prærequiſitæ, præcedunt effectus ſuos, ſeu eas res,ad quas præſupponuntur.Vnde plura inſtantia naturæ poſſunt dari in eodem inſtanti temporis, vel in eadem æternitate.Et quamuis cauſa,& effectus ſint ſimul in eodem inſtanti temporis, tamen cauſa ſemper eſt priùs natura, quàm effectus.

DE CAVSA EFFICIENTE motum phyſicum.

QVÆSTIO XVII.

Verùm omne, quod mouetur motu phyſico, moueatur ab alio realiter diſtincto?

CAPVT I.

1. NOn excitatur præſẽs quæſtio dẽ motibus ſpiritualibus, neq; de actionibus inſtãtaneis, ſed de motibus,qui recipiuntur in rebus quantitate præditis.Non etiã excitatur de motu per accidens, qua ratione forma ſubſtantialis animalium, dum mouet animal, cuius eſt forma, dicitur mouere ſe ipſam quaſi per accidens, ſeu ad motum totius. Solũ ergo procedit quæſtio de motibus phyſicis tranſeuntibus. De quibus

De quo motu ſit quæſtio.

2. Dico primò: Quidquid mouetur per ſe motu phyſico, ab alio moueatur neceſſe eſt. Probatur,quia res eadem non poteſt ſimul eſſe in actu reſpectu alicuius formæ, & in potentia ad talem formam: ſed illud ſubiectũ,quod recipit formam productam per motum,eſt in potentia ad talem formam,illud verò,quod mouet, habet actu talem formam, verbi gratia,ignis mouet aquam ad calorem,quem aqua non habet, ignis verò maximè; ergo non poteſt idem ſimul eſſe agens, & patiens motum phyſicum.

Prima concluſio.

3. Dicendum ſecundò, omnẽ motionem phyſicam oriri à forma,& recipi in materia,& in quãtitate,quæ inter ſe realiter diſtinguuntur. Dicendum tertiò, poſſe vnam partem integrantem per ſuam formam agere motu phyſico in aliam partem integrantem realiter diſtinctam. Dicendum quartò, non eſſe opus vt mouens, & res mota diſtinguantur ſuppoſito, ſeu vt vnum ſuppoſitum ab alio. Qualitates verò,quæ per antiperiſtaſim, aut reflexionẽ intenduntur, non intenduntur á ſe ipſis,ſed ab alijs cauſis,vt iam ſupra declarauimus tractantes de conditionibus requiſitis ad cauſam efficientem ſecundam. Et ex ibi dictis peti poſſunt alia,quæ hìc deeſſe videbuntur.

Secunda concluſio.

Tertia concluſio.

Quarta concluſio.

4. Poſſet etiam hoc loco inquiri, quā approximationem debeat habere mouens, ad hoc vt poſsit rem aliquam mouere: & vtrùm res aliqua ſaltem vt inſtrumentum poſsit agere diuinitùs in remotum, non agendo in propinquum: ſed vtramque difficultatem ſoluimus eodem loco de cauſa efficiente.

A quo moueantur corpora grauia, & leuia, quando in propria loca tendunt.

CAP. II.

Prima opinio.

5. ALiqui dicunt moueri à ſe ipſis vt à cauſis principalib᷒: quia multoties non datur ălia cauſa, á qua principaliter moueantur, & generans eſt abſens, vel iam demortuum. Alij

Secunda opinio.

aſſerunt grauia, & leuia, quādo in propria loca tendunt, moueri principaliter à ſuis progenitoribus, qui licet præſentes non ſint, vel iam interierint, operantur tamen per qualitates, quas prædictis corporibus indiderunt, vt per ſua inſtrumenta ſeparata; ſicut pater demortuus dicitur principaliter generare filium.

6. Si autem ab his auctoribus petas, qua ratione ibi concurrat forma ſubſtantialis illius corporis, quod mouetur? Reſpondent quidam concurrere vt inſtrumentum principale, & ſubſtantiale. Alij dicunt tantùm paſſiuè ſe habere. Vt tamē rem componamus,

Prima concluſio.

7. Dico primò. Corpora grauia, & leuia, quando mouentur ad propria loca, non mouentur principaliter á ſe ipſis. Fundamentum eſt, quia mouere ſe vt cauſam principalem eſt propriū munus vitæ, vt docet Ariſtoteles hoc loco lib. 8. cap. 4. text. 29. & 1. de Anima cap. 2. text. 19. & li. 2. eiuſdem operis cap. 2. tex. 13. ſed multa corpora grauia, & leuia non viuunt, vt patet in elementis, & in lapidibus; ergo ſaltem hæc non mouentur principaliter à ſe ipſis.

Secunda concluſio.

Dico ſecundò. Corpora grauia, & leuia in his motibus naturalibus mouentur á ſuo generante, vel creante vt à cauſa principali. Ratio eſt, quia ad generantē ſpectat tribuere effectui ea, quæ ſunt neceſſaria ad illius conſeruationem, ſed locus proprius requiritur ad conſeruationem cuiuſq; rei; ergo ſpectat ad generantē tribuere ei aliquod inſtrumentum, per quod feratur in proprium locū, & ideo tribuitur grauitas lapidi, leuitas igni, &c. vt tamquam inſtrumēta generantis deferāt iſta corpora in propria loca; ergo ibi operatur generans tamquam cauſa principalis, illa verò qualitas tamquam inſtrumentum ipſius.

3 concluſ. Probatur.

8. Dico tertiò. Motus iſti grauium, & leuiū poſſunt tribui formis ſubſtantialibus ipſorum tamquam principio principali immediato vt *Quod*, quod alij vocant inſtrumentum principale. Et probatur, quia etiam forma concurrit ad iſtos motus, nō ſolùm quatenus ab ipſa forma emanant immediatè proprietates, & qualitates, quæ sūt inſtrumēta generātis,

 vt pro-

vt probabilior fert opinio,ſed etiã quia præbet aliquẽ concurſum ad tales motus, qui tribuuntur generanti vt cauſæ principali: formæ verò corporis, quod mouetur,tamquã inſtrumento principali:grauitati autem, vel leuitati, vt inſtrumento accidentali, & minus præcipuo. Similiter illi motus,per quos aqua ex calida redit ad priſtinum frigus,etiam tribuuntur generanti vt cauſæ principali.

Vtrùm dandus ſit aliquis primus motor?

CAP. III.

9. Cum res quædam moueãt alias,neceſſariò dandus eſt aliquis primus motor, qui primò moueat, & ipſe à nemine moueatur; ſi enim ab alio moueretur,dãdus eſſet progreſſus in infinitũ in cauſis eſſentialiter ſubordinatis, ac proinde nunquã poſſet dari aliquis primus motor. Et hæc ratio ſumitur ex Ariſ.varijs in locis præſertim li.8.Phyſ.c.5.& lib.2.Metaphyſ.c.2.& optimè cõcludit,ſaltẽ ratione materiæ dandũ eſſe vnũ primum motorẽ,qui moueat res omnes, & ipſe à nemine moueatur.

Vnus motor primus neceſſariò datur.

10. Iſte autẽ primus motor eſt Deus,qui ſecundum fidem noſtrã caret omni mutatione,& omni mole corporea,quia eſt ſubſtãtia ſpiritualis, & actus purus omni cõpoſitione carens,& ens omnino perfectũ,ac independens; & ideo nõ poteſt moueri ab alio,neque operari propter aliud tamquã propter finẽ, ſed omnia operatur propter ſe ipſum.Quòd ſi aliquãdo in ſacris literis tribuitur Deo dimenſio, aut moles corporea, id per metaphoram eſt accipiendum. Et hanc veritatem cognouit etiam naturali lumine Ariſtoteles, illãque probauit libro duodecimo Metaphyſicæ capite ſeptimo.Quòd ſi Ariſtoteles aliquãdo vocauit Deum animal quoddã,non ex propria ſententia, ſed ex vulgi opinione fuit locutꝰ: debuit tamen tantus Philoſophus etiam ab hoc nomine abſtinere, ne cum hominibus vulgaribus videretur conſentire.

Qui eſt Deus.

11. Vtrùm verò Ariſtoteles cognouerit Deum eſſe vbique? maius dubium eſt.In quo de fide certũ eſt Deũ per ſuã immenſitatẽ eſſe vbique,vt patet ex multis locis ſacræ paginæ, & ex operatione,quã Deus exercet, vel ſaltem exercere poteſt vt cauſa prima in omni loco, vt iã ſupra tetigimus. Quid autẽ veteres Philoſophi ſẽſerint, & præſertim Ariſtoteles dubitatur. Quidã tantũ in cælo, vt in proprio loco, & domicilio Deũ cõſtituebãt,vt Ægyptij. Alij in centro mũdi.Alij in ſphæra ignis,vel in ſupremo cæleſtiũ corporum globo.

Quid Ariſtoteles & veteres ſenſerint de præſentia Dei in loco. Et quid fides decernat.

12. Melior tamẽ Philoſophorũ pars Deũ vbique eſſe atteſtatur,& vniuerſam mũdi machinã ſui numinis præſẽtia cõplere. Vnde Pythagoras Deũ appellauit vniuerſi animationẽ. Quod etiã expreſsit Latinus Poeta.De Ariſtotele etiã probabilius eſt agnouiſſe Deũ eſſe vbique,nec aliud de illius ingenio

Vera ſententia.

nio credere par eſt. Imò Deum eſſe extra cælum, & in ſpatio imaginario affirmarũt veteres Philoſophi. Quapropter Triſmegiſtus definiens Deum ita ait: *Deus eſt intelligibilis ſphæra, cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam.*

Deus eſt extra cælum.

13. Deinde quòd Deus ſit extra cælum in ſpatio imaginario, probatur contra Scotum in 1. d. 37. q. vnica & alios, qui oppoſitũ aſſerebant. Primò, quia immenſitas Dei nõ eſt minus perfecta, quàm eius æternitas: ſed æternitas reſpõdet omni tẽpori, etiã imaginario; ergo immẽſitas reſpõdet etiã omni ſpatio, etiã imaginario. Secũdò, quia Deus eſt id, quo perfectius aliquid cogitari non poteſt: ſed ſi Deus nõ eſſet in ſpatio imaginario, poſſet cogitari aliud ens perfectius, quod eſſet in eo ſpatio imaginario; ergo ibi etiã eſt. Tertiò, quia Deus ibi poteſt operari, & ponere duo corpora extra cælum; ergo ibi operabitur, & conſeruabit illa corpora: ſed Deus nõ poteſt operari vbi nõ eſt; ergo eſt iam nũc in eo ſpatio. Tandẽ, quia in eo ſpatio poteſt condere alios orbes: ſed ſi eos condat, non incipiet ibi eſſe de nouo, alioqui mutaretur; ergo iam nunc ibi eſt: vt colligitur etiã ex varijs locis Scripturæ, vt 3. Regum c. 8. *Cæli Cælorum te capere non poſſunt, quato magis domus hæc, quam ædificaui.* Baruch. 3. *Magnus eſt, & non habet finem, excelſus, & immenſus.* Et illud quod Eccleſia canit de Virgine. *Quem cæli capere non poſſunt tuo gremio contuliſti*, & varijs in locis.

14. Dubiũ autẽ eſt quid ſit hoc ſpatiũ? Reſpõdetur imprimis nõ eſſe aliquã quantitatẽ trinæ dimẽſionis realẽ, vel ſaltẽ aliquod accidẽs reale poſitiuũ; quia hoc ſpatiũ fuit ab æterno, nihil autẽ poſitiuum exiſtit ab æterno niſi ſolus Deus. Deinde, hoc ſpatiũ non eſt ens aliquod rationis, aut fictum per intellectum. Eſt igitur, inane quoddã, in quo imaginamur illas dimenſiones, quæ realiter dantur in ſpatio pleno, & ideo vocamus hoc inane ſpatium imaginarium: in quo poſſũt à Deo reponi multa corpora, & fabricari plures mũdi: ſicut fabricatus eſt iſte in ſpatio, in quo nunc eſt.

Quid ſit ſpatium imaginarium.

Reſolutio dubij.

Vtrùm motus aliquis potuerit eſſe ab æterno?

CAP. IIII.

15. POtuiſſe Deũ aliquid condere ab æterno probabilior ſententia eſt, quã tuetur S. Thomas 1. p. q. 46. art. 2. & 2. cõtra gẽtes c. 46. Durandus, Argentinas, Gregorius, Ochamus, & alij multi. Quamuis plures etiam ſtẽt pro oppoſita parte. Probatur tamen pars affirmans, quia in hoc nulla cernitur implicatio. Neque enim opus eſt vt illud, quod creatur è nihilo, priùs in aliqua duratione reali nõ extiterit, ſed ſufficit, quòd in priori naturæ præſupponatur cauſa illi⁹. Et ita ſe haberet res, quã Deus cõderet ab æterno. Nulla enim duratio realis poſſet aſſignari in qua talis res iam nõ exiſteret. Dices. In æternis nõ differũt eſſe,

Sententia probabilior potuiſſe aliquid condere ab æterno.

& poſſe eſſe, ſed illa res prius eſſet poſsibilis, & deinde eſſet actualis; ergo nõ potuit creari ab æterno. Reſpondetur, quãdo dicitur in æternis (idẽ eſſe poſſe exiſtere, & exiſtere) intelligendũ eſſe de rebus, quæ ab intrinſeco habent æternã exiſtentiã, qualis eſt Deus, & tres perſonæ diuinæ. In alijs verò rebus eſſet prius natura poſsibilitas illarũ, & poſterius natura eſſet exiſtentia; non tamen daretur aliqua realis duratio, in qua res eſſet poſsibilis, & non eſſet exiſtẽs ſi crearetur ab æterno.

Obiectionis ſolutio.

Præcipua quæſtio ſoluitur per varias concluſiones.

16. De rebus autem, quæ potuere ab æterno produci, eſt difficultas, vtrùm res omnes abſque vllo diſcrimine potuerint eſſe ab æterno? In qua difficultate, dico primò. Res permanẽtes, & incorruptibiles, vt ſunt Angeli, animæ rationales, & orbes cæleſtes, potuerũt à Deo produci ex æternitate, quia in his nõ cernitur aliqua difficultas peculiaris. Dico ſecundò. Res corruptibiles permanẽtes potuerunt à Deo produci ex æternitate; ſi tamẽ ita producerẽtur neceſſariò durarẽt, & conſeruarẽtur per tẽpus infinitũ: alioqui eſſent ab æterno, vt ſupponimus, & non eſſent, quia aſsignaretur ibi finis durationis earum, qui in æterna duratione nõ poteſt aſsignari, & ſi aſsignetur, iam non eſt æterna.

Prima concluſio.

Secunda concluſio.

Ratio dubitandi pro entibus ſucceſſiuis.

17. De rebus ſucceſsiuis de quibus inſtituitur præſens quæſtio, eſt maius dubiũ, quia cũ habeant vnã partẽ priùs alia, & in æternitate non detur priùs, & poſterius, ideo videtur, quòd ens ſucceſsiuũ, nõ potuerit eſſe ab æterno. Et quidẽ de motu finito certũ eſt nõ potuiſſe dari ab æterno, quia motus finitus menſuratur tẽpore finito, habetque principiũ, & finẽ, ſed in æternitate non datur principiũ, & finis; ergo motus finitus nõ potuit dari ab æterno Similiter non potuit ab æterno dari motus rectus, ob eamdem rationem, quia motus rectus exigit principium, & finem. Secundò, quia ſi ab æterno mouerentur duo homines motu recto, & vnus moueretur duplo velociùs, alio tantùm ſpatij cõficeret ille, qui velociùs moueretur, atque ille, qui tardiùs, ſequeretur etiam quòd vnus ab alio diſtaret ſpatio infinito, et quòd intra hos terminos finitos daretur ſpatium infinitum.

Motus circularis an potuerit eſſe ab æterno?

18. De motu circulari affirmãt aliqui potuiſſe dari ab æterno. Alij probabilius negant ob rationem ſuprafactam, daretur enim in illo motu prius, & poſterius, quia erat ens eſſentialiter ſucceſsiuũ. Deinde ſi daretur motus circularis, v. g. cæli, iam ibi aſsignaretur prima, & vltima reuolutio; ac proinde iam motus non eſſet æternus. Tandem, quia illa diſpoſitio, in qua cælum ab æterno crearetur eſſet æterna; ergo illa præſentia, quam habuit iſta pars certa cæli, verbi gratia, Luna, etiam debuit eſſe æterna: ſed ſi variaretur per motum, ſtatim deperderetur; ergo non potuit dari ab æterno motus circularis.

Generationes an potuerint eſſe ab æterno?

19. De alijs motibus ad quantitatẽ, & qualitatẽ, & de generationibus ſubſtantialibus, vtrũ potuerint eſſe ab æterno? etiam eſt dubiũ inter Philoſophos, ac Theologos. In quo dubio certũ primò

eſt.

eſt generationes non potuiſſe dari ab æterno eo modo, quo illas poſuit Ariſtoteles, non enim admittebat aliquid per creationem factum, ſed dicebat omnia fuiſſe per generationẽ producta. Hoc autẽ non poterat fieri ex æternitate, quia vt aliquid generetur, neceſſe eſt vt aliud corrumpatur, illud verò, quod corrumpitur, fuit priùs illo, quod generatur, ſed in æternitate non datur prius, aut poſterius; ergo generationes non potuerunt eſſe ab æterno, ita vt omnia producerentur per generationem. Si autem aliter explicentur, & ſupponatur quòd Deus ab æterno creauerit maſculum, & fæminam, adhuc dubium eſt, vtrùm generationes potuerint eſſe ab æterno? In quo aliqui negant, quia ad generationem ſubſtantialem debuit præcedere diſpoſitio materiæ; ergo iam prima actio generatiua ſubſtantialis haberet aliam actionem priorem ſe, ac proinde non eſſet ab æterno.

DE INCEPTIONE, ET DEſitione rerum.

QVÆSTIO XVIII.

De inceptione, & deſitione rerum ſucceſſiuarum.

CAPVT I.

Res dupliciter incipiunt.

1. VNaquæque res in ſua duratione incipit vno, è duobus modis, vel enim incipit in inſtanti, vel in tempore. Illa incipit in inſtanti, de qua eſt verum dicere *Nunc eſt, & immediatè antea non erat*, & quæ ita incipiunt, dicuntur incipere per primum ſui eſſe. Illud autem incipit in tempore, de quo verum eſt dicere *Nunc nõ eſt, immediatè poſt erit* Quod aliter dici ſolet incipere per vltimum ſui non eſſe, ſiue extrinſecè. Definũt etiam res altero è duobus modis, vel enim definunt in inſtanti, ita vt ſit verum dicere *Nunc eſt, immediatè poſt non erit*; et quæ ita definunt, dicuntur definere per vltimum ſui eſſe, ſeu intrinſecè. Vel definunt in tempore, ita vt ſit verum dicere *Nunc non eſt, & immediatè antea fuit*; & quæ ita definunt, dicuntur definere extrinſecè, ſeu per primum ſui non eſſe.

Dupliciter definunt.

Motus, & temporis inceptio, ac deſitio.

2. Motus igitur, & tempus incipiunt per vltimum ſui non eſſe, & definunt per primum ſui non eſſe. Prima pars oſtẽditur, quia motus, & tẽpus non poſſunt fieri in inſtanti; ergo non poſſunt incipere per primum ſui eſſe, ſed tantũ per vltimum non eſſe, ita vt ſit verum dicere *Nũc nõ eſt motus im-*

mediatè poſt erit. Et eadem ratione probatur ſecunda pars, quia motus, & tempus non poſſunt eſſe in inſtanti; ergo non poſſunt deſinere per vltimum ſui eſſe, ſed per primum ſui non eſſe, ſeu extrinſecè. Similiter dicendum eſt de rebus permanentibus, quæ abſolutè cum motu incipiunt, & deſinunt; incipiunt enim per vltimũ ſui non eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. Si autem res producatur in primo inſtanti, & poſtea per motum augeatur, vt accidit in prima luce Solis, in eo inſtanti, in quo Sol creatus eſt, quia in eodem inſtanti diffuſa eſt ad omnes partes, ad quas Sol potuit pertingere, poſtea verò per motum cæpit augeri in partibus remorioribus, tunc illa lux incepit per primum ſui eſſe, & aucta eſt per vltimum ſui non eſſe.

Res quæ ſiunt, & deſinunt cum motu.

3. Indiuiſibilia rerum ſucceſſiuatum incipiunt per primum ſui eſſe, quia totum eſſe habent in inſtanti, nec valent vltra conſiſtere, & deſinunt per vltimum ſui eſſe; quia nunc ſunt, & immediatè poſt deſinunt. Et idem dicendũ de actionibus momentaneis, v. g. de intellectione, & volitione, quæ per vnum tantùm inſtans duraſſent.

Indiuiſibilia rei ſucceſſiuæ.

De inceptione, & deſitione formæ certæ, & incertæ in ſubiecto.

CAPVT II.

4. Forma certa hoc loco idem eſt ac forma accidentalis in certo, ac determinato gradu intenſionis; v.g. calor vt octo, vel calor vt quatuor. Forma autem incerta idem eſt atque forma aliqua accidentalis abſolutè ſpectata, vt calor abſolutè, ſiue ſit certus in gradu, ſiue non. Subiectum verò certum eſt quantitas, vel ſubſtantia, per quantitatem extenſa, ita vt ſit terminata certa aliqua ſuperficie, vel puncto, aut linea. Subiectum verò incertũ eſt quidquid ſequitur poſt illam certam ſuperficiem verſus profunditaté, quæ ſunt partes quantitatis infinitæ, & incertæ.

Forma certa quid. Forma incerta. Subiectum certũ quid. Incertum.

5. Incipere ergo formam aliquam accidentariam in ſubiecto certo eſt, produci in aliqua certa, & determinata ſuperficie: & quãdo producitur forma in tali ſuperficie in aliquo certo, ac determinato gradu, dicitur forma certa incipere in ſubiecto certo. Quando autem incipit produci immediatè poſt primam ſuperficiem calor abſolutè, tunc dicitur produci forma incerta in ſubiecto incerto, & ſic proportione ſeruata de forma certa in ſubiecto incerto, & de forma incerta in ſubiecto certo. His poſitis.

Quid ſit produci formam certam in ſubiecto certo. Quid in ſubiecto incerto.

6. Dico primò. Forma certa in ſubiecto certo incipit per primũ ſui eſſe, quia cum forma reddatur certa in ſubiecto certo per aliquid indiuiſibile, & indiuiſibile incipiat per primum ſui eſſe, vt ſupra diximus, etiam forma incipiet eſſe certa per primum ſui eſſe. Hoc autem ita intelligendũ

Prima concluſio.

eſt, vt

eſt, vt immediatè ante illud inſtās tota latitudo formæ fuerit producta veluti in fieri, & in eo inſtāti acquiratur in facto eſſe.

Secunda concluſio.

7. Dico ſecundò. Forma certa in ſubiecto incerto incipit per vltimum non eſſe. Et ratio eſt, quia quando calor, v. g. producitur certus, v. g. vt octo, in hac prima ſuperficie, & in hoc inſtanti certo, tunc in partibus vltra primā ſuperficiem eſt, quidquid eſt infra calorem vt octo, & ignis agit immediatè poſt; ergo immediatè poſt producit quidquid deerat in partibus ſequentibus ad complementum caloris vt octo: ſed hoc eſt incipere formam certam in ſubiecto incerto per vltimum ſui non eſſe; ergo &c. Contra hanc concluſionem poſſet fieri illa ratio, qua primam concluſionem probauimus: illa tamen ſolùm valet ad probandam formam certā in ſubiecto certo incipere per primum ſui eſſe, & ita debet intelligi. Quamuis alij aliter opinētur, & non ſine probabilitate defendant contrarium huius ſecundæ concluſionis, ſcilicet formam certam in ſubiecto incerto incipere etiam per primum ſui eſſe, dicūtque ignem immediatè poſt nihil producere in ijs partibus, in quibus eſt quidquid eſt infra calorē vt octo, ſed in partibus remotioribus, quouſque deueniat inſtans, in quo producat certam formā in eo ſubiecto incerto.

Tertia concluſio.

8. Dico tertiò. Forma incerta in ſubiecto incerto incipit per vltimum ſui non eſſe. Hæc probatur, quia ſi ſumatur luminoſum, quod producat lucem per totam ſuam ſphæram, dabitur in tali ſphæra vltima ſuperficies, in qua iam non ſit lux, & in partibus proximis verſus luminoſum dabitur aliquid lucis; moueatur ergo luminoſum verſus illam ſuperficiem, quæ antea lucem non habebat, incipiente motu erit verum dicere, quòd partes, quæ ſequuntur poſt illam ſuperficiem, & ſunt partes incertæ, habeant aliquam lucem: ſed hoc eſt incipere formā incertam in ſubiecto incerto per vltimum ſui non eſſe; ergo, &c.

Deſitio formarum accidentaliū.

9. Formarum accidentaliū deſitiones ita ſe habent. Forma certa in ſubiecto certo deſinit eſſe certa, & completa in ſubiecto per vltimum ſui eſſe; ſit enim in ſubiecto calor vt duo, & incipiat tale ſubiectum agere frigidum vt ſex, incipiente motu ad frigus, erit verum dicere; *Nunc eſt in ſubiecto calor certus vt duo*, & immediatè poſt nō erit, quia immediatè poſt incipit moueri ad frigus, & in ſe recipere aliquid frigoris, & minuere de calore præiacente; ergo immediatè poſt iam calor non erit certus. Si autem loquamur de totali deſitione formæ, v. g. caloris in ſubiecto, deſinet totaliter per primum non eſſe; ſicut enim frigus vt octo incipit eſſe in ſubiecto ſaltem certo per primum ſui eſſe, ita hoc primum eſſe frigoris eſt primum non eſſe caloris in eodem ſubiecto.

10. Forma certa in ſubiecto incerto deſinit eſſe certa, & etiam quoad ſe totam, & ſecūdùm omnes ſuas partes per vltimum ſui eſſe. Ratio eſt, quia forma certa in ſubiecto incerto deſinit eſſe Ratio.

per

per aduentum formæ contrariæ in certo gradu, ſed forma certa in ſubiecto incerto incipit per vltimum ſui non eſſe; ergo hoc vltimum non eſſe formæ aduenientis, eſt vltimum eſſe formæ præiacentis.

11. Forma incerta in ſubiecto incerto deſinit ſimiliter per vltimum ſui eſſe, tam quoad omnes partes intenſionis, quàm quoad certitudinem illarum. Hæc probatur, quia luminoſũ in ſua ſphæra producit lucem vſque ad non gradum; detur ergo aliqua ſuperficies, in qua iam non ſit vlla lux, ſit autem in partibus vicinis, & luminoſum retrò moueatur, tunc in inſtanti motui extrinſeco verum erit dicere. *Nunc eſt lux in ijs partibus, immediatè poſt non erit*; ergo lux incerta ſecundùm ſe totam deſinit per vltimum ſui eſſe. Et eadem ratio applicari poteſt luci incertæ, quæ eſt in partibus propinquis luminoſo; nam per illum motum etiam minuetur quoad aliquas partes lux illa incerta, quando luminoſum fit magis diſtans per motum.

De inceptione, & deſitione ſubſtantiarum.

CAP. III.

Prima concluſio.

12. SVbſtantiæ, quæ generantur, & intereunt, incipiunt per primum ſui eſſe, & deſinunt per primum non eſſe. Primam partem de inceptione, docuit Ariſtoteles hoc loco lib. 8. cap. 8. textu 69. & lib. 6. cap. 5. textu 45. alijſque in locis. Et ratio eſſe poteſt, quia formæ ſubſtantiales, vt vniantur materiæ requirunt in illa certas diſpoſitiones: ſed iſtæ diſpoſitiones fiũt certæ in inſtanti; ergo in inſtanti incipiunt res ſubſtantiales, quæ generantur. Quòd verò intereãt per primum non eſſe, oſtenditur quia generatio vnius eſt corruptio alterius; ergo primum eſſe rei genitæ eſt primum non eſſe rei corruptæ. Ratio.


13. Illæ autem ſubſtantiæ, quæ fiunt per creationem, vt Angeli, & animæ rationales, incipiunt etiam per primum ſui eſſe. Et ratio eſt, quia Deus ad creandum non eget aliqua mora, ſed cum habeat virtutem infinitam in momento creat. Deinde, quia res quæ naturaliter creantur habent eſſe indiuiſibile, ac proinde fiunt etiam duratione indiuiſibili; ſi autem Deus velit rem aliquam à ſe creatam in nihilum redigere, probabile eſt quòd talis res deſinat eſſe per primum ſui non eſſe, ſeu in momento. Subſtantia quæ creatur, quomodo incipiat. Deſitio ſeu anihilatio quomodo fiat.

14. Dubitatur tamen, vtrùm poſsit Deus de potentia abſoluta creare Angelum in tempore & ita vt Angelus incipiat per vltimum ſui non eſſe, & ſit verum dicere *Nunc non eſt, immediatè poſt erit?* Reſpondetur dupliciter poſſe intelligi rem aliquam creari in tempore, & per vltimum ſui non eſſe. Primò, ita vt illius effectio menſuretur tempore, & ad illius fluxum ſuccedant aliæ, & aliæ partes effectionis, & rei factæ. Et in hoc ſenſu repugnat etiam de Dubium. Solutio.

poten-

potentia abſoluta creari Angelum in tempore, quia nullas habet partes, quarum effectio tempore menſutetur. Secundo modo poteſt res aliqua creari in tempore, ita vt non producatur in tempore ſucceſsiuè, ſed tota productio ſit in prima parte temporis, & tota in alia ſequenti. Atque in hoc ſenſu non repugnat Angelum creari in tempore: nam hoc pacto Deus etiam nũc creat Angelos, quos primò creauit, quia per eamdem actionem illos conſeruat.

Hactenus de rebus phyſicis in generali, deinceps de ſingulis partibus præcipuis entis mobilis agendum eſt.



Digitized by Google

DOCTRINA
PHILOSOPHICA.
TRACTATVS II.
DE CÆLO, ET MVNDO.
PROOEMIVM.

Poſtquam Ariſtoteles egit de rebus naturalibus in communi, de earum cauſis, ac proprietate præcipua (quæ eſt motus) incipit tractare de naturalibus rebus in particulari, & per quatuor libros egit de corporibus cæleſtibus, de elementis, ac de illorum ſtructura, & ordine, quoad locum, & motum, quem ſortiuntur in vniuerſo.

2. *Subiectum huius tractationis eſt corpus ſimplex (quod cælum, & quatuor vulgata elementa comprehendit) conſideratum prout loco moueri poteſt, & prout illius partes certum locum vendicant in hoc vniuerſo. Atque hinc colligi poteſt dignitas huius partis philoſophiæ. Cum enim corpus ſimplex, præſertim cæleſte, ſit ens valde perfectum; & obiectum huius partis philoſophiæ, inde fit vt illa etiam ſit vna ex præcipuis partibus totius philoſophiæ naturalis.* Subiectum huius tractatus. Dignitas huius operis.

QVID SIT MVNDVS, ET DE illius perfectione.

QVÆSTIO I.

Quomodo definiatur mundus, & vtrùm ſit perfectus?

CAPVT I.

Variè accipitur mundus.

3. Mundus variè accipitur apud Philoſophos, qui õnes quinque mundos celebrant; nẽpe mundum archetypum, qui definitur ab Auguſtino. *Ratio ſempiterna, & incommutabilis, qua fecit Deus mundũ.* Vnde colligitur mũdum archetypum eſſe diuinam ideam in mente Dei, per quam diſpoſuit, & condidit hoc vniuerſum, & omnes illius partes. Secundus eſt mundus Angelicus, & conſtat ex triplici Angelorum Hierarchia. Tertius eſt elemẽtaris, componiturque ex quatuor elementis. Quartus eſt mundus magnus, & eſt tota creaturarum collectio. Vltimus eſt mũdus paruus, & eſt homo, in quo Deus naturæ auctor veluti redegit in ſummam omnes perfectiones, quas per reliquas creaturas diſperſerat.

4. Mũdus igitur ſumptus quarto modo pro toto hoc vniuerſo, & pro collectione omnium creaturarum definitur. *Mundus eſt compages è cælo, terraque coagmentata; atque ex ijs naturis, quæ intra eam cõtinentur.* Aliter definiri poteſt. *Mundus eſt ordo, & digeſtio vniuerſorum, qui à Deo, & per Deum aſſeruatur.* *Mundus definitur.*

Eius perfectio.

5. Perfectio vel eſt abſoluta, & in omni genere, qualis eſt ſola diuina, vel eſt perfectio in vno genere proprio cuiuſque rei. Mundus igitur eſt perfectus in ſuo genere. Quod primo oſtẽdit ipſum nomen *Mundus*, quia nihil eo ſit mundius, & pulchrius. Deinde, quia eſt artefactum quoddam diuinæ artis, ac ſapientiæ. Tertiò, quia ad vniuerſi rationem nihil illi deeſt, vt oſtendit varietas ipſarum rerum, quibus conſtat, & ordo ſingularis earũ, quo vnaquæque res proprium locum ſibi vẽdicat: tandemque perfectio ſingularum; ex quibus perfectionibus totius vniuerſi perfectio efloreſcit: continet enim vniuerſum omnes gradus entium, ſaltem generales, & vnumquodque ens habet in mundo ſuam perfectionem eſſentialem, & accidentalẽ. Et cum hac varietate entium ſtat maxima diſtinctio eorum; nam ex elementis quædam leuia ſunt, quædam grauia; quædam ſupera, alia infera; quædam frigida, alia calida, &c. In metallis eadẽ cernitur diſtinctio, ac varietas. Similiter in animantibus, alijſque omnibus. Elucet etiam perfectio re-

rum in eo ordine, quem habent inter ſe,& ad Deũ in triplici genere cauſæ,nimirũ in genere efficientis,à quo habent eſſe certum, ac determinatũ in ſuo genere; in genere cauſæ exẽplaris,quatenus à diuino exemplari habent certum eſſe ſpecificum; et in genere finis à quo habẽt,vt vnaquæque inclinetur ad ſuum bonum, & ad bonum vniuerſi, & omnia tandẽ ordinantut ad ipſum Deum, vt ad finem vltimum.

6. Imò iuuant etiam ad hanc perfectionẽ monſtra aliqua, quæ in otbe ſunt,quia ex comparatione illorum apparent res aliæ pulchriores; ſicut virtutum ſplendor ex vitiorum fœditate magis lucet. Quamuis autem Deus poſsit mũdum alium condere perfectiorem,& iſtum magis perficere ſaltem accidentaliter, hoc non tollit quominùs ipſe in ſuo genere ſit perfectus. Similiter quamuis in mundo ſint aliquæ animãtes, quæ nobis videantur ſuperfluæ, aut noxiæ,tamen iuuant ad vniuerſi perfectionem, et ad hominis bonum, vel quatenus ipſum pœna aliqua afficiunt,vel quatenus ſalubriter exercent, aut ignoranter docent. Et idem ſimiliter dici poteſt de alijs rebus, quæ perfectionẽ vniuerſi rollere videntur, cùm tamen maximè iuuent: vt eſt rerum mutabilitas, inæqualitas, & varietas. Neque enim ita mundus placeret ſine hac mutabilitate, diſparitate,& varietate.

Occurritur obiectionibus quæ poſſunt fieri.

7. Petes, vtrùm mũdus iſte poſſit à Deo fieri perfectior? Reſpõdetur ptimò non poſſe fieri perfectiorẽ quoad perfectionẽ eſſentialẽ ſpecierũ, quibus conſtat, nã iſtæ ſpecies,quæ modò dãtur, habent totam ſuam perfectionẽ eſſentialẽ,quã poſſunt habere. Reſpondetur ſecũdò poſſe fieri perfectiorem quoad perfectionẽ accidentalem harũ ſpecierum. Poteſt enim Deus ſingulis indiuiduis tribuere noua accidentia,per quæ magis adornentur, v.g. cælis maiorem lucẽ,animantibus maiores vires,&c. Reſpõdetur tertiò poſſe hunc mundũ perfici per additionẽ nouarũ ſpecierũ, tam viuẽtium,quã non viuentium. Reſpõdetur quartò elementa, & orbes cæleſtes non poſſe perfici in hoc vniuerſo quoad ordinem ſitus, & loci,in quo ſunt,quia ſunt in locis ſibi maximè conuenientibus. Similiter nõ poteſt hoc vniuerſum habere nobiliorẽ finẽ,nec cauſam primã nobiliorẽ, cũ hæc ſit ipſe Deus,quo nihil melius poteſt excogitari.

An poſſit fieri perfectior.

Vtrùm mundus ſit vnus tantùm?

CAP. II.

8. Manichæi plures mundos inuexere. Alij innumerabiles,& in illis ponebant maximã diuerſitatem,ita enim dari infinitos mundos aſſerebant: vt in quibuſdam non ſit Sol,neque Luna;in alijs ſint ſydera lucidiora,in alijs animantes procreentur,in alijs minimè. De qua infinitate cum diſſereret Anaxarchus coram Alexandro, illacrymaſſe fertur ipſe Alexander, quòd cum infiniti

Qui plures mundos ponebant, & quomodo.

mundi eſſent adhuc vnius non eſſet Dominus.

Veritas quæſtionis.

9. Dicendum tamen eſt vnum tantùm dari mundum, iuxta doctrinam Platonis, & Ariſtotelis; & quamuis hoc philoſophicis rationibus omnino non conſtet, eſt tamen fidei noſtræ omnino conſentaneum. Colligirut enim ex ſacra pagina varijs in locis, feciſſe Deum hunc mundum tantùm, vt conſtat ex libro Geneſis; & ex illo Ioannis primo, *Mundus per ipſum factus eſt*. Vnde aliqui putant hæreſim eſſe aſſerere plures mūdos dari.

Mundus quomodo dicatur vnus.

10. Cum autē hic mundus conſtet naturis ira diſsimilibus, & inæqualibus, dicitur tantùm vnus, primò propter ſubordinationem cauſarum efficientium, qua inferiora corpora cæleſtibus, cæleſtia intelligentijs, & omnia Deo ſubordinantut. Secundò, quia omnia illius membra ordinanrut ad commune bonum totius, & ad ſe inuicem, & ad Deum, vt ad finem vltimum. Vnde mundus dicitur rriplicitet otdinatus, primò in ſe, ſecundò ad hominem, tertiò ad Deum.

An Deus poſſit condere plures mundos?

11. Dubitatur tamen, an per diuinam potentiā poſsint eſſe plures mundi? Aliqui hæretici euomuere non poſſe Deum plures effectus edere, quàm edidit: nec plures mundos condere. Concluſio tamē eſt omnino certa poſſe à Deo plures effici mundos. Hæc eſt communis Patrum ſententia. Et ratio eſt, quia hoc nō repugnat, nec ex parte diuinæ potētiæ, nec ex parte obiecti, cū in hoc nulla appareat, vel apparere poſſit implicatio. Quāuis autem iſte mūdus fuerit creatus ad imitationē illius ideæ, quā habet in mēte Dei, hoc nō tollit, quominus Deꝰ habeat plures ideas aliorū, quos poteſt cōdere. Deinde quāuis Deꝰ cōderet plures orbes, nō ideo Terra, quæ eſſet in hoc, inclinaretur ad centrū alterius, vel è cōtra, ſed ad ſuum proprium, ac proinde nulla daretur inordinatio.

Vera ſententia.

Satis fit obiectionibus.

Poteſt condere alios in infinitum perfectiores.

12. Imò etiam certum eſt non ſolùm poſſe Deum condere alios mundos, ſed poſſe condere alios, & alios in infinitū perfectiores; quia poteſt cōdere ſub iiſdem generibus, ſpecies in infinitum nobiliores; quæ ſpecies ſunt veluti numeri, qui incipiunt ab vnitate, quæ eſt Deus, & in infinitū multiplicari poſſunt, ſicut multiplicatur numerus. Poſſet etiā Deus in quolibet alio mundo ſibi vnire aliquam naturam perfectiorem, quám fuerit humanitas, quæ vnita eſt Verbo diuino in hoc mundo; ac proinde etiam in hac re eſſent alij mundi perfectiores iſto.

De Mundi duratione.

CAP. III.

Sententia Ariſtotelis.

13. Sententia fuit Ariſtotelis libro primo de cælo, capite duodecimo mundum neque ortū habuiſſe, neque finem habiturū. Hæc tamē doctrina, quoad primam partem de mundi ortu falſa omnino eſt. Conſtat enim de fide mundū non ex æternitate,

Reijcitur ex parte.

ſed

Digitized by Google

ſed initio temporis, & Dei creantis imperio, ac volũtate fuiſſe productum. Quo autem anni tẽpore fuerit conditus, non conſentiunt auctores. Quidam enim aſſerunt fuiſſe conditum Autumno, & mẽſe Septembris, exiſtente Sole in fine Virginis, vel in principio Libræ. Alij affirmant fuiſſe conditũ verno tempore, & menſe Martio, exiſtente Sole in Ariete vnde Aſtrologi ſolarem motum á principio Arietis, auſpicabantur. Et hãc partem ſequuntur plures ex antiquis Patribus; ideoque eſt probabilior. In quo autem Hemiſphætio Sol fuit conditus? Reſpondetur probabilius in noſtro, quod nobilius eſt, & illuſtrius propter præſentiam Chriſti Domini, qua poſtea erat nobilitandũ in Hieroſolymis, vbi tot noſtræ redẽptionis myſteria erant peragenda, & propter Chriſtianæ reipublicæ præcipuã dignitatẽ, ac ſedẽ, quæ Romæ erat collocanda: & propter alias congruentias. Hæc de mundi initio. Quod licet philoſophicis rationibus non poſsit oſtẽdi, tamẽ nõ deſinunt aliquæ rationes probabiles, vnde colligatur in tẽpore incepiſſe; id enim probat cõmunis hominũ ſenſus conſtãs fama de primis artium inuentoribus, & omnium qui hactenus ſcripſere memoria; & aliæ ſimiles coniecturæ.

Quo tempore mundus fuerit conditus.

Variæ ſententiæ.

Hemiſphærium in quo mundus creatus fuit.

14. Quod attinet ad alterã partem de fine mundi, dubitari poteſt, vtrùm mundus naturæ ſuæ relictus, eo tantùm concurſu, quo nunc à Deo conſeruatur, manere poſsit, ac debeat in omnem æternitatem durare? Qua in re, omiſsis opinionibus. Dico primò. Poſſet mundus ſibi relictus ſub hoc ſtatu, quẽ modo habet, ſolo cõmuni, & ordinario cõcurſu, quo nũc à Deo cõſeruatur, in perpetuum durare. Ita communiter Philoſophi.

De mundi duratione à parte poſt.

15. Et probatur, quia corpora cæleſtia ſũt incorruptibilia, & immortalia; ergo ſi non auferatur ille concurſus, per quem modò conſeruantur, durabunt in perpetuum. De alijs verò corporibus ſublunaribus, cũ illa conſtent materia prima, quæ per creationẽ facta eſt, & nunquã poteſt eſſe ſine aliqua forma ſubſtantiali, ſed exuendo vnam induit aliam neceſſariò neceſsitate phyſica; ideo ſi conſeruetur in ſuo eſſe, vt modò conſeruatur, poterit in æternum induere vnas formas ſubſtantiales, & exuere alias, ita vt ſemper corruptio vnius ſit generatio alterius. Similiter elementa non poſſunt ita mutuò agere in ſe ipſa, vt quaternarius elemẽtorum numerus deficiat: neque cauſæ naturales poſſent iſtum ordinẽ vniuerſi perturbare, quia ad prouidentiam Dei ſpectaret tantam perturbationem non permittere. Vnde illa orbis deflagratio, quæ ante vniuerſale iudicium futura eſt, ſolùm diuinæ potentiæ tribuetur, & non cauſis naturalibus.

Cõfirmatur concluſio.

16. Qua deflagratione extincta cæleſtes orbes ex Dei imperio, & volũtate quieſcẽt à motu, & tũc ceſſabit etiam tempus extrinſecum. Deſinent eſſe illæ brutæ animantes, plantæ, & arbores, quæ ad hominis vitã ſuſtentandam iuuabant, quia iam homines non

Mundus poſt diem iudicij in, quo ſtatu manebit.

egebunt iſtis rebus. Corpora cæleſtia ampliori luce decorabũtur: & hic rerũ ſtatus in perpetuũ manebit. Atque hinc colligitur mũdum re ipſa in perpetuũ eſſe duraturum, non tamen in eo ſtatu, quẽ nunc obtinet, in quo ſenſu dicitur Iſaias ſexageſimo ſexto. *Ecce ego creo calos nouos, & terram nouam*, & Apocalypſis vigeſimo primo. *Vidi cælum nouum, & terrã nouam.*

DE NATVRA CORPORIS CÆLESTIS.

QVÆSTIO II.

Quid ſit cælum, & quibus partibus conſtet?

CAPVT I.

17. CÆleſte corpus eſt vna ex præcipuis partibus vniuerſi, & ideo poſtquam Ariſtoteles egit de mũdo, ſtatim de cælo tractauit. Sumitur autẽ cælũ tripliciter apud Philoſophũ. Primò pro octaua ſphæra. Secundò pro omnibus corporibus cæleſtibus. Tertiò pro omnibus corporibus, quæ intra ambitum primi, ac ſupremi cæli continentur. Nos autem in præſenti agimus de cælo in ſecũda acceptione.

Cæli triplex acceptio.

18. Aliqui igitur ex antiquis Philoſophis exiſtimarũt cęlũ eſſe eiuſdẽ naturæ cum elemẽtis; inter quos aliqui aſſerũt eſſe igneæ naturæ. Empedocles aiebat cælũ eſſe naturę cryſtallinæ ac ſolidę cõpactũ ex aëre, & igne. Alij eſſe terreũ, & propter aſsiduã vertiginẽ non cadere. Denique, alij aſſerebãt cælũ ex omnibus elementis coaluiſſe, præſertim ex terra, & igne.

Variæ ſententiæ de natura cæli.

19. Peripatetica tamen, & Ariſtotelica doctrina eſt cælum eſſe alterius naturæ ab elemẽtis diuerſæ, & quintam quãdam ſubſtantiam ſimplicem. Et ratio eſt, quia omnes formæ elementares, & ſublunares ita informant materiam, vt ab ea naturaliter poſsint ſeparari: ſed formæ cæleſtes non poſſunt naturaliter ſeparari à materia cæli; ergo totum cælum eſt diuerſæ naturæ ab elementis, & ab omnibus corporibus inferioribus. Idem etiam probatur ex motu circulari, qui eſt proprius cæli, & ex loco ſuperiori, quem cælum ſibi vendicat, ſupra omnia elementa. Idem etiam patet ex vniuerſali actione, & influxu, quem habent corpora cæleſtia in hæc inferiora, vt magis patebit ex dicendis. Et quòd non ſit igneæ naturæ, probatur ſpecialiter, quia ſi talis eſſet naturæ, proculdubio omnia hæc inferiora abſumeret potius, quàm foueret.

Peripatetica ſententia.

Dices,

Cælum non habet proprium colorem.

20. Dices. In cælo viſuntur proprij colores: ſed color nõ recipitur in corporibus mixtis; ergo cælum eſt corpus mixtum ex elementis. Reſpondetur in cælo non eſſe veros colores, ſed tantùm apparentes. Videtur autem nobis in cælo eſſe cæruleus color, aut ſapphirinus, quia ob nimiam diſtantiam partes cæli lucidæ apparent nobis quaſi cærulei coloris, cum tamen à parte rei tales non ſint. Alij reſpondẽt illud obiectum, in quo viſus noſter terminatur eſſe, cælũ cryſtallinum, quod propter maiorem partium denſitatem recipit maiorem lucem, & viſum terminar, ac nobis apparet propter diſtantiam quaſi cæruleum. Similiter planetæ, ſi aliquando nobis apparent ſub varijs coloribus, nõ eſt quòd à parte rei illos habeant, ſed propter maiorem, aut minorẽ lucem, quam à ſole participant, & fænerantur pro tali, vel tali oppoſitione longiori, vel propinquiori, vel pro maiori, vel minori denſitate. Poteſt etiam hæc varietas prouenire ex diſpoſitione medij & vaporis interiecti inter oculũ videntis, & ipſum planetam: vt nobis quotidie accidit in Sole, & Luna.

An cælum ſit ſubſtantia ſimplex phyſicè.

21. Suppoſito igitur quòd cælum ſit diuerſæ naturæ à corporibus ſublunaribus, adhuc eſt dubium, vtrùm ſit ſubſtantia corporea compoſita ex materia, & forma, an potiùs ſit ſubſtantia quædam omnino ſimplex in genere phyſico? Hoc poſterius placuit aliquibus, quos refert curſus Conimbricenſis libro primo de cælo capite ſecundo, quæſtione quarta, articulo primo. Dicendum tamen corpora cæleſtia cõſtare ex materia, & forma phyſica realiter inter ſe diſtinctis. Hæc eſt communis omnium, & præſertim antiquorum Patrum, qui ad caput primum Geneſis ſupponunt vt firmum corpora omnia ſublunaria, & cæleſtia componi ex materia.

Cælum conſtat materia.

22. Fundamentum eſſe poteſt, quia ſi cælum eſſet ſola forma, talis forma eſſet nobiliſsima, & per ſe ſubſiſtens, ac independens à materia; ergo eſſet ſpiritualis, ac proinde iam cælum eſſet ſpirituale, & non corporeum; quod repugnat experientiæ: nam cælum cadit ſub ſenſum, & cognoſci poteſt per ſenſus. Deinde in cælo datur motus phyſicus: ſed iſte motus ſolùm conuenit rebus materia cõſtantibus; ergo cælum conſtat materia. Tandem quia in cælo datur quantitas, raritas, & denſitas; ergo etiam datur materia prima.

Specie diuerſa à ſublunari.

23. Vtrùm verò materia ſublunaris, & cæleſtis ſpecie diſtinguantur? quæſtio eſt iam ſupra tacta; vbi illam reſoluimus probabiliùs in partem affirmantem, quia corpora cæleſtia ſunt immortalia, & non poſſunt deſinere per cauſas naturales, & ab intrinſeco ſunt incorruptibilia, vt eſt communior ſententia: ſed ſi materia cæli, & ſublunaris eſſent eiuſdem ſpeciei, non poſſet cælũ eſſe incorruptibile, & poſſet deſinere per cauſas naturales, ergo illius materia eſt diuerſa à materia ſublunari. Non deſunt tamen auctores, & rationes pro oppoſita ſententia, quæ aſſerit materiam

cæli, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei, quas tamē non poſſumus hìc expendere, loquemur tamen in ſequentibus iuxta primam opinionem.

Materiæ cælorum inter ſe an differant?

24. Petes,vtrùm hac opinione admiſſa, admittendum etiam ſit, quòd materia cuiuſcumque cæli infetioris ſit diuerſa ſpecie à materia ſuperioris? Reſpōdetur probabiliùs affirmatiuè, quia cū forma cæli ſuperioris ſit nobilior, quàm forma cæli inferioris, ſi hæc materia cæli inferiotis eſſet eiuſdem ſpeciei cum materia ſupetioris,iam appeteret illam formā ſuperiorem; vnde iam cælum inferius eſſet ab intrinſeco cortuptibile,cum illius materia appetat formam aliam cæleſtem nobiliorem.

Vtrùm cælum ſit diſſolubile, & alij quando in re ipſa diſſoluendum?

CAP. II.

Veterum opiniones.

25. ALiqui ex antiquis Philoſophis fecete cælos ex natura ſua diſſolubiles, ſed diuino beneficio ab interittu liberos. Alij exiſtimarūt cæleſtia corpora, ſicut & tetrena, continuo fluxu dilabi. Alij denique exiſtimarunt cælum aliquando conſumendum fote. Imò & multi ex Pattibus ttadiderunt cæleſtes orbes natura ſua eſſe diſſolubiles: Nam Pſalmo centeſimo ſecundo dicitur. *Opera manuum tuarum ſunt cæli,ipſi peribūt.* Lucæ vigeſimo primo. *Cælum,& terra tranſibunt.* Apocalypſis vigeſimo primo. *Vidi cælū nouum, & terram nouam, prius enim cælum,& prior terra iam abijt.* Et 2. Petri cap. 3. *Cæli magno impetu tranſient.*

Probabilior ſententia.

26. Dicendum tamen eſt corpora cæleſtia ſuapte natura eſſe indiſſolubilia. Hæc probatur experientia tot annorum, in quibus mirabilis quædam conſtantia, & æqualitas ſemper apparuit in corporibus cæleſtibus,cum tamen in ſublunaribus quotidie experiamur tot mutationes, & inæqualitates; ergo ſignum eſt illa eſſe incorruptibilia,hæc verò corruptibilia. Deinde ſi cælum lunæ eſſet corruptibile, ptoculdubio corrūperetur ab igne ſibi vicino. Deinde, quia non repugnat produci compoſitum aliquod incorruptibile ab intrinſeco.& alioqui iuuat multùm ad perfectionem vniuerſi; ergo de facto corpota cæleſtia ſunt indiſſolubilia ex ſe, & ab intrinſeco.

Per diuinam potentiā poſſunt deſinere.

27. Hoc tamen non tollit quominus per diuinam potentiā poſſint deſinere. Vtrùm verò poſt diem iudicij ſint peritura? dubiū eſt propter teſtimonia Scripturæ ptoximè relata. Reſpondetur tamen cælos, & aſtra poſt diem iudicij eſſe manſuros quoad ſubſtātiam,nouæ tamen lucis additione eſſe diuinitùs illuſtrandos, & immutandos,& de hac immutatione poſſunt intelligi omnia loca Scripturæ adducta. Quòd enim cæli non ſint perituri, probatur Pſalmo centeſimo quadrageſimo octauo. *Statuit ea in æternum, & in ſæculum ſæculi.*

28. Quòd ſi aliquando in ali quibus ſtellis, aut planetis aliqua realis mutatio apparuit, vt dicitur apparuiſſe olim in ſtella Veneris, quæ magnitudinem, curſum, & figuram mutaſſe perhibetur: & anno milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo ferunt in Caſsiope nouam ſtellā apparuiſſe: quæ poſt biennium euanuit. Si, inquam, iſtæ, & ſimiles mutationes in cælo factæ ſunt verè, & realiter, miraculo potiùs tribuendæ ſunt, quàm cælorum corruptibilitati. Solet enim Deus aliquādo propter aliquam cauſam nobis occultam, vel etiam notam, in cælis operari eas, & alias ſimiles mutationes, vt accidit temporibus Ioſue, quando Sol ſtetit, & in morte Chriſti Domini obſcuratus eſt.

Occurritur obiectioni.

Vtrùm cæleſtes orbes ſint animati?

CAP. III.

29. Ex hactenus dictis cōſtat cælos eſſe corpora phyſicè compoſita ex materia, & forma, & eſſe cōpoſita quædam incorruptibilia. Reſtat inquirendum, vtrùm forma ſublunaris eorū ſit forma viuens, an non viuēs? Multi ex veteribus Philoſophis, præſertim Græcis, & Ægyptijs exiſtimarunt cælos conſtare forma viuente, imò & forma ſenſitiua: aſſerebantque cælum eſſe animal quoddam, & omnes eius partes informari vna tantùm anima. Alij ſingulis orbibus ſingulas animas aſsignabant. Imò alij ſingulis ſtellis ſuam animā tribuebant. Hanc doctrinam de anima cælorum ſecutus eſt Philo, & Rabbi Moyſes, & aliqui Arabes, & Aſtrologi cōplures, imò etiam Origenes.

Opinio veterum.

30. Dicendum tamen eſt orbes cæleſtes conſtare quidem forma ſubſtantiali, ſed hanc formam nō eſſe viuentem, neque cælos eſſe animatos. Ita docet Damaſcenus lib. 2. fidei orthodoxæ cap. 6. Cyrillus lib. 2. contra Iulianum, Ambroſius lib. 2. Hexam. cap. 4. Lactantius lib. 2. cap. 5. Auguſt. in lib. de duabus animabus cap. 4. Hieronymus ſuper Deuteronomiū 32. & omnes ferè ſcholaſtici Doctores. Ratio eſt, quia Anima eſt actus corporis organici, potentia vitam habentis, ſed cælum non eſt corpus organicum; ergo nec animatum. Secunda, quia non eſt vlla neceſsitas, propter quam tribuatur forma viuentis cælo, cum non egeat nutritione, aut accretione, nec etiam habeat ſenſuum organa. Tertia ratio eſt, quia ſi cælum eſſet animatum, non egeret extrinſeca intelligentia, quæ ipſum moueret, ſed à ſe ipſo moueretur, vt reliqua viuentia animata. Tandem probatur, quia intelligentia mouens cælum non eſt forma informans, ſed eſt tantùm forma aſsiſtens, & extrinſecè mouens; ergo cælum habet propriam formam informantem, ſed non viuentem. Contraria autem opinio erronea ſaltem cenſenda eſt, & talis habetur à Patribus.

Vera ſententia.

13. Neque obſtat, quòd aliquā-

Soluitur obiectio.

do mundi partes vita fruantur, non enim hinc colligitur omnes illius partes eſſe animatas: nam mundus non conſtat ex partibus, quæ conſtituant vnum continuũ, ſed vnum tantùm per aggregationem. Vnde falſa eſt opinio aliquorum veterum, qui exiſtimabãt dari animam mundi diuerſam á forma ſingularum partium.

Cælorum nobilitas.

32. Suppoſito igitur quòd cæli non ſint animati, adhuc eſt dubium, vtrùm ſint compoſita nobiliora quocumque alio compoſito ſublunari? Qua in re extra controuerſiam eſt quodlibet corpus cæleſte eſſe nobilius, ac perfectius quocumque ſublunari non viuẽte. Secundò certum eſt ex viuentibus ſublunaribus hominem eſſe nobiliorem cælo. Tertiò certum eſt corpus cæleſte eſſe ignobilius quocumque animali perfecto; quale eſt omne illud, quod ex putri materia generari non poteſt, ſed ad ſuam generationem eget ſemine, & alijs animãtibus, vt generetur. Fundamentum eſt, quia talia animalia habent perfectum gradum vitæ: ſed iſte gradus eſt nobilior, quàm gradus non viuentium; ergo, &c.

33. De alijs animantibus imperfectis dicunt aliqui eſſe cælo ignobiliores, quia poſſunt ab illo generari vt á cauſa æquiuoca principali: ſed omnis cauſa æquiuoca principalis eſt nobilior ſuo effectu; ergo cælum eſt nobilius, quàm hæc animalia imperfecta. Nihilominus probabiliꝰ eſt quodcumque viuens etiam non ſenſitiuum (quales ſunt arbores, & plãtæ) eſſe cælo nobilius, vt docet Auguſtinus in lib. de vera Religione cap. 22. Sanctus Thomas 1. p. q. 3. art. 1. & q. 70. art. 7. ad 2. & 1. contra gentes cap. 20. & alij cõmuniter. Fundamentum eſt, quia gradus vitæ eſt perfectior gradu non viuente: ſed in his omnibus datur ſimplex gradus viuentis, qui non datur in cælo; ergo &c. Idem etiam patet ex nobilioribus operationibus, quas edũt res viuentes. Quamuis autẽ iſta corpora ſint corruptibilia, & cælũ ſit incorruptibile, hoc ſolùm probat cęlum ſecundùm quid eſſe præſtantius; abſolutè tamen, & ſimpliciter loquendo quodlibet viuens eſt perfectius.

34. Ad rationem dubitandi reſpondetur corpora cæleſtia non eſſe cauſas principales reſpectu animantium, quæ ex putri materia gignuntur, ſed eſſe cauſas inſtrumentales, vt alibi tractari ſolet, & nos ſupra tetigimus. Quãuis etiam materia cæli ſit nobilior ſublunari, non inde ſequitur etiã formam cæli eſſe nobiliorẽ omnibus ſublunaribus formis, præſertim uiuentibus. Soluitur ratio dubitandi.

Vtrùm cæleſtes orbes, quò ſuperiores eò ſint nobiliores?

CAP. IIII.

35. VIſis hac de re cõtrouerſijs, dicendũ primò eſt Solem inter omnia aſtra habere præcipuum dignitatis locum, vt oſtendunt præclara Solis encomia, quæ illi ab auctoribus Solis dignitas.

tribuuntur.

tribuuntur. Et hæc dignitas Solis etiam tribuẽda eſt illi cælo, quod vocatur deferens planetam. Dicendum ſecundò reliquos orbes, quò ſuperiores ſunt, eò eſſe inter ſe nobiliores, vt oſtendunt loca magis infima, vel ſuperiora, quæ vnicuique data ſunt pro cuiuſque dignitate. Ideo autem Sol, quãuis eſſet nobilior ſuperioribus planetis, conſtitutus eſt in medio, vt inde meliùs poſſet ſuam lucem diffundere in hæc corpora inferiora, quam non ita cõmodè ſpargeret, ſi adeſſet in ſeptima ſphæra. Si autem eſſet in prima, vel in ſecunda, nimio calore exureret iſta inferiora.

Dignitas reliquorum orbium.

36. Manet tamen adhuc dubiũ, an corpora cæleſtia ita ſe ſuperẽt in nobilitate, vt ſint eſſentialiter, & ſpecie diſtincta, aut potius accidentaliter tantùm? Reſpondetur probabilius eſſe diſtingui inter ſe ſpecie, & cælum ſecundùm ſe eſſe eſſentialiter nobilius, quã primum cælum Lunæ; & ſic de cæteris. Probari poteſt hæc ſententia ex dictis ſupra, vbi diximus materiam cuiuſcumque cæli, differre ſpecie à materia alterius cæli: ſed diuerſæ materiæ exigunt diuerſas formas; ergo vnumquodque cælum differt ſpecie ab alio. Idem etiam probatur, quia partes elementares, quæ diuerſa loca exigunt, ſunt diuerſæ ſpeciei; ergo etiam diuerſa corpora cæleſtia, quæ diuerſa loca poſtulant.

Eſſentialiter differunt.

37. Quamuis autẽ omnia corpora cæleſtia habeant plura accidentia eiuſdem ſpeciei, hinc non ſequitur eſſe omnia eiuſdem ſpeciei, cum habeant alia accidentia diuerſa, quæ oſtendunt eſſentiale diſcrimen: habet enim vnaquæque ſphæra proprium, ac diſtinctum motum, & phyſicè ſaltem diuerſum ab alijs. In octauo autẽ orbe, quamuis ſtellæ omnes ſint eiuſdem ſpeciei, hoc non tollit, quominus poſsint habere diuerſos effectus; ſunt enim veluti diuerſa organa in eodem corpore, per quæ fiunt diuerſi effectus.

Occurritur argumento

38. Atque ex dictis colliges planetas inter ſe eſſe ſpecie diſtinctos, quia ſunt eiuſdem naturæ cũ ſuo orbe, vt probabilior fert opinio, præſertim, ſi loquamur de illo orbe, in quo defertur planeta: ſed orbes cæleſtes inter ſe differunt eſſentialiter; ergo etiam planetæ differunt inter ſe eodẽ modo. Colliges ſecundò omnes ſtellas octaui orbis eiuſdem eſſe naturæ, & ſpeciei, quia tantùm ſunt partes quædam denſiores eiuſdẽ ſphæræ, quæ accidentaliter tantũ differunt ab alijs partibus, ratione maioris, vel minoris denſitatis, vel ratione maioris, vel minoris lucis. Colliges tertiò lucem non eſſe formam intrinſecam, & eſſentialem ſtellarum (vt aliqui volebant) nam lux cum ſit accidens, non poteſt eſſe forma alicuius compoſiti phyſici, quæ cum materia efficiat vnum per ſe.

Planetæ inter ſe differunt.

Stellæ non differunt eſſentialiter.

39. Dubium tamen eſt, vtrùm lux Solis, & lux ſtellarum ſint omnes inter ſe eiuſdem ſpeciei? Reſpondetur omnem lucem, quæ naturaliter cõmunicatur alicui corpori, eſſe eiuſdẽ ſpeciei. Ratio eſt, quia aſtra omnia, quamuis ex ſe habeant aliquam lucem, mutuatur tamen à Sole maximam partẽ

Lux Solis, & ſtellarum an ſint eiuſ. dẽ ſpeciei.

ſuæ lucis, ſed ſi lux Solis eſſet diuerſa ſpecie, non poſſet intendere lucem ſtellarum, neque cum luce propria ſtellarum componere vnam indiuiduam lucem. Et idem argumentum probat lucem cæleſtem, & ſublunarem eſſe eiuſdem ſpeciei, quia vna intendit aliam, & coniungitur cum illa in eodem ſubiecto.

Lux corporis glorioſi. 40. De luce corporis glorioſi dubitant aliqui, an ſit eiuſdẽ ſpeciei cum quauis alia? Affirmant quidam, & alij negant, æquali ferme probabilitate vtrique. Probabiliùs tamen, qui affirmant, quia lux corporum Beatorum in multis locis ſacræ paginæ comparatur luci ſolari, & dicuntur corpora glorioſa futura eſſe lucida, ſicut eſt Sol, quamuis maiorem lucem intenſiuè ſint habitura. Vnde colliges lucem eſſe accidens quoddam genericum, quod poteſt reperiri in multis corporibus ſpecie diuerſis, & quamuis ex illa oriantur diuerſi effectus pro qualitate ſubiectorum, hoc non arguit in ipſa luce diuerſitatem ſpecificam, ſicut in calore. Colliges ſecundò, licet aſtra, & planetæ aliquantulum de ſuo luceant, quia habent aliquam lucem ſibi propriam, tamen maximè lucere ex ea luce, quam á Sole accipiunt: quæ eſt vna ex cauſis quare Sol fuerit conſtitutus in medio planetarum.

Lux eſt accidens.

De macula lunæ. 41. Dices. In Luna apparet macula quædam: ſed ſi Luna acciperet lucem à Sole, nulla ibi macula appareret; ergo Luna non mutuatur à Sole vllam lucem. De hac Lunæ macula variæ fuerunt ſententiæ, quibus omiſsis. Reſpondetur Lunam conſtare partibus quibuſdam denſioribus, & alijs rarioribus; partes denſiores accipiũt à Sole maiorem lucem, rariores accipiunt minorem, & ideo in illis partibus, quæ ſunt rariores in Luna, nobis videtur adeſſe macula, cum tamen adſit tantùm minor lux, quàm ea, quæ eſt in partibus denſioribus; & quæ propter maiorem lucem nobis videntur propinquiores, aliæ verò remotiores.

De numero, figura, & ordine orbium cæleſtium.

CAP V.

42. VAriæ Philoſophorum, Aſtronomorumque ſententiæ extitere circa numerum ſphærarum cæleſtiũ. Quidam vnam tantùm conſtituebãt, in qua eſſent ſtellæ fixæ; planetæ verò mouerentur in eadem, veluti piſces in vaſto mari. Alij tres cælos eſſe aſſerebant: nempè cælum Solis, cælum Lunæ, & cælũ ſtellarum. Alij octo propter octo diſtinctos motus, quos in planetis obſeruabant, & in ſtellis fixis. Alij poſt iſtos octo inuenerunt alium nonum. Alij tandem inuenerunt alium orbem, quem vocãt primum mobile, propter diuerſos motus, quos notabant per lõgum tempus in corporibus cæleſtibus, qui motus non poterant omnes conuenire ratione ſui, ſed vnus conuenit ratione ſui; alij ratione alterius ſuperioris. Et hæc Variæ opiniones.

Vera ſententia. ſententia de denario cæleſtium orbium numero, nobis probatur, ita vt incipiendo à cælo Lunæ, numerentur decem, quorum decimum ſit primum mobile.

Cælum empyreum. 43. Supra iſtos conſiſtit aliud cælum immobile, quod empyreum appellatur, ob nimium fulgorem. Hoc cælum eſt immobile, & ideo à nobis phyſica ratione non poteſt oſtendi, ſed propter omnium Theologorum au ctoritatem, ac Patrum teſtimonia ſuper aliqua loca Scripturæ, quæ de eo cælo videntur intelligenda, credendum eſt. Creditur autē hoc cælum ex parte ſuperiori eſſe quadratum, non globoſum; ideoque vocatur *Ciuitas in quadro poſita*, vt ſit Beatorum ſedes feliciſsima, & eximia luce prædita; quæ lux à nobis non cernitur eo quòd ex parte inferiori, qua terras deſpicit, non fulget, neque eſt diaphanum illud corpus in extremis partibus, ſed quadam denſitate tegitur, ne lux illa maxima poſsit ad nos transfundi.

44. Quamuis autem hoc cælū ſit figuræ quadratæ ex parte extrema, reliqui orbes habent figuram rotundam, & globoſam. Ordo autem horum cælorum ſic habet. Figura cælorum. Ordo cælorum. Incipiendo à regione ignis, infimum cælum, & primum quoad nos eſt cælum Lunæ; poſtea ſequitur cælum Mercurij, cælum Veneris, cælum Solis, cælū Martis, cælum Iouis, cælum Saturni: ſupra hoc eſt octauum cælum, quod aliter dicitur Firmamētum, ſeu cælum ſtellatum, vel Aplanes, quia in illo ſunt ſtellæ fixæ, & nō errantes. Deinde ſequuntur duo alij cæli, in quibus nullæ ſtellæ fulgent, ſunt tamen maximè trāſlucidi, & perſpicui, ita vt aquarū, vel cryſtalli referant ſimilitudinem, & ideo communi nomine cælum Cryſtallinū, ſeu Aqueum appellantur. Supremum verò ex iſtis duobus eſt primum mobile. Supra hos omnes orbes ſtat immobile cælum Empyreum, vt iam diximus. Cælum lunæ. Mercurij. Veneris. Solis. Martis. Iouis. Saturni. Firmamentum cryſtallinum. Primum mobile empyreum.

DE MOTV CÆLI.

QVÆSTIO III.

Diſtribuitur motus in ſuas ſpecies, & inquiritur quomodo conueniat cælo.

CAPVT I.

1. Explicata natura orbium cæleſtium, ſequitur explicanda præcipua illorū proprietas, quæ eſt motus: non motus aliquis, qui proueniat ab intrinſeca forma cæli, quia hic motus ſolùm conuenire poteſt rebus viuentibus, ſed alius proueniens ab extrinſeco, & receptus in ipſo cælo. Motum igitur rerum naturalium, quæ non viuunt, diuiſit Ariſtoteles in motum rectum, circularem,

Diuiſio motus rerum non viuentium.

cularem, & mixtum ex his duobus. Quæ diuiſio motus eſt adæquata; ſi hìc diuidatur motus phyſicè acceptus pro motu naturali,& non naturali; ſi enim motus ſumatur logicè, omnes ſunt eiuſdem ſpeciei, ſicut præſentiæ circumſcriptiuæ, quæ per motus producuntur, ſunt eiuſdem ſpeciei.

Vni corpori ſimplici vna tantùm latio naturaliter debetur.

2. Sciēdum deinde eſt vni corpori ſimplici vnam tantùm ſpeciē lationem, ſeu motum localē, deberi naturaliter. Quia cùm vnū quodque corpus ſimplex vnum tantùm locum ſibi propriū ſortiatur,etiam vnum tantùm motū vendicat,propter quod principiū ex diuerſitate motuum in orbibus cæleſtibus colligunt Aſtrologi tot dari orbes cæleſtes numero diſtinctos, quot ſunt diuerſi motus, quos notant. Motus igitur naturalis cælo, eſt motus circularis,quo moueatur intra ſuum locum: cum enim ſit perfectio ipſius, inclinatur in talem motum. Deinde cùm cælum ſit ens phyſicum,& motus naturalis,conueniat corpori, ſeu enti phyſico, etiam aliquis motus conueniet cælo,non ſolùm ratione materiæ, ſed etiam ratione formæ.De qua dubitatur quomodo concurrat ad talem motum. Aliqui dicunt cōcurrere effectiuè. Hæc tamen opinio falſa eſt, quia motus cæli non oritur effectiuè à principio intrinſeco, ſed ab extrinſeco, vt ſtatim dicetur. Alij aſſerunt concurrere tantùm paſsiuè,quatenus reddit aptam materiam,vt talem motum immediatè recipiat. Addi poteſt concurrere etiā vt principiū formale aliquo modo, quatenus ille motus cæleſti formæ,& toti,quod componit maximè cōuenit, & per formam ſuam tamquam per principium internum aptatur optimè materia ad illum motum circularem.

Motus naturalis cælo qualis.

Forma cæli quomodo concurrat ad motum.

A quo fiant cælorum motus.

CAP. II.

3. DAri in cælis aliquem motum, cæcus eſt,qui non videat, cum autē hic motus non fiat à propria forma cæli,nec ab aliqua qualitate ipſius tamquam à principio effectiuo, ſupereſt inquiramus à quonam principio effectiuo oriatur motus cælorum? Fuit igitur opinio Ariſtotelis lib. 8. Phyſicorum cap. 10. primū mobile moueri immediatè à Deo abſque vlla alia cauſa ſecunda; hinc enim collegit in phyſicis dandū eſſe aliquem primum motorem, qui moueat primum cælum mobile,& ipſe à nemine moueatur. Vnde etiam aſſeruit Deum eſſe in ſuprema cæli ſuperficie. Quamuis alij aliter explicent Ariſtotelem, vt ſolùm voluerit Deum mouere primam ſphæram,non motu proprio, ſed metaphoricè, quatenus ſcilicet eſt finis vltimus,ad quem ordinatur talis motus.

Opinio Ariſtot.

4. Quidquid tamen ſit de ſententia Ariſtotelis, dicendum eſt primum mobile, & omnes alias ſphæras potuiſſe quidem à ſolo Deo moueri abſque vlla alia cauſa

A quo moueantur.

ſecunda;

ſecunda; de facto tamen moueri etiam ab intelligentijs immediatè, vt à cauſis proximis, & extrinſecis. Ratio eſt, quia ita decebat diuinam prouidentiam, vt ſicut per corpora cæleſtia mouet hæc inferiora, ita per Angelos moueret ipſa corpora ſuperiora; quæ alioqui poſſet mouere per ſe ipſũ ſine vlla cauſa ſecunda. Conſueuit tamen opera naturalia ſimul cum cauſis ſecundis exequi. Vnde nõ eſt audiendus Abulenſis cap. 23. Exodi q. 2. qui aſſeruit non poſſe Deum ſe ſolo aliquid mouere per motum phyſicum; quam ſententiam S. Thomas prima parte, quæſtione centeſima quinta, articulo ſecundo, erroris nomine coarguit.

Ratio.

Opinio Abulenſis reijcitur.

5. Eſt tamen dubium per quã facultatem intelligentiæ moueãt cælos, vtrùm ſcilicet habeant aliquam potentiam motiuam diſtinctam ab intellectu, & voluntate, an moueant per ſolum intellectum, & voluntatem? Reſpondetur probabilius eſſe Angelos habere potentiam motiuam realiter diſtinctam ab intellectu, & voluntate, & per hanc moueре cælum imprimendo illi neceſſarium impulſum. Nam mouere, velle, & intelligere ſunt actiones maximè diuerſæ, & non ſubordinatæ; ergo exigunt diuerſas potentias in rebus creatis, à quibus oriantur: alioqui voluntas, & intellectus in Angelis etiam eſſent vna, & eadem potentia.

Per quam potentiam moueant Angeli cælos.

6. Dubitatur ſecundò, vtrùm omnes cæleſtes ſphæræ ab vno tantùm Angelo, an à pluribus moueantur? Affirmant aliqui moueri ab vna tantùm. Hæc tamen opinio aduerſatur doctrinæ Ariſtotelis, qui tot intelligentias motrices numerat, quot ſunt orbes; repugnat etiam communi ſenſui Theologorum. Et ideo aſſerendum eſt omnes motus, qui nontantur in ſphæris cæleſtibus, fieri à diuerſis intelligentijs. Et ratio eſt, quia vna intelligentia non ſufficit ad motus tam diuerſos, & qui aliquando fiunt in partes cõtrarias, vt ſtatim videbimus; ergo neceſſariò ſunt diuerſi Angeli aſſignandi.

An omnes ab vno moueantur?

Ratio.

7. Efficiunt autem Angeli hos motus maximè ordinatos, & conſtantes, ita vt ſemper ſeruent eũdem tenorem prout in mandatis à Deo acceperunt. Ex qua vniformitate prouenit, vt Aſtrologi certò prænuntiẽt, quo anno, quo die, & hora futuræ ſint ſyderum coniunctiones, & Solis, ac Lunæ eclypſes. Hoc tamen non tollit, quominùs in eodem cælo aliæ partes minus, aliæ maius ſpatium eodem tempore conficiant; nam partes viciniores polis conficiunt minores circulos; partes verò remotiores conficiunt maiores. Ob hanc etiam rationẽ Pythagoras videtur dixiſſe cæleſtes motus ſuauiſsimam quamdã harmoniam edere.

Tenor, & conſtantia motus cæleſtis.

8. Dubitatur tertiò. Vtrũ Angeli continuum producant impulſum de nouo, an tantùm conſeruent primũ impulſum ab initio productũ? Hoc vltimũ volũt aliqui. Dicendũ tamen eſt, cũ impulſus ſit qualitas ſuapte natura euaneſcens, continuò minui illũ, qui ab Angelo mouente producitur,

Impulſus reficitur ab Angelo.

& continuò augeri per impulſum de nouo productum; ita vt quantũ impulſus ex vna parte mihuitur, tantumdem ab Angelo reſiciatur.

Ordinatus motus orbium cæleſtium mutari poteſt.

9. Quæ hactenus diximus, non tollunr, quominus Deus aliquándo pro ſua voluntate immutare poſsit hũc ordinatũ motũ orbiũ cæleſtium; vt accidit temporibus Ioſue, & Ezechiæ: effecit enim Deus vt Sol ad iuſſum Ioſue per aliquot horas quieſceret; & cum Sole tota cæleſtis machina. Tempore autem Ezechiæ, vt Sol cum reliquis orbibus retrocederet. In morte autẽ Chriſti Domini reliquit Luna propriũ locum, & per ſpatiũ triũ horarũ ſe Soli ſuppoſuit (cohibente etiã Deo ſuũ cõcurſum, ne Solis pars alia radios ex ſe mitteret) quibus tranſactis, rediјt ad primũ locũ. Cùm autem Luna tunc eſſet in plenilunio, vel circiter, totus fermè Sol eſt obſcuratus; vnde non in ſola Iudęa, ſed in alijs etiam orbis partibus notata eſt illa eclypſis, vt bene aduertit D. Dionyſius Areopagita à Iudæa maximè diſtans.

Eclypſis in Chriſti morte.

Vtrùm in vnoquoque cælo vnus tantùm motus detur, an plures?

CAP. III.

10. DE hac re fuere apud Aſtronomos variæ ſẽtentię; quibus omiſsis. Dicendum eſt primum mobile, quod eſt decimum cælũ, moueri motu diurno viginti quatuor horarũ ab Oriente ad Occidentẽ; iterũ in Orientẽ ſuper polos mundi. Arcticũ ſcilicet, & Antarcticũ. Cũ autẽ hoc primũ mobile intra ſuum ambitum contineat reliquos orbes inferiores, etiã illos ſecum rapit, & ideo reliqui orbes inferiores etiã mouentur ab Oriente in Occidentẽ motu diurno, non tamen mouẽtur per ſe, ſed per accidens, quatenus ſcilicet rapiuntur á primo mobili, ſi enim relinquerẽtur ſuæ naturæ, nunquam mouerentur ab Oriente in Occaſum.

Diurnus motus primi mobilis.

11. Eſt autem iſte motus velocíſsimus, cũ ſpatio viginti quatuor horarum integram reuolutionẽ cõficiat primũ mobile, & omnes orbes inferiores cum illo. Vnde cômuniter Aſtrologorum opinio fert *Solem ſingulis horis percurrere trecenta viginti quinque millia leucarum ſeptingentas triginta ſex. Trezentas & vinte & cinco mil legoas ſetecentas & trinta & ſeis.* Quibus reſpondent in terra *Ducentæ ſexaginta tres leucæ Luſitanæ.* Cùm autem Sol tantum ſpatium conficiat, quid dicendum eſt de primo mobili, cum Sol reſpectu primi mobilis feratur gradu teſtudineo? Dicunt Aſtronomi quãliber partem Æquatoris in conuexo firmamenti velocius ferri, quàm auem aliquam, quæ intra ſpatium vnius ſalutationis Angelicæ ſepties circumiret totam terram ab Oriente in Occidentẽ ſub Æquatore.

Motus iſte velociſſimus.

Motus Solis ſingulis horis.

12. Præter hunc motum diurnũ, qui eſt motus per ſe reſpectu primi mobilis, datur alius motus

Motus reliquorum orbium proprius.

ſecundùm quid, in alijs orbibus inferioribus, qui eſt illis proprius, & quo mouentur ab Occidente in Orientem ſupra polos Zodiaci, qui diſtant à polis mundi per viginti tres gradus, & triginta minuta. Dicitur autẽ iſte motus proprius reſpectu inferiorum orbiũ, quia etiamſi à primo mobili non rapetentur ab Oriente in Occidentem, adhuc tamen mouerentur per iſtum motum ab Occaſu in Ortum. Dicitur etiam iſte motus ab Occaſu in Ortum, *Motus ſecundùm quid*, quia nullum datur inſtans temporis, in quo punctũ quodlibet cuiuſcumque cæli inferioris non ſemper magis, ac magis ab Oriente recedat, & accedat ad Occidentẽ. Et conſequenter nullum datur inſtans, in quo ab Occidente ad Orientem recedant, ſed tantùm ſub alijs, & alijs ſignis magis Orientalibus, quæ figũtur in Zodiaco primi mobilis, & in Zodiaco octaui orbis reperiũtur. Vt autem res vna dicatur moueri ſimpliciter ab vno loco ad alium, oportet vt recedat ab illo loco, & ad alium magis accedat.

Exemplum naucleri.

13. Hoc genus motus oſtẽditur in naucleto, qui in naui mouetur, ſi enim nauis moueatur maxima cum celeritate ab Oriente in Occidentem, mouebitur naucletus ſimpliciter ad motum nauis, quia ſemper recedit magis ab Oriente, & accedit ad Occaſum: ipſe autem per proprium motum fiet tantùm proximior partibus nauis magis Orientalibus, ita ergo ſe res habet in eo duplici motu orbium inferiorum proportione ſeruata.

Tempus quod conſumitur in ſingulis motibus.

14. De tẽpore, quod ſinguli orbes conſumunt in motu ſibi proprio ſic habeto. Primum mobile conficit ſuum motum ab Oriẽte in Occaſum, & efficit vnã integrã reuolutionem ſpatio *Viginti quatuor horarum*, quæ dicuntur *Horæ æquinoctiales*. Ex vi huius motus mouentur ſphæræ omnes inferiores quaſi per accidens, imò etiam mouetur ſphæra ignis, & magna pars aëris, & iuxta plurimorũ ſententiã, magna pars Oceani. Orbes tamen inferiores non mouentur omnes eadẽ prorſus celeritate, qua primum mobile, ſed peculiaribus ſuis motibus ab Occaſu in Ortũ aliquantulũ retrocedunt, vt nobis apparet in Luna; quæ *Viginti quatuor horis*, non conficit perfectum circulum integrum, quia per motum proprium retardatur.

Nonus orbis.

15. Nona ſphæra motu ſuo particulari ab Occaſu in Orientẽ, vt cõficiat vnã integrã reuolutionẽ, & percurrat totum Zodiacum primi mobilis, conſumit in hac reuolutione integra. *Quadraginta nouem mille annos. Quarenta & noue mil annos.* Ex quibus conflatur annus Platonic⁹, quo expleto fingebant veteres eſſe reditura ea omnia indiuidua, quæ fuerunt in primo anno Platonico. Per hunc motum tardiſsimũ trahit nonus orbis ſecum reliquas ſphæras inferiores, non tamen primum mobile; nam motus inferiorum orbium non communicatur ſuperioribus, ſed ſolis inferioribus.

Octauus.

16. Octauus orbis præter iſtos duos motus, quos accipit à ſuperioribus, habet alium ſibi propriũ, qui dicitur *Motus acceſſus, & receſ-*

ſus, aliter appellatur *Motus trepidationis*, quia octaua ſphæra per hũc motum non conficit integrum circulum, ſed quodammodò trepidat, & nunc videtur accedere ad polum Arcticum, recedendo ab Antarctico, nunc è contra. Perficitur verò iſte motus trepidationis, ita vt eadem pars certa illius cæli redeat ad idem punctũ imaginarium, ſpatio *Septem mille annorum. Sete mil annos.*

Septimus.

17. Septimus orbis, qui propter planetam Saturni vocari ſolet *Cælum Saturni*, vltra prædictos motus, habet alium ſibi proprium ab Occaſu in Ortum, quem conficit annis ferè *triginta*. Cælum Iouis ſimiliter explet motũ ſibi propriũ ab Occaſu in Ortũ, *Duodecim ferè annis*. Cęlũ Martis abſoluit ſuũ *Annis ferè duobus*. Cælũ Solis cõficit ſuũ motũ ab Occaſu in Ortũ per Zodiacum 365. *diebus*, & *horis ſex*, qui dierum numerus integrat noſtrũ annũ ſolarem. Cælũ Veneris eodẽ quaſi tẽpore cũ Sole perficit ſuũ circulũ ab Occidente in Orientẽ, & Mercurij cælũ eodem ferè tẽpore cũ Venere. Luna tandẽ percurrit totũ Zodiacum *Viginti ſeptem diebus, & octo fermè horis*; deinde verò quaſi biduũ conſumit, vt aſſequatur Solẽ. De quibus omnibus tractãt latiùs Aſtronomi in theoricis Planetarum.

De quibus orbibus ſit intelligenda doctrina tradita.

18. Aduertendũ tamen eſt hæc, quæ modo diximus de periodis motuum cæleſtium, quoad orbes planetarum, intelligenda eſſe nõ de orbibus, ſeu cælis totalibus, ſed de proprijs orbibus planetas deferentibus, qui ſunt Eccentrici collocati in medio cuiuſcumque cæli totalis, & in his infixi planetæ, deferuntur tẽporibus prædictis, totales verò cæli planetarum mouẽtur ab Occaſu in Ortũ eadem prorſus tarditate, qua mouetur nonũ cælũ. Mouẽtur etiam motu trepidationis, quo mouetur octauum. Aduertendum deinde eſt nullum planetam inferiorem moueri ad motum proprium planetæ ſuperioris, quia orbes inferiores deferentes planetam non habent idem centrum cum ſuperioribus.

Aſtra non mouentur immoto cælo.

19. Atque ex dictis colliges primò aſtra non moueri cælo immoto, vt aliqui voluere, ſed ſimul cum ſuo orbe circumuolui. Nam ſi aſtra mouerentur immoto cælo, vel loco cuiuslibet ſtellæ ſuccederet aliud corpus, vel nullum. Si nullũ iam naturaliter daretur vacuum, ſi aliud ſuccederet, iam cælum rarefieret, & addenſaretur, & poſſet corrumpi; vel intra cælos daretur aliud corpus, quod nõ eſſet cælum: ſed hæc omnia ſunt abſurda; ergo &c. Colliges ſecũdò planetas dici ſydera errantia, non quòd in cælo hùc oberrent, atque illùc; ſed quia præter motũ ſui orbis totalis, habent aliũ ſibi proprium, ratione ſui orbis deferentis, ratione cuius nunc magis diſtant à terra, nunc ab eadẽ longiùs remouentur. Vnde quando longiùs diſtant à nobis, dicuntur eſſe in ſuo *Auge*, ſiue *Apogæo*, quãdo verò ſunt terræ viciniores, dicuntur eſſe *in oppoſito Augis*, ſiue *in Hypogæo*.

Planetæ cur ſydera errãtia.

DE

DE STELLIS, ET DE CÆLORVM influxu.

QVÆSTIO IIII.

De numero ſtellarum, & illarum diuiſione.

CAPVT I.

1. QVamuis ſtellæ in octaua ſphæra, quę aliter dicitur *Firmamẽtum*, ſint propè innumeræ, vt conſtat ex lacteo circulo, qui nobis apparet ſerena nocte: tamen ſtellæ, de quibus Aſtrologi meminere, & quæ in cælo notari, ac diſtingui poſſunt quolibet anni tempore, ſunt tantùm mille, & duæ ſupra viginti, *Mil & vinte duas.*

Numerus ſtellarum quæ ſemper apparent.

2. Has omnes diuiſerũt Aſtrologi in quadraginta octo partes, quas *Conſtellationes*, ſeu *Aſteriſmos* appellarunt. Eſt autem *Conſtellatio*, ſeu *Aſteriſmus certus ſtellarũ numerus, alicuius animalis, vel alterius rei figura repræſentans.* Inter has conſtellationes habent primum locũ duodecim ſigna; ex quibus conficitur circulus ille, quem *Zodiacum* appellamus, quæ ſigna percurrit Sol integro anno, ita vt in vno quoque percurrendo vnum menſem conſumat. Nomina autem horum ſignorum ſunt:

Diuiſio prima.

Duodecim ſigna.

Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo.
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces.

Quæ ſigna percurrit Sol eodem ordine, incipiens in Ariete menſe Martio. Impoſita ſunt iſta nomina prædictis cõſtellationibus; primò, quia referunt figuram horũ animalium. Secundò, quia Sol quando exiſtit in qualibet ex prædictis conſtellationibus, videtur imitari aliquas proprietates prædictorum animalium.

3 Reliquę conſtellationes ſunt ex parte Boreali, ſeu Septentrionali *Vrſa minor*, quæ aliter dicitur *Cynoſura*, & cõſtat ſeptem, vel octo ſtellis, quarum vna eſt ſtella polaris. *Vrſa maior*, conſtat ſeptem, & viginti, aliiſque octo informibus. Tertia eſt *Draco*, & conſtat ſtellis 31. Quarta dicitur *Cepheus*: habet ſtellas vndecim, & duas alias informes. Quinta dicitur *Bootes*, ſiue *Arctophylax*, conſtat ſtellis 22. & vna informi, quam *Arcturum* vocant. Sexta conſtellatio eſt *Corona borealis*, & octo perficitur ſtellis. Septima *Hercules*, ſiue *Engonaſis*, conſtatque ſtellis 29. & altera informi. Octaua eſt *Lyra*, ſeu *Vultur cadens*, conficitur ex decem ſtellis. Nona eſt *Olor*, ſiue *Cygnus*, conſtat ſtellis 17. & duabus informibus. Decima eſt *Caſiopea*, ſtellis 13. conſtans. Vndecima eſt *Perſeus*, qui ex 26. ſtellis coaleſcit, & tribus informibus. Duodecima

Vrſa minor. Vrſa maior. Draco. Cepheus. Bootes. Corona borealis. Hercules. Lira. Olor. Caſiopea. Perſeus.

Auriga. eſt *Auriga*, qui etiam *Heniochus*, ſeu *Erichtonius* appellatur; cõſtat ſtellis 14. Decima tertia eſt *Ophiuchus*, ſeu *Serpentenarius*; conſtat ſtellis 24. & circa ſe habet quinque alias informes.

Serpentenarius.

4. Conſtellatio decima quarta dicitur *Serpens*, habetque ſtellas 18. Decima quinta eſt *Sagitta*, ſeu *Telum*, conficitur ex quinque ſtellis. Decima ſexta eſt *Aquila*, ſeu *Vultur volans*, habet ſtellas nouẽ, & præter has habet circa ſe alias ſex quæ conſtituunt *Antinoum*. Decima ſeptima eſt *Delphinus*, & continet ſtellas 10. Decima octaua eſt *Equiculus*, fitque ex viginti ſtellis. Decima nona eſt *Equus alatus*, & conflatur ex viginti ſtellis. Vigeſima eſt *Andromeda*, quæ fit ex 24. Vigeſima prima eſt *Triangulus*, habetque ſtellas 4.

Serpens. Sagitta. Aquila. Delphinus. Equiculus. Equus alatus. Andromeda. Triangulus.

5. Ex parte *Auſtrali*, ſeu ex parte poli *Zodiaci* Auſtralis ſunt ſequentes conſtellationes. Prima eſt *Cetus*, & conſtat 22. ſtellis. Secunda eſt *Orion*, & conſtat 38. Tertia eſt *Fluuius*, ſiue *Eridanus*, vel *Nilus*, habet ſtellas 34. Quarta eſt *Lepus*, & conſtat 12. ſtellis. Quinta eſt *Canis maior*, fitque ex ſtellis 18. habet verò circa ſe alias informes vndecim. Sexta eſt *Canis minor*, quæ conſtat ſtellis duabus. Septima eſt *Argus*, conſtans ſtellis 45. Octaua eſt *Hydra*, quæ habet ſtellas 25. informes habet duas. Nona eſt *Crater*, ſeptem ſtellis conſtans. Decima eſt *Coruus*, quæ habet alias ſeptem. Vndecima eſt *Centaurus*, quæ conſtat ſtellis 37. Duodecima eſt *Lupus*, ſeu *Beſtia Centauri*, quæ fit ex ſtellis 19. Sequitur decima tertia, quæ *Lar* dicitur, *Thuribulum*, vel *Ara*, & conſtat ſeptem ſtellis. Decima quarta eſt *Corona Auſtralis*, quæ conficitur ex 13. ſtellis. Vltima tandem eſt *Piſcis Auſtrinus*, ſiue *Notius*, conſtatque 12. ſtellis, præter ſex alias informes. Intermediant duodecim ſigna Zodiaci, quæ habent reliquas ſtellas, quæ deſunt ad numerum ſtellarum fixarum, quem ſupra poſuimus.

Cetus. Orion. Eridanus. Lepus. Canis. Canicula. Argus. Hydra. Crater. Coruus. Centaurus. Lupus. Thuribulum. Corona auſtralis. Notius.

6. Secunda diuiſio ſtellarũ fixarum fit ratione maioris, vel minoris magnitudinis, quam habẽt, idque deprehenditur ex maiori, vel minori ſplendore, quem in ſtellis cernimus. Hanc igitur ſtellarum magnitudinem deprehenderunt Aſtrologi habere ſex differentias, & ideo maximas ſtellas, vocarũt, *Primæ magnitudinis*, deinde alias minores, vocarunt, *ſecundæ, tertiæ, quartæ, quintæ, ſextæque* magnitudinis, ita vt ſtellæ primæ magnitudinis ſint tantùm quindecim, ſtellæ ſecundæ magnitudinis ſint 45. *Quadraginta quinque.* Tertiæ magnitudinis 208. *Octo ſupra ducentas.* Quartæ magnitudinis 474. *Septuaginta quatuor ſupra quadrigentes.* Quintæ magnitudinis. *Septendecim ſupra ducentas.* 217. Sextæ magnitudinis. *Quadraginta nouem.* Præter iſtas numerant *quinque nebuloſas*, & alias *obſcuriores* 9. *nouem.* Omnes verò ſimùl efficiunt numerũ 1022. *mil & vinte duas.*

Secunda diuiſio ſtellarum.

7. Præter has dantur alia ſydera errantia ſeptem, quos *Planetas* vocamus, & vnuſquiſque eſt in ſuo cælo, dicunturque *Luna, Mercurius, Venus, Sol, Mars, Iuppiter, Saturnus.*

Sydera errantia.

De

De influxu cælorum, ſyderum, ac Planetarum.

CAP. II.

Cæli habẽt aliquos influxus.

8. CErtum primò eſt cæleſtes orbes habere aliquem influxum in hæc corpora ſublunaria, vt manifeſta docet experientia; videmus enim ex Solis motu cauſari quadripartitam varietatẽ totius anni, caloris, & frigoris viciſsitudines; ratione quorũ multa generantur, & intereunt in terris. Videmus etiam aliquas ſtellas ſuo ortu inuehere procellas, ventos excitare, & ſimilia. Luna etiã maximè dominatur in mari, in quo eſt præcipua cauſa marini æſtus. Idem etiam oſtẽdunt oſtrea, conchilia, & conchæ omnes, quæ cum Luna creſcunt pariter, ac decreſcunt. Idem etiam credunt, & probant Medici, dum per ſingulos menſes in vtero aſsignant fætui ſingulos planetas, & ſimiliter ætatibus, ac metallis.

Etiam Empyreum influit.

9. Imò etiam de ipſo cælo Empyreo eſt probabilius influere in hæc inferiora; non enim decuit dari in hoc vniuerſo ſubſtantiam aliquam præſertim tam nobilem, vt eſt cælum Empyreum, quæ tamen eſſet otioſa, & expers totius actiuitatis; ergo cælum Empyreũ etiam agit in hæc inferiora per ſuos influxus. Imò aliqui dicunt præcipuè influere in hominem, quia eſt nobilior ſubſtantia. Alij verò aſſerunt diuerſitatem quorumdam effectuum, qui viſuntur in aliquibus regionibus ſub eadẽ latitudine, & diſtantia ab vtroque polo exiſtentibus, prouenire á cælo Empyreo, quod cum ſit immobile, & habeat virtutes occultas, per quas influat in diuerſis partibus, influere poteſt diuerſo modo in hanc regionem, & diuerſo in aliam. Hic tamen modus dicẽdi incertus eſt, certũ verò admittere influxum cæli Empyrei in hæc inferiora, quamuis modus influendi nobis ſit occultus.

Per quid influant.

10. Dubitatur tamen per quid influant cæli, planetæ, & ſtellæ? Aliqui affirmant influere tantùm mediante luce, & hanc ſolam ſufficere ad omnes effectus, qui in mundo ſublunari fiũt á cæleſti. Hæc tamen opinio ita eſt explodenda, vt non negemus cælos influere per lucem, vt eſt communis philoſophorum ſenſus, & ipſa experiẽtia notum, videmus enim lucem è cælo, & ab aſtris, præſertimque à Sole diriuatam, non ſolùm illuſtrare, ſed etiam calefacere hæc inferiora corpora, quia mediante luce producitur calor in ſubiectis, quæ ſunt capacia caloris.

Occultæ qualitates.

11. Addendum tamen eſt cælum non tantùm per lucem, ſed etiam per alias occultas qualitates, quas Philoſophi vocant influentias, in ſublunarem mundum agere. Et ratio eſt, quia cæli multa faciunt in terris non interueniente luce; generant enim aurum in gremio terræ, ac cætera metalla, ſed ad viſcera terræ non peruenit lux aſtrorum; ergo ibi generat cælum multa quin lux interueniat. Calor verò qui in terræ ſuperficie extima pro-

ma producitur mediante luce nō poteſt habere tantam ſphæram ſuæ actiuitatis, vt poſsit agere in viſceribus terræ. Deinde partes cæti Polo vicinæ trahunt ad ſe acum attritu magnetis confricatā, & tamen non illam trahunt me diante luce; ergo mediante alia qualitate occulta. Tertiò fluxus, & refluxus maris fit à Luna, & tamen non fit mediante luce, cū fiat aliquando etiam non apparente Luna; ergo, &c. Quartò, quia Luna dum coniungitur Soli, habet minorem lucem, & tamen tunc in aliqua corpora vehementiùs agit; ergo non agit per ſolam lucem. Quintò, quia corpora cæleſtia producunt in hæc inferiora non ſolum calorem, ſed etiam frigus, & reliquas quatuor qualitates: ſed lux non poteſt producere frigus; ergo, &c.

An ceſſante motu cæli ceſſent omnes motus inferiores.

12. Petes, vtrùm ceſſante motu cæli, ceſſare debeant omnes actiones, & motus inferiorum corporum? Vt hæc difficultas ſoluatur, aduerte actiones corporum inferiorum, quaſdam eſſe coniunctas cum motibus phyſicis, & ad illos reduci, vt ſunt omnes productiones quatuor qualitatum, quæ diſponunt ad generationem, & corruptionem, & motus omnes locales. Aliæ ſunt actiones, quæ nō ita ſunt coniunctæ cum motu, v. g. productio lucis à luminoſo, productio ſpecierum viſibilium, & aliæ ſimiles.

Reſolutio dubij.

13. Dico ergo primò. Quamuis cælum non moueatur, poteſt adhuc influere in iſta corpora inferiora, & ipſa ſe poſſunt mouere, & operari per vtrumque genus actionum, ſaltem per aliquod tempus. Ratio eſt, quia cælum Empyreum influit, & tamen eſt immotum; ergo etiam ſi reliqui orbes eſſent immoti, adhuc poſſent influere; præſertim, quia cæli nō habent vim influendi ab Angelo mouente, neque à motu, ſed à propria natura, & virtute ſibi cōnaturali. Vnde etiam patet ſecūda pars cōcluſionis, quāuis enim corpora inferiora in eliciēdis aliquibus actionibus pēdeant ab influxu cæleſti, adhuc ceſſante motu cæli, poſſent habere talem influxum, & prædictas actiones edere, atque à fortiori illas, in quibus eliciendis non penderet ab influxu cæleſti.

Ratio.

14. Negandum tamen non eſt motus cælorum eſſe maximè neceſſarios ad diſpertiēdos influxus per varia loca, & ad illos attemperandos, ne ſcilicet eadem pars cæli ſemper producat maximam lucem, & maximum calorem in hac regione. Vnde ceſſante motu cæli, non eſſet ea anni varietas, viciſsitudo generationum, & corruptionum, quā vidᵉmus. Quod à fortiori eſſet verum, ſi ceſſaſſent etiam cæleſtes influxus: non tamen ceſſaſſent omnes actiones inferiorum agentium, adhuc enim ignis applicatus ſtupæ ipſam inflammaret: ſed illæ tantùm, quæ ſine cæleſti iufluxu fieri non poſſunt.

Qui effectus poſsint in terra fieri per cæleſtes influxus.

CAP.

CAP. III.

Metalla & reliqua non viuentia.

15. **P**Oſſunt primò fieri metalla in viſceribus terræ, poſſunt etiã fieri gemmæ, & vniones, ac reliqua non viuentia, vt ex aëre poteſt fieri aqua, & ex terra aër, & ſimiles aliæ generationes ſubſtantiales, & à fortiori reliquæ generationes accidẽtales materiales. Secũdò, poſsũt fieri res viuẽtes vita vegetatiua, vt ſunt arbores, herbæ, & plantæ; de his enim nemo dubitat. De viuentibus autẽ vita ſenſitiua, eſt maius dubium. Hæc autem viuentia ſunt in duplici genere, quædam enim dicũtur animalia imperfecta, alia ſunt perfecta: animalia imperfecta ſunt ea, quę indiſcriminatim gigni poſſunt ex congreſſu maris, & fæminæ, vel ex putri materia, vt ſunt, v. g. conchilia in mari, & plures alij piſces, muſcæ, formicæ, mures, & multa alia id generis. Animalia verò perfecta ſunt ea, quæ ex ſolo congreſſu maris, & fæminæ naſcuntur, vt Bos, Aries, Equus, &c.

Arbores.

Animalia imperfecta quæ.

Animalia perfecta.

An cælum ſit cauſa principalis viuentium imperfectorum.

16. De animalibus imperfectis eſt communis ſententia poſſe etiam à cælo generari ex putreſcẽte materia, vt quotidiana docet experientia. Solùm ergo eſt dubium, quomodo cælum, & aſtra concurrant ad has generationes ſubſtantiales, vtrùm ſcilicet concurrant vt cauſa principalis, an vt inſtrumentum? Nos ſupra diximus probabilius concurrere vt inſtrumentum, & Deum ibi eſſe cauſam principalem, quia iſti effectus ſunt ipſo cælo, & aſtris nobiliores.

Animalia perfecta nõ poſſunt à cælo generari.

17. De animalibus perfectis dicendum eſt non poſſe generari à cælo, neque à ſyderibus, ſed egere peculiari progenitore, à quo per vim ſeminariam generentur. Et ratio eſt, quia hæc animalia ſunt præſtantiora, & ad ſui generationem plura exigunt, vt ipſa oſtendit experientia. Vnde inter fabulas meritò numerantur Ogygis, & Inachi ortus ex terra: ſi enim reliqua animantia perfecta fieri non poſſunt, niſi per vim ſeminariam naturaliter loquendo, multò minùs fiet homo, qui eſt nobilior effectus; neque enim recta diſpoſitio materiæ ad formas perfectorum animalium conſiſtit in ſola temperie quatuor qualitatũ, ſed in virtute etiam ſeminali, ac formatrice, quæ ſi perfecta ſit, & qualis requiritur ad formam perfecti animalis, non poteſt fieri à Sole, nec ab aſtris. Quòd ſi in deſertis inſulis aliquando repertæ ſunt aliquæ beſtiæ perfectæ, vt equus, aut vitulus, delatę ſunt illùc, vel natando, vel impetu aliquo ventorum, vel etiam ab Angelis ita diſponente auctore naturæ, vt cenſet Auguſtinus lib. 16 de ciuitate Dei cap. 7.

Phœnicis ortus.

18. De Phœnicis ortu multa commemorant Auctores, omnes verò conueniunt quòd vnus tantùm ſit in toto orbe Aquilæ magnitudine, Pauone pulchrior, cõueniunt etiam, quòd vnus ex cineribus alterius iam demortui reuiuiſcat, vel idem quaſi reſurgat: ſed hæc auis eſt animal perfectũ, & non habet aliam cauſam ſui

ortus

ortus niſi Solem, & aſtra; ergo per cæleſtes influxus poſſunt generari perfectæ animâtes. Aliqui propter hoc argumentum immeritò negant dari Phænicem; quod tamen repugnat communi ſenſui, & magnorum virorum auctoritati. Ideò meliùs dici poſſet modũ illum, qui communiter circumfertur de Phænicis ortu ex viſceribus alterius, eſſe fabuloſum: poſſe autem aliter generari. Nã quidam aſſerunt Phænicem ſemetipſum vulnerare, & ex cruore naſci vermiculum quẽdam, qui mox pullus fiat, & inde mortui loco ſuccedat. Crediderim potiùs intra ipſum Phænicem generari ex ſemine illius alium quemdã paruum, qui in primo ſuo ortu referat ſimilitudinem vermis, & tunc exire, quando Phẹnix ſe vulnerat, & ex hoc vulnere interit, ſicut de ſerpentis fœtu dici ſolet; pullus verò ita genitus calore Solis, & alijs cælorum influxibus adoleſcit. Quamuis etiam hic dicẽdi modus habeat aliquas difficultates: quas omnes vt aliqui effugiant, aſſerunt non dari vnum tã tùm, ſed plures.

Animalia imperfecta genita à cælo, an ſint eiuſdẽ ſpeciei?

19. Petes, vtrùm animalia imperfecta, quæ gignuntur á Sole, & cælo, ſint eiuſdem ſpeciei cũ ijs, quæ per vim ſeminariam generantur ex mare, & fæmina? Reſpõdetur affirmatiuè, neque enim eſt vnde colligamus in illis diuerſitatem ſpecificam, cum habeant eaſdem proprietates, & eaſdem operationes, eoſdẽ motus, & eaſdem inclinationes. Solùm igitur differunt in modo egrediendi à ſuis cauſis. Quamuis autem aliqua, quæ ex putri materia generantur, ſint infæcunda, id non tollit vnitatem ſpecificam, ſicut nõ tollit in animantibus perfectis, vt apparet etiam in ſpecie humana.

Vtrùm corpora cæleſtia poſſint influere in noſtram voluntatem?

CAP. IIII.

Directus influxus, & indirectus.

20. Dupliciter poteſt cælum mouere, & influere in aliud, primò directè, & immediatè terminando ſuum influxum ad aliud. Secundò indirectè, & mediatè, atque ex accidente, agendo ſcilicet in aliud tertium, quod moueat ſecundariò ad aliud. Corpora igitur cæleſtia non poſſunt agere in noſtram voluntatẽ motione directa, & immediata.* Ratio primæ partis eſt, quia voluntas eſt ſubiectum ſpirituale, cælum verò eſt agens corporeum, & ideo voluntas non poteſt à cælo aliquid pati, neque cælum agere directè in illam. Deinde, quia ſi cælum moueret noſtram voluntatẽ, iam humanæ actiones non eſſent liberæ.

Reſolutio quæſtionis.

** ſed ad ſummum indirecta, & mediata.*

21. Secũda pars probatur, quia licet ſtellæ per ſe non moueant, nec poſsint mouere voluntatem, poſſunt tamen eam mouere interuentu organorum, in quibus inſident potẽtiæ corporeæ, vt calefaciendo cordis ſanguinẽ, quo efferueſcente, appetitus iraſcibilis ad iram concitetur, & ſic propter ſympatiam potentiarum ſe-

cum

cum deferat voluntatem; nam iuxta Ariſtotelem, vt quiſque affectus eſt, talis ei finis videtur.

Cur dæmones certis temporibus corpora diuexent.

22. Hinc colliges non poſſe cælos agere in Angelos, ſiue bonos, ſiue malos, cum ſint ſubiecta ſpiritualia. Si tamen aliquando dæmones ad certam ſtellarũ coniunctionem, v. g. Lunæ, & Solis diuexant corpora humana, magis quàm alijs temporibus, id faciũt primò, vtres à Deo creatas tamquam maleficij participes dedecorent. Secundò, quia non poſſunt aliquid mali facere in corporibus, niſi per motum & applicãdo actiua paſsiuis, expectant eam occaſionem, in qua res corporeę, v. g. herbæ habeant maiorem efficaciam, & meliorem diſpoſitionem corporum ad patiendum. Si verò ad magorum euocationem eitiùs accurrunt in certis ſtellarũ, & planetarum coniunctionibus, id ſolũ ex pacto fit, vel quia tunc vident eſſe corpora paratiora, vt eis imprimãt aliquas noxias qualitates.

Quid poſſit aſtrologorum diuinatio.

23. Petes quid poſsint Aſtrologi per cælorum motus, & influxus certò prædicere, & vtrùm poſsint futura contingẽtia diuinare? Reſpondetur primò poſſe Aſtrologos phyſica certitudine prædicere ſyderum, planetarumque omnium ortus, obitus, aſpectus, & eclypſes, aliaque ſimilia ad cæli ſtatum pertinentia. Quia hæc omnia pendent à motu cæli, qui ſemper conſtans eſt, & ordinatus, naturaliter loquendo, & niſi Deus aliud diſponat vt diſpoſuit tempore Ioſue, & Ezechiæ. Secundò poſſunt probabiliter diuinare morbos, frigora, tempeſtates, ſterilitatẽ, pluuias, ſiccitatem, alioſque effectus naturales, qui magna ex parte pendent á cælorum influxu; non tamen poſſunt certò enuntiare: quia eſt maximè difficile omniũ ſyderum virtutes ad amuſsim tenere, ex quibus pendent iſti effectus, & á quibus poſſunt impediri: neque humana ratio poreſt non confundi in tanta ſtellarum varietate, ex quibus aliquæ impediũt illos effectus, qui ab alijs poſſent oriri. Deinde, quia multa ſũt, quæ in cælis hactenus non habẽt Aſtrologi ſatis nota. Tertiò, quia cum iſti effectus etiam pendeant à varia diſpoſitione regionum in terra, & hæc diſpoſitio ſit magna ex parte Aſtrologis ignota, ideo nõ poſſunt certò prædicere prædictos effectus. Idem etiam patet quotidiana apud nos experientia, ſæpius enim Aſtrologos in ſuis prædictionibus horum effectuum mendaces deprehendimus.

24. Tertiò dicendum eſt neq; actiones, quæ ex humana voluntate pendent, neque ſucceſſus cõtingentes, aut fortuitos poſſe ab Aſtrologis cognoſci. Ita docent omnes Patres, ac Theologi; quia cum cæleſtia corpora in humanã voluntatem directè non influant, nullo modo poſſunt actus noſtræ voluntatis, neque effectus, qui ab illa pendent, ex cælorum influxu dignoſci. Vnde fictum planè eſt quorumdam veterum iudicium, qui fatales quaſdam ſtellas aſsignabant, quæ ſub certo ſitu, ac facie, cuiuſque fortunam, ac ſucceſſus indicarent. Quod ex eo præſertim confutatur, quia multi eo-

Fatalis ſtellarum vis reijcitur.

dem tẽpore, & eodem momẽto, & concipiuntur in vtero, & naſcuntur ſub iiſdem conſtellationibus: & tamen habent diuerſa omnia dum viuunt; ergo vana eſt illa doctrina de fatalibus ſtellis. Vnde patet non poſſe iſtos planetarios certi alicuius hominis, regni, aut ciuitatis caſus, fortunamque, aut circunſtantias rerum, ac negotiorum certò prædicere, ſi pendeant ex hominum voluntate. Quapropter ſuperſtitioſa iſta, & vana Aſtrologia, iure optimo olim etiam apud Romanos damnata eſt, necdum apud Catholicos; in quam Patres omnes, & multa concilia inuehuntur, vt in excuſandæ nequitiæ aſylum; & Catholicæ fidei, boniſque moribus maximè contrariam.

25. Quòd ſi Aſtrologi inter multa mendacia aliqua futura contingentia prædiuinant, id vel caſu accidit, vel quia Deus ita diſponit, vt per talium hominũ ora alios edoceat, & moneat, cum tamen Aſtrologi tunc temporis nõ cognoſcant veritatem illius, quod dicunt. Tertiò, quia aliquando iſti Aſtrologi diſcunt à dæmone aliqua occulta, quæ iam pręterierũt, & nemo alius potuit cognoſcere, niſi dæmon. Fictitia etiam ſunt ea, quæ ex phyſiognomia, & ex chiromantia, apud imperitos homines ſcire ſe fingunt aliqui iudiciarij quamuis negandum non ſit aliqua ſigna externa, de quibus meminit Ariſtoteles in libello phyſiognomiæ, indicare vtcũque naturale corporis temperamentum.

Quomodo Aſtrologi aliquando prædiuinent.

PROPONVNTVR ALIQVA DVBIA circa doctrinam hactenus traditam.

QVÆSTIO V.

Quibus terminis definiantur potentiæ actiuæ naturalium agentium.

CAP. I.

Ratio dubitandi.

1. HActenus diximꝰ cæleſtes orbes, & etiam Empyreum agere in hęc corpora ſublunaria, ex qua doctrina poſſet aliquis ſumere occaſionem aſſerendi potentias, per quas cæli operantur in hæc inferiora, nullum habere terminum ſuæ actiuitatis, neque habere vllã certam, ac determinatam ſphærã, vltra quam non poſſint operari, nam cum terra tantùm diſtet à cælo, & præſertim ab Empyreo, & adhuc dicamus, quòd hoc cælum operetur in terram, nulla poteſt aſſignari ſphæra in cælorum actiuitate.

Notationes aliquot.

2. Hæc difficultas vt ſoluatur recolendum eſt,ex doctrina Phyſicorum duplicem terminũ magnitudinis,& paruitatis, ſcilicet internum vnum, & alterum externum. Secundò notandum eſt potentiam naturalem diuidi in actiuam,& paſsiuam. Tertiò potẽtiam actiuam cõparari poſſe, vel eum intenſione graduali ſui effectus, vel eum extenſione illius in ſubiecto, aut ſpatio, per quod talem effectum producit.

Prima concluſio.

3. Dico igitur primò. Potentiæ actiuæ quoad intenſionem effectus,nullum habent terminum paruitatis, habent tamen terminum magnitudinis internum. Prima pars probatur,quia nõ poteſt produci effectus ab aliqua potẽtia tam remiſſus , vt non poſsit produci ab alia remiſsiori vel etiã ab eadem; ergo tales potentiæ nõ habent aliquem terminum paruitatis quoad intenſionẽ. Secũda pars inde conſtat, quia potentia naturalis non impedita, & remotis omnibus obſtaculis,agit quantum poteſt,& non amplius; ergo determinatur quoad certum aliquem effectum; ac proinde habet certum terminum intrinſecum, ita vt verum ſit dicere. *Tot gradus poteſt producere, & non plures.*

Secunda.

4. Dico ſecundò. Quælibet potentia actiua certa, ac determinata quoad extenſionem effectus in ſpatio,vel in ſubiecto habet terminum magnitudinis internum,paruitatis autem nullum habet terminũ. Probatur prima pars,quia potentia naturalis habet virtutẽ certam,ac limitatam;ergo nõ poteſt ſuum effectum in quãcumque diſtantiam extendere; ſed habet certam, ac limitatam ſphærã, intra quã poſsit qualitatẽ producere:ita vt ſit verum dicere, In hac poteſt extẽdere ſuã actiuitatem, & in ampliorem non poteſt, dum perſeuerauerit eadem virtus certa, determinata, & immota. Secũda pars concluſionis oſtenditur, quia in ea ſphæra non datur verſus agens vna pars ſubiecti tã minima,vt nõ detur alia minor; ergo nullũ habet terminum paruitatis quoad extenſionem effectus.

Obiectio.

5. Dices. Impulſus, quo lapis, verbi gratia, deſcendit, eò magis creſcit,quò lapis magis centro appropinquat; ergo ſi lapis deijciatur ab ſpatio ſyncategorematicè infinito,augebitur impulſus in infinitum: ac proinde nullus dabitur terminus magnitudinis quo ad intenſionem.

Prima reſponſio.

Reſpondent aliqui licet cæteræ qualitates naturales,quæ habent intenſionem gradualem, habeant certum terminum ſuæ intenſionis, impulſum tamen eſſe qualitatem anomalam, & non ſeruare iſtum ordinem, ideoque poſſe augeri in infinitum.

Secunda reſponſio.

Alij reſpondent etiam impulſum terminari certo termino ; vnde ſi lapis deſcendat à prima cæli Empyrei ſuperficie , vbiprimùm acquiſiuerit octo gradus impulſus, nihil amplius acquiret.

Tertia concluſio.

6. Dico tertiò. Potentiæ actiuæ ſi comparentur cum reſiſtẽtia paſsi; non habent terminum magnitudinis internum, ſed externũ; ſi enim ſit æqualis actiuitas huius agentis cum reſiſtentia paſſi, nihil in illud operabitur, ope-

rabitur verò ſi in paſſo detur quæuis minor reſiſtentia. Si autē potentiæ actiuæ comparentur cum reſiſtentia quoad paruitatem, nō habent certum terminum, ſed poſſunt agere in ſubiectum, ſiue illud reſiſtat minùs, & minùs, in infinitum, ſiue etiam nihil reſiſtat.

Quarta. 7. Dico quartò. Potentiæ actiuæ quoad ſpatij diſtantiam, verſus minimum, non habent vllum terminum; quia nō poſſunt producere qualitatem in tam minima parte ſpatij, vt non poſsint etiam producere in minori, vt conſtat ex dictis, & ampliùs probatur, quia quantò res patiens minus fuerit diſtans ab agente, tantò cæteris paribus in illam vehementius aget.

Quinta. 8. Dico quintò. Potentiæ actiuæ quoad diſtantiam ſpatij non terminati vltima ſuperficie, habent terminum internum verſus maximum. Hæc probatur, quia luminoſum, v. g. fundit ſuā lucem, quàm longè poteſt, & per totam ſphæram ſuæ actiuitatis, verbi gratia, per ſpatium vnius ſtadij; ergo tale ſpatium erit *Maximum quod ſic*: erit enim illud ſpatium, intra quod poteſt, & vlterius non poteſt. Si autem ſpatiū ſumatur quatenus terminatum vltima ſuperficie, ita vt vltima ſuperficies adhuc contineatur inter ſphæram, & ſit vltimus terminus intrinſecus ſphæræ, potētia actiua ſolùm habet terminum extrinſecum quoad ſpatiū.

Ratio. Et ratio eſt, quia ſi lumen, vel qualitas producta intrinſecè terminatur aliqua ſuperficie vltima ſpatij, vel lumen in ea ſuperficie receptum, eſt diuiſibile, vel indiuiſibile, ſi diuiſibile; ergo iam vlteriùs funditur, & ſuperficies aſsignata erit vltima, vt ſupponitur, & non erit vltima, cùm qualitas vlterius tendat. Non eſt dicendū quod ſit indiuiſibile, quia repugnat intenſionem eſſe indiuiſibilem; ergo fatendum eſt dari aliquam ſuperficiem vltimam terminantem ſpatium, in qua nihil luminis ſit, & ante illam, verſus luminoſum in quauis parte ſit.

9. De potentia paſsiua ſubiectorum. Dico primò. Capacitas cuiuſcumque ſubiecti ad recipiēdas formas, habet terminum magnitudinis internum quoad in tenſionem effectus, quem recipit; poteſt enim ſuſtentare naturaliter loquendo octo gradus, verbi gratia, caloris, & non plures, vel quatuor frigoris, & quatuor caloris, & non amplius; quia cū ſubiectum conferat eſſe formis in genere cauſæ materialis, & habeat eſſe finitum, ac limitatum, etiā naturaliter non poteſt dare eſſe niſi certis, ac determinatis accidentibus, & gradibus formarum. De potentia paſsiua prima concluſio.

10. Dico ſecundò. Capacitas cuiuſque ſubiecti naturalis ad recipienda accidentia ſupernaturalia, vel modo ſupernaturali, & per potentiam obedientialem, nullum habet terminū magnitudinis, ſed quodlibet ſubiectū poteſt recipere diuinitꝰ quælibet accidētia, & nō tot gradus eiuſdem formæ, quin plures. Et ratio eſt, quia Deus poteſt nō tā intēſū accidens Secunda.

cidẽs producere, quin poſſit producere aliud intenſius; ergo in ſubiecto debet dari capacitas, ſaltem obedientialis, vt tale accidẽs recipiat. De quo iam ſupra egimus quæſtione de cauſa materiali accidentium. Si autem comparetur potentia paſſiua, ſeu receptiua cuiuſcumque ſubiecti naturalis ad agens naturale, ſolùm poteſt recipere illa accidentia, quæ agens naturale poteſt producere in tali ſubiecto, & ideo habet terminum magnitudinis internum; paruitatis autem termino caret.

11. Atque ex dictis liquet poſſe orbes cæleſtes agere in hæc inferiora corpora, quia cum ſint agẽtia quædam magnæ molis, habẽt etiam ſphæras ſuæ actiuitatis ſatis amplas: quò enim agens habet ampliorem magnitudinem, cæteris paribus, eò habet magis extenſam ſphæram ſuæ actiuitatis, vt patet in igne paruæ quantitatis, & in igne maximæ magnitudinis, quorum ille minorem habet ſphæram, iſte maiorem. Cũ ergo cælum Empyreum ſit quodam corpus maximè extenſum, non eſt mirum, quòd poſſit agere in iſta corpora ſublunaria; & idem proportione habita, de reliquis orbibus inferioribus.

Quomodo cæli operentur in tantam diſtantiam.

12. Scire tamen volet curioſus aliquis quantum ſit ſpatium, per quod cælum Empyreum diffundit ſuas influentias, ſeu per quot leucas diſtet cælum Empyreum ab externa ſuperficie terræ, in qua verſamur? Verùm de hoc non conſtat adhuc inter Mathematicos. Illud tamen in confeſſo eſt apud omnes, vt dicant ſi in prima mundi creatione dimitteretur lapis ingentis magnitudinis á concaua ſuperficie Empyrei, & deſcẽderet cum maxima velocitate vſque in hodiernã diẽ, adhuc tamen nõ perueniſſe ad terrã, quãuis á prima mundi creatione vſque ad præſens tempus iam tranſierint ferè ſex millia annorum. Hoc tamen non tollit, quominus influentiæ cælorum breuiſsimo tempore ad nos perueniant, quia agunt præſertim per lucem, quæ cum non habeat contrariũ, in inſtãti multiplicatur per totã ſphæram: reliquæ verò influẽtiæ quãuis habeant contrarium, tamen oriuntur á corpore magnæ molis, & maximæ actiuitatis, vt ſunt corpora cæleſtia.

Diſtantia terræ à cælo Empyreo.

Qua ex cauſa motus corporum ſublunarium ſint inæquales.

CAP. II.

13 HOc eſt ſecundum dubium, quod reſtat in hac materia: videmus enim in motibus rerum ſublunarium maximam inæqualitatem, quam non experimur in motibus cæleſtibus. Nam ea, quæ à proiectoribus mouentur in principio motus, vel potiùs iuxta principiũ, celeriùs mouentur. Animalia autem, quæ mouentur à ſe ipſis, in medio motus celeriùs feruntur, vt patet in curſu equorũ. Corpora autẽ grauia, & leuia quando per motum in pro-

Diuerſitas motuum.

 pria

pria loca tendunt, quò magis proprijs locis appropinquant, eò celeriùs mouētur, vt patet experimento, & tradit Ariſtoteles hoc loco:

Ratio diuerſitatis.

14. Ratio igitur huius inæqualitatis eſt, quia illa, quæ externa vi mouentur motu contra naturam in principio habent maiorem impulſum impreſſum à proiectore, poſtea verò paulatim deficit, donec tandē nòn poſsit vincere reſiſtentiam rei proiectæ, & aeris, v.g. vel alterius medij, per quod proijcitur. Animalia autē ideo in medio curſu celeriùs mouentur, quia motus progreſsiuus exercetur ope ſpirituum, quorum tanta copia non cōmunicatur à corde ad muſculos, & ad neruos in principio motus antequā mēbra incaleſcant; poſtquā verò mēbra incaleſcunt aſsidua agitatione, communicatur maior copia ſpirituum neruis, & muſculis, per quos redduntur fortiores ad motum. Quia tamen iſti ſpiritus per poros, qui calore laxantur, exeūt, & conſumuntur, ideo motus animantium in fine eſt remiſsior.

Variæ rationes de motu grauium, & leuium.

15. De motu verò grauium, & leuium, cur ſcilicet maiori impetu ferantur in fine motus, quàm ad initium, variæ afferuntur rationes. Quidam enim dicunt ideo id fieri, quia tunc corpora media ſunt minora, & ideo minus reſiſtunt. Alij confugiunt ad ſympathiam, quam habet locus cum re mobili, & è contra. Alij alias rationes reddunt, quæ tamen nō ſatisfaciunt. Ideo dicendum eſt rationē eſſe, quia grauitas, & leuitas taliū corporum eò maiorē imprimunt impulſum rei graui, aut leui, quò magis illa proprio loco appropinquant, idque naturali quadam emanatione. Nulla enim alia veriſimilior cauſa apparet; poteſt etiam ad hoc maximè iuuare corpus medium, per quod fertur illud graue, aut leue, quod vt reſartiat ſuam diuiſionē, etiam iuuat ipſam grauitatem, aut leuitatem; iuuat etiam ne tam citò corrumpatur impulſus ſemel productus in corpore leui, aut graui.

Ratio veri ſimilior.

An lux faciat calorē.

16. Tertium dubium eſt, vtrùm lux efficiat calorem? Reſpondetur affirmatiuè, nam lux ſuapte natura eſt cauſa caloris effectiua æquiuoca, in ea opinione, quæ aſſerit vnum accidens poſſe efficere aliud accidens tamquā cauſam principalē. Et patet experimento, videm⁹ enim luce Solis omnia corpora ſublunaria calefieri. Imò idem cernere eſt in Luna, quæ in vno menſe ratione maioris, vel minoris caloris, quem producit mediante maiori, vel minori luce dicitur efficere æſtatem, quando eſt in plenilunio, noctes tunc cæteris paribus ſunt calidiores; quādo autē eſt in nouilunio, dicitur efficere hyemem. Quādo autē eſt veluti in medio, efficit Ver, & Autumnum.

Annus lunaris.

Motus an cauſa caloris?

17. Quartum dubiū eſt, vtrùm motus ſit cauſa caloris? Reſpōdetur primò motum localem nō eſſe formaliter calefactionem; eſſet tamen aliquo modo cauſa caloris, quatenus diſtrahēdo priùs, & attenuando partes alicuius corporis, inducit in tale corpus raritatem, quam raritatem ſequi-

tur

tur calor, vt comes indiuiduus. Atque hinc prouenit, vt corpora quò ſolidiora ſunt cæteris paribus per ſuum motum celeriùs efficiant calorem, quia ſcilicet inter illa duo corpora, quæ mouētur ſtrictiùs, intercipitur aer, & celeriùs rareſcit, & atteritur. Vnde ex chalybe, & ex ſilice elicitur ignis celeriùs quàm ex chalybe, & ex lapide minus ſolido.

Ex attritu corporum cur generetur ignis.

18. Quamuis aliquando reperiantur alij lapides, imò & ligna, ex quorum attritu faciliùs generatur ignis, verbi gratia, attritu hederæ, & lauri, ita vt laurus terat, hedera teratur: quia habent naturalem aliquam proportionem cum calore, & cum igne. Idem etiam ferunt aliqui de oſsibus Leonis, dicunt enim ſi inter ſe atterantur, generare ignem. Probatur etiam noſtra concluſio, quia ſæpè accidit, vt globi plumbei è tormentis exploſi, & per aerem delati ita incaleſcant, vt liquefiāt; ſagitta etiam igneſcit aliquando curruum axes, & molæ farinatiæ inardeſcunt. Imò ipſa etiam maria, quæ natura ſua ſunt frigida crebro ventorum agitatu incaleſcunt. Quomodo autem fiat iſte calor, non omnes conueniunt, ſed duodecim ſunt modi dicendi hac in re; probabilior tamen ille, quem aſsignauimus.

DE MVNDO ELEMENTARI.

QVÆSTIO VI.

De Elementis in communi.

CAPVT I.

1. EXplicatis ijs, quæ ad cæleſtia corpora attinebant, explicanda ſunt ea, quę ſpectant ad elementa. Nomen verò *Elementum* eſt maximè æquiuocū, & ſumitur primò pro primis cuiuſque rei principijs. In quo ſenſu litteræ dicuntur prima principia, & prima elementa, primaque præcepta Grāmaticæ; & primæ demonſtrationes in Mathematica dicuntur elementa. Secundò ſumitur elementum pro quatuor vulgatis, terra ſcilicet, aqua, aere, & igne. Definitur autem *Elementum eſt corpus ſimplex, in quod reliqua reſoluuntur.*

Elementi acceptio varia.

2. De materia autem, & forma elemētorum dubitatur quid ſint? De materia non eſt dubium eſſe ſublunarem, & eiuſdem ſpeciei cum materia rerum ſublunarium. De formis elementorum dixerūt aliqui eſſe quatuor primas qualitates; qui tamen ex eo refelluntur, quia elementa ſunt compoſita quædā naturalia ſubſtantialia;

Forma & materia elementorum.

ſed non poteſt dari compoſitũ naturale ſine forma ſubſtantiali, primæ autem quatuor qualitates ſunt formæ accidẽrales; ergo formæ elementorum ſunt ſubſtãtiæ, & non qualitates. Vnde aſſerendum eſt quoduis elementorũ habere ſuam propriam formam ſubſtantialem diſtinctam à forma alterius elementi, vt oſtendunt diuerſæ proprietates, quas vendicant ſingula elementa in ſuo ſtatu naturali conſtituta. Nam cuilibet elemento conueniunt duæ qualitates ex quatuor vulgatis, vna ſcilicet in gradu intenſo, altera in excellenti; nam igni conuenit calor in ſummo, & ſiccitas in excellenti. Aëri conuenit humiditas in ſummo, & calor in excellenri: Aquæ frigus in ſummo, & humiditas in excellenti. Terræ ſiccitas in ſummo, & frigus in excellenti; Ita vt vnumquodque elementum ſymbolizet cum alio ſibi vicino in aliqua qualitate, & illa qualitas, in qua conueniunt, dicitur qualitas ſymbolica, illa autem in qua diſcrepant, dicitur qualitas aſymbolica.

Qualitates ſingulorum elementorum.

3. Aduertendum tamen eſt illã qualitatem, quæ in quouis elemẽto datur in gradu excellenti, habere in eodem elemento contrariam qualitatem in gradu remiſſo, verbi gratia, terra habet frigiditatem in excellenti, nempe in gradu vt ſex, habet igitur calorẽ vt duo, & ſic de reliquis elementis, vt probabilior tenet ſententia, quia larirudo contrariarum qualirarum ſemper expletur in ſubiecto, & quantum deficit vni ad octo gradus, tantum datur de contraria. Petes, vtrùm frigus illud, quod eſt in terra, & illud, quod eſt in aqua, ſint eiuſdem ſpeciei? Et idem quæri poteſt de alijs qualitatibus ſymbolicis duorum elementorum. Reſpondetur affirmatiuè, nullum enim eſt principiũ vnde colligatur differre ſpeciẽ; deinde, quia vna intendit alteram, quod fieri non poſſet ſi eſſent diuerſæ ſpeciei.

Tertia qualitas datur in quouis elemento remiſſa.

Qualitates ſymbolicæ ſunt eiuſdẽ ſpeciei.

4. Petes ſecundò, vtrùm vnum elementum poſſit ex alio generari? Reſpondetur rectè poſſe partem vnius elementi tranſire in partem alterius elementi, v.g. aër, agendo in terræ partem, vel in partem aquæ, vel ignis, poteſt illã in ſe conuertere, & inducere in materiam diſpoſitiones neceſſarias ad propriam formam aeris, & ſic de alijs elementis, numquam tamen vnum elementum conuertet in ſe totum aliud elementum, quia hoc repugnat diſpoſitioni vniuerſi. Negandum tamen non eſt elementa ſymbolica faciliùs in ſe mutuò tranſmutari, quàm elementa aſymbolica, cæteris paribus: quia in iſtis duplex qualitas eſt vincenda, ſeu expellenda, in illis verò vna tantùm. Poteſt etiã vnum elementum agendo in alia duo, producere quoddam tertiũ, verbi gratia, ignis agendo in terram, & aërem poteſt generare aquam priùs, & ex aqua facere poſtea ignem: quòd ſi duo elementa in ſuo ſtatu naturali pugnam ineant, ſemper ex vno generabitur aliud, ſi autem pugnam incipiant, fractis iam viribus, generare poſſunt quoddam tertium.

Elementa ex ſe mutuo generari poſſunt.

5. De numero elementorum

Numerus elementorum.

fuere variæ opiniones: receptiſsima tamen opinio agnoſcit quatuor tãtùm, quem numerum colligit ex numero primarum qualitatum, quæ etiam quatuor numerantur. Secũdò probatur ex multitudine lationum ſimpliciũ, quarum duæ tendunt ad locum inferum, duæ ad ſupremum. Qualitates verò, quæ iuuant ad hos motus, vel eſt grauitas ſumma, & leuitas ſumma, vel eſt grauitas ex parte, vel leuitas ex parte, & ita fit numerus quaternarius in elementis, quia vnaquæque latio, & vnaquæque qualitas cõuenit ſuo elemẽto. Summa enim leuitas cõuenit igni, ſumma grauitas terræ, leuitas ex parte conuenit aeri, grauitas ex parte congruit aquæ.

Præter noſtratem ignẽ datur elementaris ſupra aerem.

6. Vnde non ſunt audiendi illi veteres Philoſophi, qui nullum alium ignem agnoſcebant, niſi illũ, quem apud nos videbant. Et probabant, quia ſi ſupra aerem eſſet ignis, cum ſit ſummè actiuus, iam totum aerem in ſe conuertiſſet, & totum orbem deuoraſſet. Reſpõdetur tamen hanc ignis voracitatem detineri à pluribus cauſis, & præcipuè à Luna, & Saturno, per innatam virtutem, quam habent ad compeſcendum ignem, detinetur etiam ab aere, qui eſt maximè humidus, & aliquantulum frigidus; ideoque reagit in ignẽ: & ex igne ſuum compenſat detrimentum.

7. Dicendum igitur eſt dari elementum ignis prope Lunæ globum, & ſupra aerem, vt in proprio loco. Et probatur, quia ſummus calor debetur alicui elemento: ſed non apparet aliud; ergo datur in igne. Deinde ſumma leuitas conſtituit corpus ſupra reliqua corpora corruptibilia, ſed in igne datur ſumma leuitas; ergo ignis in mundo elementari tenet ſupremum locum, in quo propter ſuã magnitudinem facilè ſe tuetur, neque ibi eget paſtu, vt apud nos.

Ordo dignitatis.

8. Inter iſta quatuor elementa ignis eſt nobilior cæteris, vt patet ex digniori loco, quem ſibi vendicat ex maiori actiuitate, & ex præcipua qualitate, quæ illi conuenit in ſummo; calor enim cæteris primis qualitatibus antecellit. Negandum tamen non eſt reliqua elementa, præſertim terram, & aquam eſſe omnibus magis commoda, vt oſtendunt diuerſæ vtilitates, quas ex ipſis elementis percipimus.

De Figura Elementorum.

CAPVT II.

Sunt figuræ rotundæ.

9. Communis ſentẽtia eſt omnia elementa rorũdam figuram habere, nam cum totum vniuerſum globoſum ſit, etiam illius partes præcipuæ eamdem figurã ſortiri debuerũt ſuo modo. Quòd autem terra ſit rotundæ figuræ probant Mathematici ex eo quòd ſtellæ priùs oriantur ijs, qui ad Orientem incolunt, quàm ijs, qui ad Occaſum. Idem ſecundò probant ex Solis, & Lunæ deliquijs; quando enim Sol, aut Luna eclypſatur, non apparet eclypſis omnibus, qui terram incolunt eodem tempore, ſed in diuerſis,

Probatur rotunditas elementorum & terræ præſerti.

pro locorum diſtantia.

10. Quòd autem terra etiam ſit rotunda à Septentrione in Auſtrum patet, quia nobis, qui habitamus ſphęram obliquam, ſemper apparent ſtellæ, quæ ſunt in polo Arctico, & occultantur illæ, quæ ſunt ad polum Auſtralem, ſeu Antarcticum; ſi autem quis incipiat moueri à Septentrione in Auſtrũ, incipiunt ei occultari ſtellæ polares Septentrionales, & apparẽt ei ſtellæ, quæ manent ad polum Antarcticum: ſed hoc non poteſt ſtare, ſi terra eſſet plana; ergo eſt rotunda. Idem etiam probatur ex ea vmbra terræ, per quam Luna eclypſatur, quæ rotunda eſt, & circularis.

11. Quòd verò etiam aqua ſit globoſæ figuræ probatur iiſdẽ rationibus cum proportione applicatis. Deinde patet in aquæ guttis, quæ vbiprimùm occaſio ſeſe dat, ſtatim in globum efformantur: imò etiam in poculis repletis in medio magis tument. Idẽ etiã probant Aſtronomi, quia ſi in littore ponatur quoddam ſignum, verbi gratia, turris, & nauis aliqua cum vectoribus recedat á littore, deuenier ad certam diſtantiam, in qua illi, qui ſunt iuxta pedem mali, remotis omnibus aliis impedimentis, non videãt ſignum poſitum in littore, illi autem, qui fuerint in ſummitate mali, adhuc videbunt totum ſignum, verbi gratia, turrim. Cauſa verò eſt, quia illi, qui ſunt ad pedem mali propter tumorem aquæ non poſſunt recipere ſpecies; illi autem, qui ſunt in loco altiori, adhuc recipiunt ſpecies, quia adhuc non impeditur eatum tranſitus. Si tamẽ nauis ampliùs recedat, nulli videbunt.

12. De figura ignis dicendum eſt ex parte ſuperiori eſſe ſphæricam, quia tangit concauum cæli Lunæ, ex parte autem qua aërem tangit, probabilius eſt non eſſe figuræ rotundæ, quia ſub Zona torrida eſt maior ignis, & minus aeris, ad partes verò polares generatur plus aeris propter nimiã diſtantiam Solis, & tarditatẽ motus, & ideo ibi minus datur de igne. Aer tamen ex parte qua terram, & aquam attingit, videtur rotundæ figuræ, præſertim ſi aqua eſſet in ſuo naturali ſtatu. *Figura ignis.*

13. Dubium tamen eſt, vtrùm ex aqua, & terra fiat vnus globus, qui habeat idem centrum, an terra, & aqua efficiant duos globos? Hoc poſterius affirmant aliqui, & ideo aſſerunt globum aquæ habere vnum centrum diuerſum à centro terræ. Alij dicunt centrũ terræ non eſſe idem atque centrum mundi. Probabilius tamen eſt ex aqua, & terra fieri vnũ tantùm globum, qui habeat pro ſuo centro cẽtrum totius vniuerſi. Et probatur, quia terra, & aqua ſunt elementa, & corpora grauia: ſed omnia grauia tendunt ad centrũ mũdi; ergo tam terra, quàm aqua habent pro ſuo centro centrum vniuerſi. *Ex terra, & aqua an fiat vnus tantùm globus?*

14. Vnde etiam dicendum eſt, tam ſuperficiem conuexam terræ habitabilis, quàm ſuperficiem conuexam aquæ æqualiter diſtare à centro terræ, & mundi, neque terram habitabilem eſſe aquis ſuperiorem: ſed ſuperficies extrema *Superficies terræ, & aquæ ſunt æquales.*

terræ habitabilis continuatur cũ ſuperficie aquæ. Probatur verò hoc aliquibus demonſtrationibus mathematicis; nunc ſufficiat experimentum ductum ab vmbra terræ, & maris, quando Luna eclipſatur, nã tunc ex terra, & mari fit vna tantùm vmbra circularis, & rotunda; ergo neceſſe eſt, vt terra, & aqua vnum conficiant globum. Idem etiam probatur quodam experimento; nam illi, qui in vaſto mari ſunt, nihil ibi cernunt præter cælum, & pontum, quando autem ad littora accedunt, incipiunt videre montiũ cacumina, & vrbes quaſi ex aqua emergentes; ſi autem terra eſſet altior aqua, non ita eueniret; ergo, &c. Quamuis autem ex terra, & aqua vnus fiat globus, hic non eſt perfectè, & geometricè ſphæricus propter montium altitudines, quorum cacumina longiùs diſtant à centro, quàm plana terræ ſuperficies, & quàm profũdæ valles; verùm hæc diſtantia in tanta longitudine pro nihilo reputatur.

De centro magnitudinis, & grauitatis.

15. Dubitatur tamen vlteriùs, vtrùm iſte globus, qui conficitur ex terra, & aqua, habeat idem cẽtrum magnitudinis, & idem centrum grauitatis, ſeu vtrùm illud idem centrum, quod eſt centrum magnitudinis, ſit etiam centrum grauitatis? Ad cuius rei explicationem declarare priùs oportet, quid ſit centrum vniuerſi, centrũ magnitudinis, & centrum grauitatis. Centrum vniuerſi *Eſt punctũ quoddam, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam primi mobilis ſunt æquales.* Centrum magnitudinis alicuius globi; *Eſt punctum, à quo omnes lineæ ductæ ad circumferentiam eiuſdem globi ſunt æquales.* Centrum grauitatis *Eſt punctus medius lineæ rectæ diuidentis corpus aliquod in partes æquè graues.* Vnde poteſt contingere vt globus aliquis habeat vnum punctum pro centro magnitudinis, & aliud diuerſum pro centro grauitatis, ſi illius partes non ſint æquè graues, verbi gratia, ſi detur globus ex parte ligneus, & ex parte plumbeus, habebit centrum ſuæ magnitudinis in medio, non tamen ita centrum grauitatis.

Centrum vniuerſi quid.

Centrum magnitudinis.

Grauitatis.

16. Dubium igitur eſt, vtrùm ſuppoſito quòd ex terra, & aqua conficiatur vnus globus, qui habet idem centrum magnitudinis cum toto vniuerſo, vtrùm etiam idem centrum magnitudinis ſit centrum grauitatis? Reſpondetur centrum mundi, centrum magnitudinis terræ, & aquæ, ac centrũ grauitatis eſſe vnum, & idem. Ratio eſt, quia terra eſt ſummè grauis, ac proinde naturaliter ad ima defertur, neque quieſcit, donec ad ima perueniat: ſed terra quieſcit; ergo occupat infimum locũ vniuerſi: ſed infimus locus eſt cẽtrum vniuerſi; ergo centrum vniuerſi eſt centrum terræ, tam magnitudinis, quã grauitatis. Quod tamen moraliter, & vulgari modo intelligendum eſt; ſi enim rem velimus in rigore geometrico expendere, aliter fortaſſe dicendũ eſſet, propter terræ altitudines, & depreſsiones aliquibus in locis; & eadem ratio proportione habita eſt de aqua, quæ cum terra efficit vnum globum, & habet

Reſolutio dubij.

partes

partes æqualiter graues inter ſe.

17. Atque ex dictis colliges ex quatuor elementis duo eſſe grauia, nempe terram, & aquam, & duo leuia, ſcilicet aerem, & ignẽ; ideo illa priora tenere inferiorem locum, hæc verò ſuperiorem. Eſt tamen dubium, an elementa leuia, & in ſuo loco naturali actualiter leuitent, & vtrùm elementa grauia grauitent actualiter in ſuo? Reſpondetur cum communi ſententia nullum elementum in ſuo naturali loco leuitare actualiter, aut grauitare, dummodo illud, quod eſt grauius, ſit in inferiori loco, & illud, quod non eſt tam graue, ſit in altiori, & dummodo illud, quod eſt ſummè leue, ſit in ſuperiori loco, illud verò, quod nõ eſt ita leue, ſit in ſuo loco inferiori, ſeu dummodo vnumquodque elementum ſit in loco ſibi naturaliter proportionato: nam corpora grauia ſupra minus grauia, aut ſupra leuia vbicumque ſint ſemper grauitant. Similiterque leuia infra minus leuia, aut infra grauia leuitant, vt docet ipſa experientia.

Elementa duo grauia duo leuia.

An grauitent, & leuitent in proprijs locis.

De magnitudine Terræ, & illius partibus.

CAPVT III.

18. Magnitudo terræ vel poteſt conſiderari in ſe ipſa, vel poteſt cõparari cum reliquis elementis. Tertiò poteſt comparari cum planetis, & ſtellis fixis. Quartò cum ſingulis orbibus cæleſtibus, ac tandem cum primo mobili. Per has omnes comparationes inquiremus terræ magnitudinem quoad fieri poterit.

Terræ cõparatio multiplex.

19. Terra igitur in ſe ipſa poteſt conſiderari primò quoad ſuũ ambitum, *Qui eſt linea quadã imaginaria, quæ circuit totam terram circumcirca*. Vel poteſt conſiderari quoad ſuam craſsitiem, ſeu profunditatem, ſeu quoad ſuum diametrum. Eſt autem diameter terræ *Linea ducta ab hac extrema ſuperficie terræ, per centrum ipſius terræ vſque ad aliam extremam ſuperficiẽ, quæ eſt apud noſtros Antipodas.* Vt autem res fiat clarior Luſitanis, ad quos præcipuè ſcribimus, metiemur terræ magnitudinẽ per leucas Luſitanas, quarum vnaquæque continet tria milliaria cum dimidio. Et hinc poterunt etiam reliquæ nationes proportionem ſumere, vt metiantur terræ magnitudinem iuxta ſuas leucas cu iuſque proprias.

Ambitus quid.

Diameter quid.

Leuca Luſitana.

20. Quòd autem leuca Luſitana contineat tria milliaria cum dimidio, inde euidẽter probatur, quia omnes Luſitani communiter dicunt cuilibet gradui Æquatoris, vel alterius circuli maximi in cælo reſpondere in alio circulo terræ ſeptemdecim leucas cũ dimidia. Deinde ex receptiſsima Mathematicorum opinione, cuilibet gradui æquatoris verbi gratia, reſpondent in terra ſexaginta milliaria, quæ ſi diuidantur in partes ſeptẽdecim cum dimidia reſpondebunt cuilibet parti tria milliaria cum dimidio; ergo leuca Luſitana habet tria milliaria, & dimidium, parum, minuſuè.

Hoc

Quilibet circulus maximus in cælo in quot partes diuidatur.

21. Hoc igitur ſuppoſito ramquam certo cum circulus æquatoris, vel quilibet alius circulus maximus in cælo diuidatur in trecentos ſexaginta gradus, ſeu partes æquales 360. & quilibet ex his gradibus habeat in terra ſibi reſpondentes ſeptemdecim leucas cum dimidia, fit vt totus ambitus illius globi, qui conficitur ex terra, & aqua, contineat leucas noſtras Luſitanas ſex mille trecẽtas. *Seis mil & trezentas.*

Ambitus terræ.

Diameter.

22. Iuxta eamdem computationem diameter huius globi cõtinet quatuor leucas ſupra duo mille. *Duas mil, & quatro legoas.* Semidiameter continet duas ſupra mille.

Semidiameter.

23. Quòd ſi globus ille per medium ſecaretur à Septentrione in Auſtrum in duas dimidietates, ſuperficies illa, quæ reſtaret poſt factam ſciſionem in qualibet ex partibus ſectis, (quæ aliter dicitur area terræ) contineret leucarum tres milliones, centum quinquaginta ſex millia trecentas leucas. *Tres milhoẽs de legoas, cento, & cinquenta & ſeis mil, & trezentas legoas.*

Area terræ.

24. Solidum verò totius terræ, & aquæ continet leucarum cubicarum quatuor mille ducentos, & ſexdecim milliones, octoginta & ſexdecim millia, & octingentas leucas. *Quatro mil duzentos, & dezaſeis milhoẽs, oitocentas, & dezaſeis mil, & oitocentas legoas.* Eſt autem leuca cubica *Solidum quoddã, quod in omnes ſex partes extenditur per ſpatium vnius leucæ.*

Solidum terræ.

Leuca cubica quid.

25. Tota autem ſuperficies cõuexa huius globi, ſeu extrema facies terræ, & aquæ continet duodecim milliones ſexcenta viginti quinque millia leucarum ſupra ducentas. *Doze milhoẽs ſeiscentas, & vinte cinco mil, & duzentas legoas.*

Superficies terræ.

26. Atque hæc magnitudo terræ in ſe ipſa prout etiam aquam continet, & ex vtraque fit vnus globus. De comparatione autem huius globi terræ, & aquæ cũ aëre, & igne, nihil certò definiri poteſt, præſertim quoad ambitum; quia cum aër iuxta probabiliorẽ opinionem, ex parte ſuperiori, qua ignem attingit, non habeat figuram ſphæricam, ſed oualem, inde fit vt illius ambitus non poſſit certò menſurari. Et idẽ pro portione ſeruata, dici ſolet de elemento ignis quoad ſuperficiem concauam, qua aërem attingit. Illud tamen certum eſt, à centro terræ vſque ad extremam illius ſuperficiem, dari mille, & duas leucas, & ab extrema ſuperficie terræ vſque ad finem ſecundæ regionis aeris numerari vndecim leucas Luſitanas. Et ab hac regione vſque ad concauum Lunæ cõtineri plus quám quinquaginta millia leucarum; nam à centro terræ vſque ad concauum cæli Lunæ datur diſtantia continens quinquaginta duo millia leucarum, & inſuper centum, & quatuor leucas. *Cinquenta duas mil, & cento, & quatro legoas.*

Terræ magnitudo ad aerem & ignem cõparata.

Diſtantia à centro ad extremã ſuperficiem.

Ab extrema ſuperficie terræ ad ſecundam aeris regionem.

A centro terræ ad concauum Lunæ.

27. Globus ille, qui conficitur ex terra ſimul, & aqua, & ex aere vſque ad vltimam ſuperficiem ſecundæ regionis aereæ continet in circuitu ſex millia leucarum trecentas ſexaginta ſeptem leucas. *Seis mil, & trezentas. & ſeſenta*

Ambitus terræ ſimul cum ſecunda aeris regione.

& ſete

& ſete. Totus verò diameter illius globi continet duo millia leucarum, & inſuper viginti ſex leucas. *Duas mil & vinte & ſeis legoas.*

Diameter.

Magnitudo terræ reſpectu ſtellarũ.

28. De comparatione terræ cũ planetis, & ſtellis fixis ita iudicant Mathematici. Quæuis ſtella primæ magnitudinis eſt maior, quàm tota terra centum, & ſex vicibus. Stella quæuis ſecundæ magnitudinis eſt maior, quàm terra, nonaginta ferè vicibus. Quæuis ſtella tertiæ magnitudinis ſuperat terræ magnitudinem ſeptuaginta, & vna vicibus. Stella quæuis quartæ magnitudinis eſt maior tota terra, quinquaginta quatuor ferè vicibus. Stellæ quintæ magnitudinis ſuperant magnitudinẽ terræ triginta quinque vicibus. Tandem ſextæ magnitudinis ſtella quæuis eſt maior tota terra ſexdecim vicibus.

Reſpectu planetarũ.

29. Inter planetas quidam in magnitudine vincunt magnitudinem terræ, alij ſunt ipſa terra minores; nam totius terræ corpus ſuperat magnitudinem corporis lunaris triginta, & octo vicibus parum minuſuè. Similiter terra ſuperat in magnitudine ſtellam Mercurij viginti vna mille nongentis quinquaginta, & vna vicibus, *Vinte & hũa mil, nouecentas, & cinquenta, & hũa vezes.* Tertiò ſuperat terra in magnitudine ſtellam Veneris triginta ſex vicibus. Ab alijs verò planetis ſuperatur in magnitudine; nam magnitudo Solis ſuperat magnitudinem terræ centum ſexaginta quinque vicibus. Mars ſuperat terræ magnitudinem per dimidietatem. Iupiter eſt maior, quàm terra, nonaginta quinque vicibus fermè. Saturnus verò ſuperat magnitudinẽ terræ nonaginta vicibus.

Reſpectu orbium cæleſtium eſt terra inſtar puncti.

30. De magnitudine terræ cõparatæ ad totam magnitudinem orbium cæleſtium, nihil certum definiunt Mathematici, ſolùmque aſſerunt totam terram comparatam ad complexum Firmamenti, & reliquorum orbium ſuperiorum, quoad noſtrum aſpectum, habere ſe inſtar puncti, ſeu habere quaſi inſenſibilem magnitudinem; nam circulus Firmamẽti ex parte concaui continet leucarum Hiſpanicarum (ſi ſingulæ conſtant tribus milliaribus) centum quinquaginta octo milliones quadringenta octoaginta, & vnũ millia, trecentas, viginti, & vnam leucam. *Cento, & cinquenta & oito milhões de legoas, quatrocentas, & oitenta & hũa mil, trezentas & vinte & hũa legoas.* Ad quarum reſpectum nullius ferè momenti ſunt ſeptem mille ducentæ leucæ Hiſpanicæ, vel ſex mille trecẽtæ Luſitanæ, quas continet ambitus terræ ſimul cum aqua, vt ſupra diximus. Iam verò ſi comparemus terram cum ambitu Firmamenti ex parte ſuperiori, & cum primo mobili, vel cũ cęlo Empyreo, erit ferè nihil.

31. Quod etiam probant Mathematici ex eo, quia in quacumque terræ parte quis conſtituatur, ſemper videt dimidietatem Firmamenti, ac ſi conſtitueretur in centro terræ; ergo illa pars terræ, quæ eſt à centro vſque ad nos, comparatione Firmamenti nullam ferè habet diuiſibilitatem reſpectu ipſius Firmamenti, alio-

qui non poſſemus nos conſtituti in hac extrema ſuperficie videre ſemper dimidietatem cæli; ergo terra reſpectu firmamenti habet ſe veluti punctus. Et hæc eſt, inquit Plinius lib. 2. nat. hiſt. c. 68. materia gloriæ noſtræ, hæc ſedes, hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuatur humanum genus.

Comparatur cum orbe lunæ &c.

32. Si tamen comparetur terræ magnitudo cum orbe Lunæ aliquam habet magnitudinẽ cõparatione illius. Et ratio eſt, quia Luna reſpectu ſui orbis aliquam exhibet magnitudinem, ſed terra eſt multò maior, quàm corpus lunare; ergo etiam reſpectu eiuſdem cæli aliquam exhibet magnitudinem. Et idem proportione ſeruata dicendũ eſt de magnitudine terræ cõparata ad cælũ Veneris, & Mercurij; ſi tamẽ cõparetur cum reliquis orbibus ſuperioribus vſque ad firmamentum, non habet aliquam notabilem magnitudinem, ſed eſt veluti quid indiuiſibile, præſertim comparata ad cælum Iouis, & Saturni.

De diuiſione totius terræ.

CAP. IIII.

Diuiditur in quatuor partes.

33. TOtus terræ orbis diuiſus eſt ab Antiquis in tres partes nimirum in Europã, Aſiã, & Africã. Adiecta eſt tamen à Recentioribus quarta alia pars, quæ America ab eius inuentore Americo dicta eſt; & propter varias regiones, quas cõtinet, etiã nouus orbis appellata eſt.

Quinque Zonæ.

34. Geographi igitur, & Coſmographi quinque latos circulos ſtatuunt, & mẽte cogitãt, qui cælũ, ac terrã cingant veluti faſciæ, quos ideo Zonas vocant. Inter has quinque Zonas illa, quæ eſt media appellatur Zona torrida, quòd in ea perpetuò Sol moueatur, & ſuo calore nimio illã reddat maiori ex parte inhabitabilem, vt credebant antiqui. Duæ extremæ, quarum vna manet ad polũ Arcticum, altera ad polum Antarcticum, ſunt nimiùm frigidæ propter nimiam Solis diſtantiã, & ideo creditæ ſunt ab Antiquis eſſe in terra inhabitabiles maiori ex parte. Duæ aliæ intermediæ, quæ neque multùm ad Solem accedunt, neque multùm ab eo diſtant, dicuntur Zonæ temperatæ; & has tantùm eſſe terram habitabilem credebant Veteres.

Zona torrida etiam habitabilis.

35. Noſtris tamen temporibus compertum eſt etiam ſub Zona torrida degere aliquas nationes, & ipſam pleriſque in locis non ſolùm non torreri æſtu, ſed temperatam eſſe, & frugum, fructuũque copijs affatim abundare. Imò nõ defuere aliqui Theologi, teſte S. Tho. 1. p. q. 102 ar. 2. qui putauerint ſub æquinoctiali circulo eſſe terreſtrẽ paradiſum. Reddere autem rationem huius varietatis in eodem circulo, ſeu Zona, non eſt admodum facile, imo maximè difficile, præſertim quia in eadem Zona quædam pars frigidiſſima eſt, alia calidiſsima, in pleriſque mirificè tẽperata. Item in eo-

In ea datur mira varietas.

dem climate illius naſcuntur homines alibi candido, alibi atro colore, alij intermedio, hìc miti facilique ingenio, alibi efferatis moribus, & nullo cultu humanitatis.

Cauſa huius varietatis.

36. Ad hanc igitur varietatem relictis alijs cauſis, quæ communiter afferri ſolent, iuuant multũ cæleſtes influxus, & certæ quædam ſyderum influentiæ, adiunctis etiam diuerſis qualitatibus eiuſdem Solis, & aeris; quemadmodum calore ceta liqueſcit, & lutum induratur.

Terra habitabilis.

37. Dicimus ergo in omnibus his terræ Zonis terram habitari, vel ſaltem poſſe habitari; nulla enim eſt regio, quæ ob cæli intemperiem non poſſit incoli nam experientia ipſa docuit Zonam torridam eſſe habitabilem, & ſimiliter illas quæ manent extra tropicos Cancri, & Capricornij. Imò etiam ſub polis, præſertim Arctico refert Olaus magnus lib. 1. de partibus Septentrionalibus viuere aliquas nationes; vbi verò eſt maior cæli inclementia, omnia incommoda hominum ibi degentium, arte declinantur.

Antipodæ.

38. Ex dictis etiam colligitur eſſe in terra Antipodas, quamuis id aliqui negauerint. Nam noſtri ſæculi nauigationes planè oſtendunt dari Antipodas; cùm enim omnia grauia ad centrum terræ vergant, & terra ſit rotunda, omnes, qui in ea degunt ruinam nõ verentur, neque in verſo capite gradiuntur, vt putabant contrariæ ſententiæ Auctores.

Clima quid & quotuplex.

39. Tandem petet aliquis quid ſit clima in terra, & quot in illa dentur climata? Reſpondetur ad primum quæſitum, clima abſolutè ſpectatum *Eſſe ſpatium inter duas lineas parallelas interiectum, in quo notabiliter variatur dies æſtiua*; nimirum per ſemihoram. Clima autẽ terræ habitabilis iuxta antiquos eſt certum ſpatium Zonæ temperatæ, & habitabilis, inter cuius principium, & finem procedendo à polo ad æquatorem, vel è contrà ab æquatore ad polum, maximæ diei æſtiuæ, vel noctis hybernæ quantitas per ſemihoram augetur, vel minuitur; ità vt ſi dies æſtiuus in principio illius climatis habet horas quindecim, in fine eiuſdem climatis habeat horas quindecim, & dimidiam.

40. Quod attinet ad ſecundum quæſitum. Climata terræ habitabilis ſub Zonis temperatis, numerantur tantùm ſeptem ab Antiquis. Primum dicitur clima, *dia Meroes*, quia medium illius trãſit per iſtam ciuitatem Ægypti, habetque in fine diem 13. horarum, & quartæ vnius. Secundum clima appellatur clima *dia Syenes.* Tertium dicitur clima *Alexandrias*. Quartum vocari ſolet clima, *dia Rodon*. Et in fine huius climatis, & in principio alterius videtur eſſe Vlyſsipo, habetque hoc clima in fine eleuationẽ poli per 39. gradus, habetque in fine diem æſtiuum 14. horarum, & dimidiæ. Quintum clima eſt clima *dia Romes*, in quo maximus dies eſt quindecim horarum, & quartæ vnius. Sextum clima dicitur clima *dia Boriſthenes*, habet longiſsimum diem, quindecim

horarum,

horarum, & dimidiæ, & quartæ vnius. Septimum clima dicitur *dia Riphaon*, habetque in fine maximum diem horarum ſexdecim, & quartæ vnius.

Climata plura iuxta recentiores:

41. Recẽtiores tamen cùm dicant omnem terram habitari, vel ſaltem eſſe habitabilem conſtituunt climata 23 incipiendo à primo climate antiquorum, & procedendo verſus polum Arcticum, donec inueniant aliquam regionem, in qua maximus dies contineat 24 horas. Vnde fit vt in vna Zona poſsint plura climata contineri. Hæc autem omnia climata longum eſſet recenſere; videri poſſunt apud Clauium in ſphæra capite tertio ad finem, & in tabula quadam peculiari ibidem appoſita.

DOCTRINA
PHILOSOPHICA.
TRACTATVS III.
De rerum naturalium ortu, & interitu.

PROŒMIVM.



1. *Tradita iam doctrina de Cælo, gradū facit Ariſtoteles ad quaſdā præcipuas naſcentium, & intereuntium affectiones explicandas. Vnde primarium huius operis ſubiectū eſt* Corpus generabile, & corruptibile, *ſeu corpus mobile, prout alia etiam communia motuū genera ſubire poteſt, nimirum accretionem, alterationem, nutritionem, & augmētationem, excepto motu locali. Vnde inſcribitur hoc opus,* De Generatione, & Corruptione, *ſumpto nomine à principali actione rerū naſcentium, & intereuntium.*

Subiectum huius tractatus.

DE

DE DISPOSITIONIBVS, QVÆ PRÆCEdunt generationem ſubſtantialem.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Alteratio, & in quo ſubiecto recipiatur?

CAPVT I.

Forma requirit diſpoſitiones.

2. ANtequã forma ſubſtãtialis, per generationẽ introducatur in materiã, requirit aliquas cõditiones, ſeu diſpoſitiones in ipſa materia. Sunt autẽ hæ diſpoſitiones quædam qualitates corporeæ, & præſertim quatuor primæ in tali, vel tali gradu. Cum igitur huiuſmodi diſpoſitiones producantur per motũ, qui vocatur alteratio, ideo hìc primò agimus de alteratione.

Dupliciter ſumitur alteratio.

3. Sumitur ergo alteratio dupliciter. Primò, pro quacũque productione alicuius qualitatis, ſiue talis qualitas habeat contrarium, ſiue non; ſiue ſit ſpiritualis, ſiue corporea; ſiue productio ſit inſtãtanea, ſiue ſucceſsiua. Secundò, ſumitur magis preſsè prout ſignificat mutationẽ tantũ ſucceſsiuã, quæ habet pro termino qualitatẽ ſenſibilẽ, habentẽ contrariũ, vt eſt productio frigoris. Et in hoc ſenſu de illa tractant Philoſophi hoc loco. Definitur verò, ***Alteratio eſt motus ad qualitatem ſenſibilẽ, mediã, vel extremã.*** Vnde etiã in hac definitione cõprehendũtur productiones colorũ, ſiue ſint medij, ſiue extremi. Et reijciũtur productiones qualitatũ, quæ non habẽt cõtrarium, vt eſt productio lucis, vel ſpecierum intentionalium; reijciuntur etiã productiones inſtãtaneæ, cuiuſuis qualitatis. Præcipuè tamen ſumitur alteratio a pud Philoſophos pro primarum qualitatum productione, quia hæ præſertim inſeruiunt ad ſubſtantialẽ generationẽ. Vocatur autem hæc productio primarum qualitatum ***Alteratio***, quia per illam itur ad faciendum alterum compoſitum ſubſtantiale ex eadem materia.

Tertia acceptio.

Eſt motus continuus.

4. Atque ex hac definitione colliges alterationem eſſe motum continuum, non ſolùm ratione ſubiecti in quo extendit qualitatem productam, ſed etiam ratione eiuſdem qualitatis, quã producit replicando partes illius, & intendendo illas in eadem parte ſubiecti; imò etiam ratione ſui. Et ratio eſt, quia de ratione motus eſt quòd ſit continuus, ſed alteratio eſt motus; ergo eſt continua, & non inſtantanea. Vnde non ſunt audiendi qui dicunt alterationẽ fieri per minima, & per quaſdam motulas; ita vt ignis, v. g. in hoc inſtanti producat aliquid minimi caloris, & immediatè poſt nihil producat: ſed in alio inſtanti poſt

Non fit per minima.

primam morulam, & ſic de alijs gradibus. Non ſunt (inquam) audiendi, quia iam in motu daretur primũ mutatũ eſſe, & in qualitate intenſibili daretur qualitas ita minima, vt non poſsit dari minor. Tertiò, quia ſi ignis, verbi gratia, producit minimum caloré in hoc inſtanti, vel immediatè poſt agit vel non; ſi agit, producet calorem, non eſt cur non agat; ergo agit continuo quodam motu.

Eſt nobilior accretione.

5. Colliges ſecundò alterationem eſſe in ſua entitate nobilioré actionem, quàm ſit accretio, nam qualitas eſt terminus nobilior, quã ſit quantitas; ergo etiam illa actio, quæ tendit ad qualitatem, eſt nobilior, quàm, ea quæ habet pro termino ſuo formali quãtitatem.

Eſt præſtãtior latione.

Imò ſi alteratio comparetur cum motu locali ratione termini producti, eſt ipſo nobilior, quia per motum localem, ſeu lationẽ producitur tantùm modus quidam; at verò per alterationem producitur qualitas quædã realis. Hoc tamen non tollit quominus latio ratione ſubiecti poſsit aliquando eſſe nobilior; quia reperitur etiã in ſubiectis ſpiritualibus, alteratio verò minimè.

Subiectum principale alterationis.

6. De ſubiecto alterationis dicendum eſt ſubiectum illius *Vt quod* & principale eſſe totũ compoſitum phyſicum; ſicut etiam reliquorum accidentium materialium.

Subiectum minus principale.

Subiectum verò immediatum illius, & *Vt quo* eſſe quantitatem, qua mediante recipitur alteratio in materia, tamquam in ſubiecto mediato ſubſtantiali; vt de reliquis accidẽtibus corporeis diximus ſupra agentes de materiali cauſa accidentium, & ideo non eſt cur hoc loco repetamus ea, quæ hìc tractati ſolent de ſubiecto accidentium materialium. Poſſe autem vnum accidens materiale diuina virtute conſeruari extra ſubiectum, eſt de fide, vt paret in quantitate ſacræ Euchariſtiæ. Et hoc habet verum in accidentibus realibus, & realiter diſtinctis à ſubſtantia, vel quantitate. Si enim loquamur de modis accidentalibus, dicendum eſt neque etiam diuinitùs poſſe conſeruari ſine rẹ illa, cum qua ſemel ſunt identificati, alioqui diſtinguerenrur ab ea ſimul modaliter, & realiter, quod eſt impoſsibile.

Accidentia modalia nõ poſſunt eſſe extra ſubiectum: realia verò maximè.

7. Dubium tamen eſt, quid accidens debeat acquirere de nouo, aut deperdere ad hoc vt poſsit conſeruari extra omne ſubiectũ? Primò certum eſt accidens non amittere tunc eſſentiam accidentis, & adhuc manere cum reſpectu tranſcendentali ad ſubiectum; in quo reſpectu conſiſtit eſſentia accidentis phyſici. Secundò probabilius eſt non deperdere illam exiſtẽtiam, quam antea habebat, cum hæc vel non diſtinguatur ab eſſentia accidentis, niſi tantùm virtualiter, aut ad ſummum modaliter; deperditur tamen actualis inhærentia, & vnio ad ſubiectum, quam antea accidens habebat, ſi erat priùs in ſubiecto. Totum dubium eſt, vtrùm loco huius inhærentiæ adueniat modus alius realis, per quem accidens reddatur exiſtens independenter á ſubiecto? Affirmant aliqui probabiliter. Alij probabiliùs dicunt accidens, quod exiſtit extra omne ſub-

Ad hoc quid debeat acquirere, vel amittere.

ne ſubiectum, nihil reale de nouo comparare, ſed per ſolum maiorẽ concurſum ſimilem creatiuo cõſeruari á Deo, nihilque reale addi niſi tantùm negationem quãdam dependentiæ à ſubiecto. Ille autẽ maior concurſus terminaretur ad idem eſſe accidẽtis, quod cũ iam non pendeat à ſubiecto, eget maiori concurſu, vt conſeruetur ſine illo.

An poſsit accidens extra ſubiectum operari.

8. Sed poterit accidens ita cõſeruatum extra omne ſubiectum operari? Reſpondetur, ſi accidens corporeum ſit extra quantitatem, nihil prorſus operari, quia ad ſuã operationem requirit contactum phyſicũ, qui non datur ſine quãtitate. Si autem inhæreat quantitati, poterit agere ob contrariam rationem, præſertim ſi ſit accidẽs non vitale; ſi autem fuerit potentia vitalis, non operabitur, quamuis ſit in quantitate. Quòd ſi accidens poſitum extra ſubiectũ ſit quantitas, hæc cum de ſe non ſit actiua, nihil operabitur; poterit tamen reduci ad ſuam naturalem temperiem quatuor qualitatum, non per efficientiam propriam, ſed per efficientiã Dei, qui ibi ſupplet illud, quod erat factura ſubſtãtia aliqua creata, ſi adeſſet. Sicut etiam in eo inſtanti, in quo forma panis, verbi gratia, eſſet corrumpenda, & forma vermis introducenda in materiam panis, datur ibi creatio nouæ materiæ, in quam introducitur forma vermis.

Quomodo diſpoſitiones concurrãt ad introductionem formæ ſubſtantialis.

CAP. II.

Non datur reſolutio vſque ad materiam primam.

9. AD perfectam huius dubij ſolutionem ſupponẽdum eſt in generatione vnius, & corruptione alterius non dari reſolutionem vſque ad materiam primam, ſed manere in materia illa accidentia, quæ poſſunt eſſe communia vtrique formæ ſubſtantiali, nempe abeunti, & aduenienti; manet enim eadem quantitas numero, manet eadem materia; poſſunt etiam manere eædẽ primæ qualitates, ſaltem quoad eſſentiam ſpectatæ, quamuis ex parte augeantur, vel minuantur quoad latitudinem gradualem. Et ratio huius permanentiæ eſt, quia quantitas ſubiectatur immediatè in materia, vt illius proprietas inſeparabilis, in quãtitate verò ſubiectantur immediatè omnia alia accidentia corporea: ſed manet eadem materia; ergo manebit etiam eadem quantitas, quæ antea erat, & manebunt etiam accidentia, quæ poſſunt eſſe communia formæ præcedenti, & ſubſequenti, quamuis augeantur, vel minuantur in gradu: ſiquidem illæ diſpoſitiones, quæ in certo gradu non compatiuntur ſecum formam viuentis, ſunt in eodẽ gradu aptæ ad formam cadaueris, aut è contra. Ratio.

10. Deinde probatur hæc eadem ſententia, quia diſpoſitiones antecedentes introductionẽ formæ ſubſtantialis ſubſequẽtis diſponebant materiam ad talem formam; ergo ſi iſtæ diſpoſitiones pereunt ante aduentum formæ,

iam forma ſequens introducetur in materiam non diſpoſitam, ſeu in materiam indifferentẽ ad quã-libet formam. Deinde, quia in eo inſtanti generationis non eſt aliqua cauſa, à qua corrumpantur accidentia, quæ præiacebant in materia, neque eſt aliqua cauſa, quæ producat alia accidentia de nouo; ergo illa, quæ antea diſponebant materiam ad formã ſubſequentem, manent; nimirum quando ignis, verbi gratia, inducendo nimium calorem, & ſiccitatem in lignum, expellit formã ligni, & inducit formam cadaueris, ac tandem formam ignis: quis audebit affirmare, producere ſẽper duos calores numero diuerſos, & non potiùs eumdem cum maiori, vel minori intenſione, qui calor in tali intenſione non patitur ſecum formam ligni, patitur tamen formam cadaueris: ſi autẽ plus intendatur, iam non compatitur ſecum formam cadaueris, ſed formam ignis in eadem materia, & in eadem quantitate. Et ſic de alijs ſimilibus qualitatibus, quæ propter maiorem, vel minorem intenſionem iuuant ad hanc potiùs formam conſeruandam, vel introducendam in materiam, quàm ad alias.

Concurſus diſpoſitionum antecedentium qualis.

11. Hac igitur opinione ſuppoſita vt probabiliori, quæritur quomodo diſpoſitiones antecedentes concurrant ad introductionem formæ ſubſtãtialis in materiam? Reſponderi facilè poteſt accidentia, & qualitates primas, quatenus ſunt inſtrumenta generantis, concurrere efficienter ad productionem formæ ſubſtantialis in materia, vel ſaltem ad illius vnionem: quatenus verò ſunt diſpoſitiones materiæ, vt recipiat formam, dici poſſunt concurrere materialiter, & diſpoſitiuè, tam ad introductionem formæ, quàm ad illius conſeruationem in materia, quatenus determinant, & quaſi limitant ipſam materiam ad talẽ formam recipiendam, potius quã aliam: & communiter determinant ipſum agens ad talem formã producendam. Vnde aliqui dicũt etiam iſtas diſpoſitiones concurrere in genere cauſæ formalis.

Concurſus diſpoſitionum, admiſſa reſolutione vſque ad materiã primam, qualis.

12. In alia verò opinione, quæ admittit reſolutionem vſque ad materiam primã in generatione vnius, & corruptione alterius, quę etiam eſt probabilis, cernitur maior difficultas in explicando modo, quo antecedentes diſpoſitiones concurrant ad introductionẽ formæ ſubſtantialis, quæ cum iam non exiſtant in eo inſtanti in quo forma introducitur, non poſſunt concurrere effectiuè, neque etiã materialiter, aut diſpoſitiuè. Aliqui reſpondent ad vtrumque cõcurſum ſatis eſſe quod immediatè antea extiterint. Hæc tamen reſponſio non ſatisfacit, quia inſtrumentum alicuius cauſæ principalis neceſſariò debet exiſtere quando operatur, vt patet inductione; nam illud, quod actualiter non exiſtit, perinde ſe habet ad operandum, & ad operationem, ac ſi numquam extitiſſet, præſertim quando operatur vt inſtrumentum ſeparatum, ſed ita ſe habent diſpoſitiones antecedentes: ergo non poſſunt concurrere effectiuè. Ad ſummum igitur poſ-

ſunt dici concurrere diſpoſitiuè, quatenus ſcilicet relegarũt à materia alias qualitates, quæ poſſent impedire introductionem formæ ſubſequentis; quibus expulſis, ſtatim agens producit ſuam formã ſubſtantialem cum omnibus diſpoſitionibus, quia non inuenit contrarium in materia.

Duo genera diſpoſitionum.

13. In hac verò opinione admittuntur duo genera diſpoſitionum: quædam ſunt antecedẽtes formam; de quibus proximè. Aliæ ſunt comitantes ipſam formam, & quæ iuuant ad conſeruationẽ illius in materia, & ad primã productionem in genero cauſæ diſpoſitiuæ, quatenus ſe habent ex parte materiæ, & in hoc genere poſſunt dici priores natura, quàm ipſa forma, quatenus ſcilicet reddunt aptam materiam, vt copuletur formæ. Quamuis in genere cauſæ efficientis ſint effectus ipſius formæ, & illa poſteriores, quia effectiuè ab illa manant in eodẽ inſtanti, in quo totum compoſitum generatur. Diſpoſitiones autem, quæ antecedunt generationem ſubſtantialem, pereunt ante inſtans generationis; & primum eſſe rei genitæ eſt primum non eſſe diſpoſitionum antecedentiũ. Et ideo diximus difficile eſſe admittere aliquem concurſum actiuum ex parte talium diſpoſitionum reſpectu formæ ſubſequentis. Ideo etiam diximus opinionẽ, quæ non admittit reſolutionem vſque ad materiam primam, eſſe probabiliorem, quia nullo ferè negotio vitat omnes iſtas difficultates; quas alia opinio non benè ſoluit.

In quibus conueniat, & differat Alteratio à generatione ſubſtantiali?

CAP. III.

14. Conueniũt primò, quia vtraque eſt realis actio, & habet terminũ realẽ. Secundò, quia vtraque fieri poteſt, vel ſaltem attribui generanti. Vnde etiam apud Ariſtotelem aliquãdo nomine generationis intelligitur alteratio, per quam ſubiectum diſponitur ad formã ſubſtantialem. Tertiò, quia vtraque habet pro ſubiecto adæquato totum phyſicum. Plures conuenientiæ.

15. Differunt tamen in multis. Primò, quia alteratio procedit à termino, á quo poſitiuo, id eſt, ab vna qualitate contraria in ſubiecto ad aliam contrariam qualitatẽ; generatio verò procedit à priuatione formæ ſubſtantialis in materia ad ipſam formam. Secundò, quia terminus formalis ad quem tendit alteratio, eſt qualitas; terminus verò generationis ſubſtantialis eſt forma ſubſtantialis, vel ſaltem vnio illius. Tertiò, quia alteratio eſt ſucceſſiua, generatio verò inſtantanea. Quartò, quia ad omnem generationem antecedit alteratio diſponens materiam, non tamen opus eſt vt omnem alterationem præcedat generatio, potuit enim ſaltem diuinitùs conſeruari materia ſine omni forma, & poſtea in illa materia poteſt fieri generatio. Quintò, quia In quibus differant.

tò, quia alteratio recipitur in materia, prout eſt ſub actu formæ, generatio autē præſupponit materiam priuatam forma, & ideo dicitur fieri nullo ſenſibili ſubiecto permanente, & recipi in nudam materiam; vt magis patebit ex dicendis.

DE GENERATIONE ſubſtantiali.

QVÆSTIO II.

Vtrùm detur generatio ſubſtantialis, & quid ſit?

CAPVT I.

1. VEtus philoſophia tollebat de medio generationes ſubſtantiales, dum ſolam materiam in rebus naturalibus admittebat. Neceſſariò tamen ſunt admittendæ cum Peripatetica doctrina generationes ſubſtantiales, quia id oſtendunt variæ transmutationes ſubſtantiales, quas experimur in vna, & eadem materia, tamquam in cōmuni ſubiecto omnium formarū ſubſtantialium; videmus enim ex terra fieri arborem, ex ligno fieri ignem, ex homine cadauer. Secūdò, quia in compoſitis naturalibus, præter materiam primam, neceſſariò ſunt admittendæ formæ ſubſtantiales, quæ educantur de potentia materiæ, ſeu quæ fiāt ex materia, tamquam ex præſuppoſito ſubiecto. Tertiò, quia ad hoc inſtitutæ fuerunt quatuor primæ qualitates, nempe vt diſponerent materiam ad nouam formam ſubſtantialem. Tandem, quia ſi non darentur ſubſtantiales generationes, omnia compoſita corruptibilia breuiſsimo tempore interirent, nec poſſent conſeruari ſpecies talium rerum; ergo re vera dantur tales generationes.

Generationes ſubſtātiales admittendæ ſunt.

2. Generatio igitur ſubſtantialis communiter accepta pro actione productiua alicuius formæ ſubſtantialis in materia, definitur. *Generatio eſt mutatio à priuatione formæ ſubſtantialis ad ipſam formam ſubſtantialem in materia. Mutatio* ponitur loco generis, indicatque in generatione manere ſubiectū, ſeu materiam, quæ antea præiacebat, in qua exerceatur mutatio ab vna forma ad aliam; nihil enim mutari dicitur, niſi quando ex vno ſtatu tranſit ad alium. Vnde ſubſtantia panis in Euchariſtia, non dicitur mutari, ſed anihilari, quia nō perſeuerat in exiſtentia. Similiter illa transſubſtantiatio, quæ fit in Euchariſtia, non dicitur mutatio; creatio etiam propriè nō eſt mutatio. Per reliquas particulas definitionis excluduntur generationes accidentales, & indicantur tria principia phyſica, quæ con-

Definitio generationis cōmuniter acceptæ.

currunt ad generationem entis naturalis, de quibus diximus tractatu primo quæſt. 1. cap. 3.

Quædam corollaria.

3. Atque hinc colligitur, quando res aliqua generatur, fieri mutationem in materia prima, quæ exuendo vnam formam ſubſtantialem induit aliam. Et quamuis totalis terminus generationis ſit totum, quod dicitur genitum, tamen formalis, & immediatus terminus, per quem definitur generatio eſt forma, vel ſaltem vnio illius ad materiam. Colligitur ſecundò generationem ſubſtantialem conſiſtere propriè, & formaliter in ea actione, per quã forma ſubſtantialis materialis ſimùl producitur, & vnitur materiæ. Si autem generatio fuerit humana, cõſiſtet in ea actione, per quam forma rationalis á Deo creata vnitur materiæ. Colligitur tertiò, totum, non habere peculiarem actionem diſtinctam, per quã generetur, ab ea per quam forma producitur, & vnitur; totum enim phyſicum non eſt entitas à parte rei diſtincta à ſuis partibus vnitis. Colligitur quartò, ſi daretur actio, per quam produceretur tantùm forma materialis, & non vniretur materiæ, talem actionem non fore generationem hìc definitam. Colligitur quintò, generationem ſubſtantialem, prout eſt actio diuerſa ab alteratione, eſſe actionẽ momentaneam, quia ſubſtantiæ quæ generantur, incipiunt per primum ſui eſſe; ſed, quæ ita incipiunt fiunt in inſtanti; ergo generatio ſubſtantialis eſt actio inſtantanea.

Generatio ſubſtantialis eſt actio inſtantanea.

4. Hinc etiam reijcitur opinio eorum, qui nullam admittebant generationem ſubſtantialem, quæ ſit vera actio, diſtincta ab alteratione, per quam materia diſponitur: aſſerentes, vbiprimùm materia eſt rectè diſpoſita per quatuor qualitates, ſtatim ex vi præcedentium qualitatum reſultare formã in materia, ſine vlla noua actione. Et ſimiliter in compoſito humano vbiprimùm materia eſt rectè diſpoſita, ſtatim creari à Deo, & vniri formam rationalem, quin detur ex parte agentis creati vlla actio ſubſtantialis; ſed ſufficere illas, per quas agens creatum diſpoſuit materiam. Hæc tamen ſententia non eſt admittenda, quia tollit præcipuam actiuitatem, & actionem agentium creatorum, & admittit veros, ac reales effectus ſubſtantiales, ſine vlla actione, per quam producantur. Neque obſtat quòd in generatione humana vnio formæ ad materiã ſit ſpiritualis; quia hæc vnio ſi eſt ſpiritualis, poteſt produci à potentia corporea naturaliter eleuata per formam ſpiritualem agentis. Et meliùs dici poteſt eam vnionem non eſſe ſpirituale, ſed corpoream, & habere ſe ex parte materiæ, ideoque poſſe naturaliter produci à potẽtia corporea, vt diximus in tractatu primo.

Reijcitur opinio non admittens generationem ſubſtãtialem.

De generatione rerum viuentium.

CAP. II.

5. Inter res viuẽtes, quæ fiunt per generationem, quædam fiunt à cauſis

Variæ cauſa rerum viuentium.

cauſis non viuentibus, vt mus, aut rana à Sole. Quædam fiũt ab alijs viuentibus, quæ per rationem non operantur, vt equus generat alium equum. Tandem alia viuẽtia generantur ab alijs viuẽtibus, quæ per rationem operantur, vt homo generat alium hominem. Iuxta hos tres gradus generantiũ tres dantur definitiones generationis rerum viuentium. Nam generatio viuentium, quæ fit primo modo, definitur. *Generatio rei viuentis ab aliquo.* Generatio autem viuentis ab alio viuente, definitur. *Proceſsio viuentis à principio vitæ coniuncto ſecundùm rationem ſimilitudinis, ſaltem in ſpecie infima.* Vnde viuens, cuius generatio hìc definitur, ante ſuam generationem debet eſſe coniunctum illi viuẽti, à quo generatur, ita vt ei quodãmodo internum ſit, in eoque maneat. Qua ratione leo genitus ab alio leone, fuit in generante ratione ſeminis, & virtutis ſeminalis, quæ eſt inſtrumentum generantis, & partialis materia fœtus.

Multiplex definitio generationis viuentium.

Definitur perfectiſsima generatio.

6. Generatio viuentium tertio modo, definitur. *Proceſsio viuentis, à principio vitæ coniuncto, & per cognitionem, & amorem operante ſecundùm rationem ſimilitudinis ſaltem in ſpecie infima.* Et hæc generatio eſt omnium perfectiſsima, & ideo quidquid ita generat, appellatur Pater, aut mater, effectus autem genitus dicitur filius, quæ ſunt nomina amoris. Vnde etiam hæc definitio generationis conuenit diuinæ generationi, quia filius in diuinis procedit à Patre, tãquam à principio vitæ coniunctiſsimo, per cognitionem, & amorem operante ſecundùm rationem ſimilitudinis: & ideo etiam filius dicitur ſimilis Patri, & non Deo.

Conuenit definitio diuinæ generationi.

Actiones quibus Deus ſe ſolo operatur ad extra ex præſuppoſita materia in quo ſenſu ſint generationes.

7. Actiones autem illæ, per quas Deus ſe ſolo producit res aliquas ex præſuppoſita materia, non ſunt generationes ſecundo, nec tertio modo, ſed tantùm primo modo, quia non procedunt à Deo, vt à principio coniuncto operante ſecundùm rationem ſimilitudinis in ſpecie infima. Vnde efformatio Euæ ex coſta Adami non fuit generatio viuentis ſecundo modo, ſed primo, quamuis proceſſerit ex coſta Adami tamquam ex materia; quia Adamus ibi non concurrit effectiuè; Deus verò non operatus eſt vt principium coniunctum, & ſecundùm rationem ſimilitudinis. Hoc tamen non tollit, quominus ea actio, per quã Deus ſe ſolo produceret arborẽ, ſit eiuſdem ſpeciei cum illa, per quam eadem arbor generaretur ab alia arbore, quia habet eumdẽ terminum materialem, per quem actiones ſpecificantur.

Auis ſolùm incubans non eſt parens.

8. Hinc colliges, quando auis vna incubat ouis alterius, & educit pullos, tunc illam, quæ incubat, non eſſe cauſam generationis illius, ſed alias aues, quæ concurrerunt ad productionem ouorũ, in quibus continetur virtus ſeminalis, & formatrix, mediante qua tamquam inſtrumento operantur. Auis autem, quæ incubat, ſolùm præſtat calorem neceſſarium, vt virtus ſeminalis, & formatrix excitentur, & operentur. Generationes autem monſtruoſæ, vt generatio muli ex equo, & aſina, non continẽtur propriè ſub

Generationes monſtrorum.

genera-

generatione ſecũdo,& tertio modo ſpectata, quia non procedunt ſecundùm rationem ſimilitudinis in ſpecie infima.

Quatuor modis poſ. ſunt fieri generationes viuentium.

9. Aduertendum deinde eſt, vno è quatuor modis poſſe fieri generationes rerum viuentium. Primò abſque mare, & fæmina, ſed concurrente ſolo Deo, vt accidit in generatione Adami. Secundò concurrente mare, & nõ fæmina, vt contigit in generatione Euæ ex coſta Adami, vbi illa coſta ſaltem materialiter concurrit. Tertiò ſi concurrat ſola fæmina ſimul cum Deo, vt accidit in generatione humana Chriſti Domini ex Beata Virgine. Quartò ex mare,& fæmina ſimul concurrentibus, vt accidit in modo ordinario generandi viuentia perfecta. Quæ omnes generationes vniuocè ſũt generationes, & quãdo terminus eſſet idẽ, ſolùm accidentaliter differrent, ratione principij operantis: & quatenus tres priores modi ſunt miraculoſi; vltimus verò eſt naturalis: nam miraculoſum, & naturale non ſemper differunt eſſentialiter.

Miraculoſum,& naturale non ſemper differunt eſſentialiter.

Conuerſio quid ſit,& quas requirat conditiones.

10. Petes,vtrùm omnis generatio naturalis ſit conuerſio? Ad ſolutionem huius dubij explicandum priùs eſt quid ſit conuerſio. Hæc igitur vt ſit perfecta quinque requirit conditiones. Prima eſt, vt id,quod conuertitur, deſinat eſſe,ſaltem ſecundum aliquã ſui partem; quando enim aër cõuertitur in aquam,deſinit eſſe aër, non tamen deſinit materia aëris, ſed manet ſub forma aquæ: quãuis aliquæ conuerſiones, quæ diuinitùs fiunt nullam partem relinquant rei præteritæ, vt accidit in ſacra Euchariſtia,vbi fit cõuerſio panis in corpus Chriſti Domini,& cõuerſio vini in eius ſanguinẽ,& tamẽ neque forma, neque materia panis, aut vini manent, ſed omnes pereunt. Hæc tamen conuerſio naturaliter non poteſt fieri,ſed ſolùm per diuinã potentiam,quia agentia naturalia quãuis expellant formam,nõ poſſunt anihilare materiam.

Prima conditio.

11. Secunda conditio eſt, vt illud, quod per conuerſionem incipit eſſe, aliquo modo accipiat eſſe, vel ſaltem habeat aliquam dependentiam, quam anteà non habebat. Tertia eſt, vt conuerſio verſetur inter duos terminos poſitiuos,quorũ vnus deſinat eſſe,& alter incipiat eſſe, ſaltẽ ſub nouo modo. Quarta eſt vt inter rem, quæ incipit,& quæ deſinit detur aliqua connexio, & vna incipiat, quia altera deſinit.Quinta eſt, vt maneat ibi aliquod cõmune vtrique termino, vt manet materia in conuerſionibus naturalibus ſubſtantialibus, in Euchariſtia verò menent accidentia panis,& vini.

Secunda.

Tertia.

Quarta.

Quinta.

12. Ad quæſtionem ergo reſpondetur generationem,quæ naturaliter fit, eſſe conuerſionem, vt patebit diſcuttendo per ſingulas conditiones,quæ ad cõuerſionem requiruntur. Quãdo autẽ generatio,& conuerſio ſimul cõcurrunt, ſunt à parte rei vna, & eadem actio, & ſolùm virtualiter poſſunt diſtingui, quatenus ſcilicet hęc eadem actio,prout procedit à termino poſitiuo ad alium

Reſoluitur quæſtio.

poſitiuum, vocatur conuerſio, & prout procedit á termino priuatiuo, ſcilicet à materia priuata forma ad ipſam formam, appellatur generatio. Quòd autem ſint vna, & eadem actio, probatur, quia vnus ibi datur tantùm formalis terminus, qui producitur; ergo vna tantùm datur actio realis. Quòd ſi materia diuinitùs conſeruaretur ſine omni forma, & poſteà diſponeretur ad formam ſubſtantialem, illamque reciperet, tunc rectè poſſet dari generatio ſubſtantialis, quæ non eſſet conuerſio, vt per ſe patet.

De termino actionis generatiuæ.

CAPVT III.

13. Terminari actioně generatiuam ad totum, & ad formam ſubſtantialem, vel ſaltem ad illius vnionem fatentur omnes. Dubium tamen eſt, quinam ex iſtis ſit terminus immediatus, per ſe, & intrinſecus, ſeu formalis generationis ſubſtantialis? Quidam dicunt eſſe totum. Alij admittunt duas actiones, quarũ vna terminetur ad totum, altera terminetur ad formam. *Variæ ſententiæ.*

14. Dicendum tamen eſt quãuis totum phyſicum ſit effectus primariò intentus à generante, ſeu terminus principalis, & vt quod, tamẽ formalẽ terminum, ac immediatum, & intrinſecum generationis materialis eſſe formã vnitam materiæ. Et probatur, quia generatio ſubſtantialis debet definiri per ordinem ad ſuũ terminum formalem, & immediatum, ſed definitur per ordinem ad formam in materia; ergo forma ſimul cum vnione eſt formalis terminus illius. Vnde generatio materialis eſt idem realiter cum forma, quia omnis actio realiter identificatur cum ſuo termino. Imò illa actio per quam vnitur, & producitur forma materialis in materia, non eſt duplex, ſed vna tantùm, quia habet vnum terminum ſimpliciter; nẽpè formam vnitam: & per talem actionem accipit forma ſuum eſſe, non quocumque modo, ſed in materia, quale eſt eſſe formæ materialis. *Vera reſolutio quæſtionis propoſitæ.* *Generatio materialis eſt idem realiter cum forma*

15. Dicendum deinde nullam aliam dari actionem diuerſam immediatè terminatam ad totum, ſed per hanc eamdem, quæ intrinſecè terminatur ad formã, produci, & reſultare totum, quod nihil aliud eſt, quàm ſuæ partes vnitæ: & per hanc actionem dicitur generari vt quod, & tamquam terminus principalis; nam illud principaliter producitur, quod principaliter ſubſiſtit; & quod per ſe eſt, per ſe producitur, ſed totum eſt quod principaliter ſubſiſtit, & quod per ſe eſt; ergo totum principaliter producitur: nõ tamẽ per actionẽ diuerſam, cũ non habeat diuerſam entitatẽ à partibus ſimul ſumptis. *Non datur actio ſpecialis termi nata ad totum.*

16. Atque hinc colliges in quouis compoſito phyſico vnam tantùm dari formam ſubſtantialem; quia quoduis compoſitum phyſicum producitur per vnam *In quouis compoſito phyſico vnã tantùm datur forma ſubſtantialis.*

tantùm actionē,ſed vna actio habet vnū tantū terminū formalē; ergo vna tantū datur forma ſubſtātialis in quouis cōpoſito. Quod etiā probatur, quia totū phyſicū eſt vnū per ſe,& ſimpliciter;ergò non poteſt habere plures formas ſubſtātiales à parte rei diſtinctas: alioqui eſſet aggregatum quoddā, & vnū per accidens. Tertiò,quia ſi Socrates, v.g. per vnā formam eſſet homo,& per aliam eſſet animal,per aliam viuens, &c. poſſet Deus ſeparare iſtas formas, quæ realiter diſtinguerentur,& conſequēter poſſet dari Socrates, quin daretur animal, aut quin daretur viuens, ſed hoc eſt impoſſibile; ergo per eamdem formam cōſtituitur Socrates in ratione hominis,& in ratione viuentis, animalis,& cætera.

A ctiones diuerſæ poſſūt oriri ab eadem forma ſubſtantiali.

17. Neq; obſtat quòd in eodē indiuiduo experiamur actiones ſpecie diuerſas,nā omnes iſtę poſſunt oriri ab eadē forma ſubſtantiali operāte per diuerſas potentias,& per diuerſas proprietates. Quādo igitur vna forma ita ſe habet,vt in perfectione ſuperet alias formas ſubſtātiales inferiores,rectè poteſt exercere illarū operationes, & ita forma rationalis in homine exercet operationes formæ vegetātis,ſentiētis,& rationalis;quia eſt nobilior, quàm forma tantū vegetatiua, & quàm forma vegetatiua ſimùl, & ſenſitiua.

Opinio cōtraria reijcitur.

18. Vnde non ſunt audiendi Auicebron, Gandauenſis, & Venetus,quos vide ad lib.1. de generat c.4.q.19. ad initium, qui aſſerebant in Petro, v. g. dari tot formas ſubſtantiales à parte rei diſtinctas, quot ſunt prædicata eſſentialia communia, quæ de eodem Petro prædicantur, nempè dari vnam formam, per quam diceretur animal, aliam, per quam diceretur viuens, & ſic de reliquis gradibus,& prædicatis,vſque ad ſubſtantiā genus ſummū. Verū hæc falſa opinio ſufficiēter ex dictis refellitur: ſicut etiā alia opinio Veterū,quā etiā ex parte ſecutus eſt Scotus lib.7.Metaph.n 10.qui admittebāt in quouis compoſito phyſico,præſertim viuenti, & rationali, aliā formā diuerſā à propria forma cuiuſcūque indiuidui, quā vocabāt formā corporeitatis, & hanc dicebāt eſſe inſeparabilē à materia,illiq; coæuā. Hæc tamē opinio falſa eſt, & ex factis rationibus etiam improbatur. Deinde, quia eadem forma phyſica, & ſpecifica,v.g. forma hominis, ſufficit ad diſtinguēdos, & cōferendos omnes gradus metaphyſicos cuiuſcūque cōpoſiti phyſici,præſertim ſi ſumatur coniuncta cum materia;ergo nō eſt cur multiplicētur formæ ſubſtātiales in indiuiduo. Vnde etiā forma rationalis, licet ſit ſpiritualis,tamē prout eſt cōiuncta materiæ poteſt tribuere homini gradū corporis, ſeu corporeitatis,& reliquos omnes. Tādem,quia ex hac opinione ſequitur iam gradus metaphyſicos in eodem indiuiduo diſtingui realiter: quod neque etiam ipſe Scotus admittit.

Forma corporeitatis excluditur.

19. Minùs etiam audiendi ſunt illi,qui in homine fingunt plures animas realiter diſtinctas ; nam Manichæi ponebant duas animas in quouis homine,vnam bonam,

Exploditur ſententia admittens in homine plures animas.

& omni culpa vacantẽ, & à Deo creatam; aliam productã à principio omnium malorũ, & omni bus vitijs immerſam. Quem errorem confutat Auguſtinus lib. 10. ſuper Geneſim ad lit. cap. 13. & li. 6. contrà Fauſtin. cap. 8. & multa Concilia, Synodus generalis actione 10. can. 11. & alij Patres. Alij veteres ponebant in homine tres animas in tribus locis diſtinctis, in capite vnam, ad functiones cognoſcendi obeundas. Secundam in corde, ad actiones appetẽdas. Tertiã in hepate, ad actiones nutriendi, ſeu vegetandi. Dicendũ tamen omnes iſtas operationes præſtari poſſe ab vna, & eadẽ anima rationali, quæ tota eſt in capite, & tota in corde, & tota in hepate, & in reliquis partibus corporis: & quæ formaliter eſt intellectiua, & volitiua, quatenus in ſe habet formaliter intellectum, & voluntatem, & virtute eſt ſenſitiua, & vegetatiua, quatenus ſcilicet eſt tam perfecta, vt nobilitate ſuperet formas tãtùm vegetatiuas, & formas vegetatiuas ſimùl, & ſenſitiuas, & medijs potentijs corporeis ſentiendi, & vegetandi poſsit exercere actus vegetandi, & ſentiendi.

20. Probatur verò hæc ſententia, quia ſi in homine eſſent plures animæ, iam homo non eſſet vnũ animal ſimpliciter, neque vnum compoſitum phyſicum, ſed multiplex. Secundò probatur ab experimento, quia ſi in homine darentur plures animæ, quælibet poſſet exercere ſuas operationes quin impediretur ab alijs, ſed hoc eſt contrà experientiã; quò enim homo eſt pluribus intentus, eò minorem habet ad ſingula efficaciã; ergo ſignum eſt quòd ibi vna tantùm detur anima. Imò tribuere homini plures animas eo modo, quo illas tribuebant Manichæi, eſt prorſùs hæreticũ: tribuere autẽ illas alio modo, ad minimum eſt erroneum in fide.

Rationes pro vera ſententia.

Quid ſit corruptio, & quomodo differat à generatione, & cum illa conueniat?

CAP. IIII.

21. Explicata eſſẽtia generationis ſubſtantialis, oportet explicare alterã quaſi actionem illi oppoſitam, quæ dicitur corruptio. Definitur ergo corruptio. *Mutatio totius ſub eadẽ communi materia.* Dicitur *Mutatio*, latè, prout abſtrahit à negatiua, & poſitiua; nam corruptio non eſt realis, aut poſitiua actio. Additur *Sub eadem communi materia*, quia in corruptione debet manere ſubiectum cõmune formæ aduenienti, & præcedenti. Vnde anihilatio non eſt corruptio, quia nihil manet. Dicitur *Mutatio totius*, id eſt ex toto, vt indicetur terminus, à quo incipit corruptio. Imò hoc totũ eſt, quod vltimò, & principaliter dicitur corrũpi: terminus verò, ad quẽ tẽdit corruptio eſt nõ totũ. Vnde clariùs definiri poſſet. *Corruptio eſt mutatio totius in nõ totũ ſub eadẽ cõmuni materia.* Atque hinc vlteriùs fit, quòd corruptio propriè ſũpta nõ ſit actio realis, ac poſitiua, quia non habet

Definitio corruptionis.

Definitur clarius.

realem

realem terminum, qui per illam immediatè producatur. Aliquando tamen vocamus productionẽ alicuius formæ ſubſtantialis ignobilioris in materia corruptionẽ, attendendo potiùs ad amiſsionẽ formæ præſtantioris, quàm ad productionem ignobilioris. Verũ hæc acceptio corruptionis eſt impropria.

In quibus differat corruptio à generatione.

22. Differt igitur corruptio à generatione, primò, quia generatio eſt actio poſitiua; corruptio autem negatiua: vt alibi diximus de decretione, & ſolet dici de anihilatione. Secũdò, quia generatio tendit à potentia ad actum ſubſtantialem; corruptio verò tendit à forma ſubſtantiali in materia ad non formam in eadẽ materia. Tertiò, quia generatio eſt bonum naturæ, tenditque ad illius conſeruationem, & perfectionem; corruptio autem eſt malum naturæ, tenditque ad illius deſtructionem.

23. Dices. Si corruptio eſſet malũ naturæ nõ eſſet rebus phyſicis naturalis, ſed corruptio eſt naturalis rebus ſublunaribus, ergo non eſt malum naturæ. Reſpondetur naturale tripliciter poſſe dici. Primò dicitur illud, quod non eſt ſupernaturale. Secundò, illud ad quod res aliqua vt ad ſuam perfectionem inclinatur: & in nullo horum ſenſuum dicitur corruptio naturalis rebus ſublunaribus. Et in ſecundo dicitur malum naturæ, quatenus ſcilicet deſtruit perfectionem rerum naturalium. Tertiò dicitur naturale illud, quod quamuis ſit malum, aut negatio boni, tamen accidit rebus per cauſas naturales, & naturaliter operantes. Et in hoc ſenſu dicitur corruptio naturalis rebus ſublunaribus phyſicè compoſitis, quatum vnio inter materiam, & formam poteſt diſſolui per cauſas naturales, & de facto ſeriùs, aut citiùs eſt diſſoluenda.

In quo ſenſu corruptio dicatur naturalis.

Principium corruptionis in rebus ſublunaribus quale.

24. Petes vnde oriatur in rebus ſublunaribus corruptibilitas, & quodnam ſit radicale principium illius? Reſpondetur hanc non repugnantiam, & aptitudinem vt res ſublunares corrumpãtur, prouenire ex eo, quòd conſtent materia ſuſceptiua contrariarũ qualitatum, & habente inclinationẽ ad varias formas ſubſtantiales ſublunares ſpecie diuerſas. Et ſimùl prouenire ex eo, quòd conſtent talibus formis, quæ requirunt certas diſpoſitiones in materia, vt in illa conſeruentur, quibus ſublatis ſtatim cauſa prima cõſeruans effectiuè cõpoſita naturalia ſubtrahit concurſum, quo conſeruabat formam ſubſtantialem in materia, & ipſa forma perit, quia non poteſt per ſe ſubſiſtere naturaliter extra materiam. Corruptio tamẽ prospriùs conſiſtit in ſubtractione cõcurſus, per quem conſeruabatur vnio formæ ad materiam, vt cernitur in corruptione compoſiti humani.

In quo cõueniãt corruptio, & generatio.

25. Conuenit autem corruptio cum generatione, quia vtraque habet pro obiecto materiam primam. Secundò, quia ſe mutuò comitantur, quatenus corruptio vnius eſt generatio alterius. Quod ita accipiendum eſt, vt ſolùm velit, ad hoc, vt generetur vnum compoſitum ex eadem materia,

Explicatur illud generatio vnius eſt corruptio alterius.

opus eſſe, vt deſinat eſſe præcedens compoſitum; quia cum eadem materia prima non poſsit ſimùl habere duas formas ſubſtantiales, nec poſsit eſſe ſine aliqua, ad hoc vt ſequentem recipiat, debet priùs præcedentem abijcere. Non tamen eſt opus, vt forma ſecundùm ſuam ſubſtantiã deſinat eſſe, ſed ſufficit, quòd deſinat informare. Et hinc fit vt generatio vnius dicatur corruptio alterius, & è contrà. Tertiò conueniunt generatio, & corruptio in hoc quòd vtraque datur in eodem inſtanti, & primum eſſe ſubſtantiæ genitæ, eſt primum nõ eſſe ſubſtantiæ corruptæ. Quartò, quia vtraque denominat principaliter totum.

Vtrùm corruptio intendatur à natura.

26. Dubium tamen eſt, vtrùm corruptio, & generatio per ſe intendantur à natura? Et de generatione non eſt dubium intendi per ſe à natura, quia per hoc medium intendit conſeruationem ſpecierum rerum corruptibilium. Quamuis autem inter animantes dentur quædam imperfectæ ſi comparentur cum alijs perfectioribus, tamen in ſuo genere ſunt perfectæ, & poſſunt per ſe intendi. Monſtri verò generatio ſi cõparetur cum cauſa ſecunda particulari non intenditur per ſe ab illa; ſi tamen comparetur cũ cauſis vniuerſalioribus, & cum cauſis impedientibus, & impeditis ſimùl, intenditur per ſe ab illis. Corruptio autem, cum ſit quædam negatio non poteſt per ſe intendi vt finis. Deindè non poteſt per ſe intendi propter aliquod bonũ, quod in ſe contineat; ſolùmque dicitur intendi per accidens, quatenus ſcilicet propter imperfectum, ac limitatum eſſe materiæ, ad hoc vt recipiatur in eadẽ materia altera forma ſubſtantialis, opus eſt, vt prima forma abijciatur.

DE CAVSIS GENERATIONIS in communi.

QVÆSTIO III.

Vtrùm vterque parens effectiuè concurrat ad formationem, & generationem fætus?

CAPVT I.

Pater effectiuè concurrit.

1. DE patre cõcedũt omnes cõmuniter cõcurrere effectiuè ad generationẽ, & formationẽ fætus, non per actiuitatem aliquã immediatam, ſed mediante ſemine tamquam inſtrumento ſeparato. De fæmina eſt controuer-

De fæmina dubitatur.

ſia

ſia an concurrat effectiuè? Et quidem ſi loquamur de aliquibus effectibus, qui præcedunt generationem ſubſtantialem, non eſt dubium, quòd fæmina concurrat effectiuè ad illos, vt verbi gratia, ad confectionem ſanguinis, ex quo, ſaltem partialiter, coagmentetur fætus, & ad illius decoctionem, & euocationem ad locum, in quo eſt formandus fætus, & ad alia ſimilia officia.

2. Totum dubium eſt de ipſa introductione, & vnione formæ ſubſtantialis, vtrùm ſcilicet fæmina concurrat effectiuè ad illã? Plures igitur Autores in negantẽ partem cum Ariſtotele lib. 1. de partib. animalium cap. 1. inclinatunt. Primum fundamentum eſt, quia putant fæminas non conferre verum ſemen. Secundum, quia agere, & pati debent ſuppoſito diſtingui, ſed maſculus agit; ergo fæmina patitur. Tertium, quia illa oua, quæ maſculi ſemen non attigere, manent infæcunda.

Negantis partis fundamenta.

3. Hæc tamẽ fundamenta nullius ſunt momenti. Ad primum enim negatur aſſumptum. Ad ſecundum reſpondetur ex patre, & matre fieri vnam cauſam agentẽ adæquatam; cauſam verò patientem eſſe ipſum fætum, qui generatur. Ad tertium reſpondetur ex multis ouis, quæ maſculeum ſemen non attigere, generari aliquã animalia, ſaltem imperfecta, vt accidit in multis piſcibus, præſertim in ijs, quos rubeliones vocãt, in quibus nullus maſculus inuenitur. Reſpondetur ſecundò, ſolum ſemen fæmineum non ſufficere, & ideò ex illis ouis nihil generari, quia deeſt alia concauſa.

4. Dicendum ergo eſt fæminã concurrere etiam actiuè ad generationem fætus. Ita medici omnes, duce Hipocrate in libello de genitura, & Galeno lib. 6. de affectis cap. 5. probantque ex multis indicijs petitis ex arte anatomica. Deinde, quia fæminæ etiam habent verum ſemen, quamuis minus perfectum. Imò non deſunt Recentiores, qui præcipuã actiuitatem tribuant fæminis, quia per ſuam formam cõcurrunt immediatè immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti; quam opinionem propoſuimus ſuprá tractatu primo vt probabiliorem. Ratio eſt, quia formæ eiuſdẽ ſpeciei habent eaſdem proprietates, & eaſdem potentias ad agẽdum, ſed maſculus concurrit actiuè; ergo etiam fæmina eodem modo concurret, cum habeat formam ſubſtantialem eiuſdem ſpeciei; quia tamen maſculus operatur per inſtrumentum ſeparatum, fæmina verò per inſtrumentum coniunctum, ideò probabiliter dici poteſt, quòd fæmina in generatione fætus habeat actiuitatem præcipuam.

Probabilior eſt ſententia affirmans.

5. Atque hinc etiam ſequitur vtrumque parentem concurrere actiuè ad formationem, & delineationem fætus, quæ nihil aliud eſt, quam *Organorum diſpoſitio, cum certa quantitate, & figura, & cũ certa temperie quatuor qualitatum, & aliarum, quæ ex primis reſultant.* Vnde fit vt aliquandò filij euadant ſimiles matri, aliquando patri in membrorum diſpoſitione, in naturali colore, & figura externa, & ali

Formatio fætus quid, & à quo fiat.

quando etiam in naturalibus inclinationibus: quia ſcilicet virtus vnius præualuit in formando fœtu plùs quàm virtus alterius. Quamuis multoties contingat vt filius in effigie non euadat ſimilis patri, nec matri, ſed alteri tertio propter alias cauſas, quæ ſimùl concurrunt ad formationem fœtus, vt ſunt Sol, & alij influxus cæleſtes. Aliquando etiam euadit fœtus in figuram monſtroſam propter aliquam cauſam ex ijs, quas diximus ſuprà tractatu primo q. 12. cap. 2. Valet etiam multùm ad rectam, vel defectuoſam formationem fœtus fœminarũ imaginatio, per quã humores in corpore excitantur, & ſpiritus vitales, iuuantque vel officiunt formationi fœtus.

Cur filij parentibus ſimiles, aut diſſimiles euadant.

De cauſa inſtrumentali generationis, & formationis.

CAPVT II.

6. Ex dictis conſtat cauſas principales ſecundas generationis eſſe marem, & fœminam, quando fœtus eſt animatus, & generatur in vtero fœminæ. Reſtat agendum de cauſa inſtrumentali, quæ iuxta communem omnium ſenſum eſt ſemẽ deciſum ab vtroque parente, & per virtutem attractiuam delatum ad eum locũ, in quo formandus eſt fœtus. Potentia ergo generatiua, quæ eſt in patre, aut matre imprimit ſemini virtutem quamdam ſibi ſimilem, quæ ſit illius quaſi vicaria, & per hanc virtutem concurrit ſemen inſtrumentaliter, ſeu tamquam inſtrumentum generantis ad introductionem formæ ſubſtantialis.

Cauſa inſtrumentalis eſt ſemẽ.

7. Habet etiam ſemen virtutẽ aliam communicatam à potentia generatiua maſculi, & fœminæ, quæ dicitur virtus formatrix; & iuxta probabiliorem ſententiam, non diſtinguitur á parte rei à potentia generatiua, quæ eſt in ſemine. Et per hanc virtutem formatricem concurrit etiam ſemen inſtrumentaliter ad formationẽ, organizationem, & delineationẽ fœtus. Iſta autem fœtus delineatio, & organizatio eſt vnum ex mirabilibus naturæ; ita vt aliqui non minimæ notæ Philoſophi dixerint neque in generãte, neque in ſemine dari poſſe aliquam virtutem, per quam viuentium corporum organizatio poſſit confici. Et ideo aliqui talem virtutem diuinam appellant, eamque intellectus, & rationis compotem faciũt.

Virtus formatrix etiã eſt in ſemine.

Diuerſæ opiniones de virtute formatrice.

8. Alij fingunt prouenire ab anima totius vniuerſi. Verùm cũ Deus per cauſas ſecundas operetur etiam alios effectus mirabiliores, non eſt cur denegemus hanc virtutem formatricẽ ſemini, quæ cum à Deo, vt ab Auctore naturæ dirigatur, poteſt optimè corpora viuentium formare, & delineare. Habet verò tantam virtutem, quia per illam generans ſeſe quodammodo repræſentat in ſemine.

9. Dubium tamen eſt quomodo fieri poſſit vt ſemen edat has operationes tam nobiles, & ma-

Dubium reſoluitur.

Vtrùm lac, ſemen, & adeps informentur eadem anima viuentis.

ximè vitales, vel ſaltem vitalibus valdè proximas; cum tamen ipſum ſemen non viuat, neque informetur anima aliqua. Poſtulabat hoc dubium, vt explicemus, vtrùm lac, humores, adeps, & ſemen informentur eàdem anima viuentis, vel ſaltem aliqua alia. De hoc tamen dicemus in tractatu de anima. Nunc ſuppono ſemen non viuere, neque habere formam aliquam viuentem, ſed aliam formam ſubſtantialem nō viuentem. Et ad dubium reſpōdeo, ad hoc vt actio generatiua dicatur vitalis ſatis eſſe, quòd oriatur à principio vitæ cōiuncto, non tamen opus eſſe vt inſtrumentum, mediante quo exercetur, etiam viuat actu, quamuis viuat in poteſtate.

Aliud dubium.

10. Secundum dubium eſt, vtrū virtus, quæ primò delineat membra fœtus, adhuc maneat in illis? Reſpondetur affirmatiuè: manet enim ſaltèm ad certum tempus, quamuis non maneat in ea efficacitate, quam habebat in principio; quæ eſt vna ex rationibus, quare membra ſemel abſciſſa, vel non repullulant, vel renaſcuntur imperfecta. Iſta autem virtus formatrix, quæ manet in prole nō eſt illa, quæ inſidebat in ſemine, ſed alia ſpecie diuerſa, & vitalis, neq; in re ipſa diſtinguitur á nutritiua.

De cauſa materiali fœtus.

CAP. III.

Quid hic intelligatur per cauſam materialē.

11. Cauſam materialē hoc loco vocamus eam, ex qua fœtus coagmentatur, & quæ per introductionem quatuor primarū qualitatum diſponitur, vt exuendo formam ſubſtantialem, quam anteà habebat, recipiat in ſe formam viuentis illius, quod generatur in vtero materno.

Materia fœtus eſt ſemen, & ſanguis.

12. Communis igitur ſententia eſt omnium ferè medicorum, materiam, quæ proximè diſponitur ad formandum fœtum, ſeu ex qua proximè coagmentatur fœtus, eſſe ſemen viri, & fœminæ, quæ concurrunt ad matricem: nō tamen ſufficere, ſed requiri prætereá ſanguinem fœmineum benè decoctum, & ab omni fæce purgatum. Er ratio eſt, quia in viuētibus perfectis, quæ in vtero generanrur, viſunrur partes maximè diuerſæ, nimirùm oſſa, caro, & nerui; oſſa igitur, & nerui coagmentantur præcipuè ex partibus materialibus ſeminis: partes verò carnoſæ fiunt ex ſanguine fœmineo. Hoc tamen non tollit quominùs viuentia aliqua imperfecta poſſint generari ſine vllo ſanguine, & extrá vterum ex putri materia, vel ex concretione quadam terrea, & aquea; vt apparet in anguillis, & lumbricis, alijſque ſimilibus. Imò aliqua ex alijs animantibus, quæ ex congreſſu maris, & fœminæ naſcuntur, non egent ſanguine ad ſui generationem, vt ſunt plura animalia exanguia; ſemper tamen egent aliquo ſucco, qui ſanguinis vicem ſuppleat.

Ratio.

Quæ animalia ſanguine non egeant.

13. Dices. In ſemine inſidet virtus

Duo genera partium diſtinguuntur in ſemine.

tus generatiua, & formatrix, quæ eſt actiua; ergo ſemen non poteſt ſimul eſſe materia fœtus, alioqui idem ageret in ſeipſum. Reſpondetur in ſemine dari partes quaſdam craſsiores, quæ ſe habẽt vt materia: & alias tenuiores, in quibus præſertim inſidet vis actiua, & ita non eſſe mirum, ſi idem ſecundùm diuerſas partes agat in ſe ipſum. Quamuis autem in generatione humana informetur materia priùs forma plantæ, & deinde alia forma ſenſitiua, ac tandem forma rationali, per totum hoc tempus manent partes ſeminis ſubtiliores, & in illis ſeruatur virtus delineatiua, ac formatrix, & quæ poſsit ſufficienter diſponere, & organizare materiam ad formam rationalem.

De ordine quo formantur partes fœtus.

14. Petes, quo ordine formentur partes organicæ in fœtu? Aliqui exiſtimarunt formari omnia membra ſimul. Hoc tamen repugnat experimento artis anatomicæ. Dicũt igitur alij in fœtu priùs generari iecur: ſecundò cor: tertiò cerebrum: omnium tamen primum fieri vmbellicum. Et ratio eſt, quia fœtus viuit prius vita ſtirpis; ergo debet in eo priùs generari ea pars, quæ eſt officina ſãguinis, nẽpe iecur. Ariſt. tamẽ in lib. de iuuẽt. & ſenect. c. 1. & lib. 2. de generat. c. 1. & 4. exiſtimat efformari priùs cor, vel illud, quod habet vicem cordis. Et huius rei ſe præbet teſtẽ oculatum; & probat, quia nullum membrum in viuente ſine calore ſuſtentatur, ſed cor eſt fons caloris; ergo cor priùs efformatur. Secundò, quia cor in animantibus vltimò deficit; ergo etiam priùs incipit. Vtrumque eſt probabile.

Cauſa formalis, & finalis generationis.

15. Hactenus de cauſis efficiente, & materiali generationis: cauſam formalem non habet aliam, præter ſuam propriam entitatẽ. Cauſa verò finalis generationis multiplex eſt; nam cauſa finalis proxima, & intrinſeca eſt ipſa forma, vel ſaltẽ vnio illius, quæ producitur. Deinde cauſa finalis remota eſt ipſum totum; poreſt etiã habere aliam cauſam, quæ eſt cõſeruatio ſpeciei. In quibus cauſis nihil peculiare occurrit. Reſtat agendum de modo, quo fœtus adoleſcat, ſeu accreſcat, & augmẽtetur poſtquam ſemel genitus eſt. Quod in ſequenti quæſtione præſtabimus.

DE RERVM VIVENTIVM nutritione, & augmentatione.

QVÆSTIO IIII.

Quid

Quid ſit nutritio in rebus viuentibus, & vtrùm ſemper fiat?

CAPVT I.

1. Nutritio in rebus viuentibus eſt altera veluti generatio, & ideò vocari ſolet à philoſophis adgeneratio: eſt enim actio quædã ſubſtantialis, per quã forma ſubſtantialis cuiuſque viuẽtis de nouo introducitur, & vnitur ad nouam partem materiæ: verbi gratia illa materia, quæ in viuenre erat materia ſanguinis paulatim diſponitur, vt in illam introducatur forma viuentis, & poſtquã eſt rectè diſpoſita, introducitur in illam forma viuentis illius, quod dicitur nutriri, & fit de nouo vnio quædam ſubſtantialis inter materiam, quæ de nouo fuit diſpoſita, & formam, quæ præiacebat: quæ actio, cum habeat pro termino immediato ſaltem vnionem quãdam ſubſtantialem, eſt ſubſtantialis.

Nutritio aliter dicitur adgeneratio: & eſt actio ſubſtantialis.

2. Vndè communis ſententia Theologorum, ac Philoſophorũ eſt, quòd aliquæ ſaltem partes alimenti in rei nutritæ ſubſtantiam verè mutentur. Et ratio eſt, quia quidquid fit maius, vel fit maius per rarefactionem, vel per acceſſum materiæ de nouo; ſed res viuentes ſaltem per aliquod tẽpus, fiunt maiores, vt oſtendit ipſa experientia, & non fiunt maiores per rarefactionem, neque per miraculum; ergo fiunt per conuerſionem alimenti in propriã ſubſtantiam aliti. Vnde non eſt audiendus Magiſter ſententiarum lib. 2. diſtinc. 30. qui exiſtimabat in quouis homine dari certam portionẽ materię ex ea, quę fuit in Adamo, & hãc ſolã informari anima rationali, & perſeuerare in eodem homine per totum vitæ tempus; alimenrum verò ſolùm adhiberi, non vt materia augeatur, neque vt in illam de nouo introducatur forma rationalis, ſed ſolùm adhiberi tamquam fomentum illius portionis materiæ, cui anima rationalis eſt vnita à prima generatione; quia ſcilicet calor, qui alioqui depaſturus erat materiam illam, ſi inuenit materiam alimenti, in ea detinetur, & non agit in illam, quæ primò in formata eſt per animam rationalem.

Aliquæ partes alimenti in rei nutritæ ſubſtantiam tranſeunt.

Sententia Magiſtri refellitur.

3. Hæc tamen ſententia nõ eſt audienda, quia non eſt vlla ratio cur in cæteris animantibus admittatur vera conuerſio alimenti in ſubſtantiam aliti, & non in homine. Deinde, quia illa portio materiæ in vnoquoque homine ſumpta ex corpore Adami eſt prorſus fictitia: neque enim potuit Adamus tantam habere materiam, vt cuique homini ſuam tribuat portionem. Quomodo autem hæc numero materia ſpectet ad eſſentiam cuiuſque compoſiti phyſici, iam ſuprà diximus tractatu primo, quæſtione tertia, capite quarto.

4. Dubitabis tamen, vtrũ quodlibet viuens ſemper nutriatur dũ

Viuens dum viuit nutritur, & quomodo.

viuit? Reſpondetur affirmatiuè, quia ſicut humidum continuò diſsipatur per continuam actiuitatem naturalis caloris, ita neceſſe eſt, vt continuò reparetur. Vnde Ariſtoteles aſſeruit vacationē à nutritione eſſe mortem. Non tamen opus eſt vt potentia nutriēdi ſemper ſit in actu conuertendi alimentum in ſubſtantiam aliti; ſed ſatis eſt quòd aliquandiu etiā occupetur in præparatione, & decoctione ipſius alimenti. Non etiam opus eſt vt potentia nutriendi tantùm reparet de ſubſtantia aliti, quantùm aliundè deperditur per vim naturalis caloris: alioqui numquam viuens præ ſenectute, & præ defectu materiæ poſſet interire. Quamuis autem aliquæ animantes diu latitent, quin cibum ſumant, vt vrſa, glires, & aliæ ſimiles, hoc non tollit quominùs etiam tunc potentia nutriendi occupetur circa conuerſionem, & præparationem alimenti, quod antea coacceruarunt: & ideo ex ſomno euadunt glires pinguiores.

Ariſt. lib. de ſom. & vigilia c. 2.

De cauſa efficiente principali, & inſtrumentali nutritionis.

CAP. II.

Cauſa principalis eſt ipſum viuens.

5. Cauſa efficiens principalis huius nutritionis in quolibet viuēte eſt ipſum viuēs, quod nutritur, & per ſuam formam ſubſtantialem tamquam per principium *Quod* principale operatur in materiam alimenti, illamque ſibi vnit poſtquam eſt perfectè diſpoſita, vt omnes communiter aſſerunt.

Cauſa inſtrumentalis.

6. De cauſa inſtrumentali, per quam viuens exercet iſtam actionem ſeu de potentia illa, quæ dicitur in viuente potentia nutritiua, eſt maius dubium quæ nā potentia ſit? Nam Philoſophi diſtinguūt in viuente triplicem potentiam, nimirum potentiam naturalem, potentiam vitalem, & potentiam animalem. Ad potentiā naturalem ſpectat triplex munus, ſcilicet alere, ſeu nutrire, augere, & generare: quæ tria munia ab vna, & eadem potētia, iuxta probabiliorem opinionem, præſtantur in viuente, quæ prout conuertit alimentum in ſubſtantiam aliti, dicitur nutriens, & quatenus illi addit maiorem quantitatem ſimul cum maiori materia, appellatur potentia augens, & quatenus præparat ex alimento ſemen, illique indit aliam virtutem ſpecie diuerſam, ſibi tamen aliquo modo ſimilem, vt poſsit eſſe inſtrumentum aptum ad generandum aliud indiuiduum ſimile, vocatur potētia generatiua; quāuis aliqui hanc potentiam generatiuam realiter diſtinguāt à nutritiua; ſed minùs probabiliter, quia ab eadem potentia oriri poteſt generatio totalis, & generatio partialis, ſeu adgeneratio; ſed nutritio eſt quædam partialis generatio, quæ oritur à potentia nutritiua; ergo ab eadem poteſt oriri generatio totalis.

7. Hæc igitur potentia nutritiua eſt illud inſtrumentum, per

quod

Potentia nutritiua, & eius munus.

quod viuens immediatè operatur nutritionem, conuertendo alimentum in ſubſtantiam aliti, & introducendo formam ſubſtãtialem in alias partes materiæ de nouo, vt ſupra explicauim[9]. Quia verò cum partibus nouis materiæ aduenìunt etiam nouæ partes quantitatis in ea opinione, quę nõ admittit reſolutionem vſque ad materiam primam, ideo etiam illæ partes quantitatis, quæ aduenìunt cũ partibus materiæ, vniũtur partibus quantitatis, quæ erant in viuente, & ſicut augetur materia viuentis per ſubſtantialem nutritionem, ita etiam augetur illius quantitas per aliam actionem, quæ dicitur accretio, & terminatur ad illã vnionẽ quãtitatis, quę aduenit de nouo, & vnitur cũ quãtitate præcedẽte viuentis, & per hãc actionẽ dicitur viuens augeri, & accreſcere. Iſta verò actio oritur etiã à potẽtia nutriendi, quæ cũ ſit actio ſubordinata primæ, rectè poteſt oriri ab eadẽ reali potẽtia. In ea tamẽ opinione, quæ admittit reſolutionẽ vſque ad materiã primã, dicendũ eſt hanc actionem, quæ dicitur accretio, terminari ad nouam quãtitatẽ, quæ de nouo producitur in materia.

Potentia vitalis in viuente quid.

8. Potentia vitalis in viuente eſt ea, per quam generantur, & fiunt ſpiritus animales, motus arteriarum, fabricatio, & cõſeruatio caloris, illiuſque augmẽtatio. Potentia animalis in viuẽte eſt quælibet potentia cognoſcitiua, vel appetitiua, & ſimul potẽtia motiua, quatenus per phantaſiã dirigitur. Vnaquæque ex his tribus potentijs habet canales ſibi proprios in corpore, nam potentia naturalis habet venas; vitalis habet arterias; animalis habet neruos, mediantibus quibus exercet ſua munia; nam per venas ducitur ſanguis, qui eſt alimentum proximum, vt ſtatim videbimus, & inſeruit ad nutritionem; per arterias ducitur alius ſanguis tenuior, quem arterialem vocant; per neruos ducuntur ſpiritus animales, qui inſeruiunt potẽtijs animalibus ad ſuas functiones.

Potentia animalis.

Canales inſeruientes cuilibet ex his potentijs.

Quam ſedẽ habeant iſtæ potentiæ.

Ariſt. lib. 3. de part. anim. cap. 4 & in lib. de iuuent. & ſeneƈt. c. 2.

9. Dubium tamen eſt, in qua nam parte corporis reſideãt iſtæ tres potẽtiæ? Ariſtoteles exiſtimauit omnes reſidere in corde. Probabilius tamẽ eſt potentiã naturalẽ, quoad vim conficiẽdi ſanguinem, reſidere in iecore, & quoad vim nutriendi toto corpore diuagari. Et ratio eſt, quia venæ, quæ ſunt ſãguinis canales, á iecore incipiũt, & toto corpore diffundũtur. De facultate vitali probabili[9] eſt reſidere in corde, vel in aliquo ſupplẽte vicẽ cordis, quod eſt fõs natiui caloris, & quaſi arca vitæ: ibique generantur ſpiritus vitales. De facultate animali dicendũ eſt præſertim reſidere in cerebro, á quo omnes operationes animales maximè pendẽt; hoc tamẽ nõ tollit quominus hæc facultas etiam ſit in reliquis partibus corporis, vbi fuerit aliqua potentia cognoſcens, vel appetens, aut etiam potentia motiua. Dicitur tamen præcipué reſidere in cerebro, quia inde omnes nerui ſuam ducunt originem, & inde diriuãtur ſpiritus animales per eoſdem neruos. Dicitur etiam reſidere in capite, quia omnes ferè ſenſus ibi

ſuam habent ſedem. Atque hinc patet has tres potentias eſſe inter ſe realiter diſtinctas; reliquæ verò omnes quæ in viuentibus dari dicuntur, ad aliquam ex iſtis reuocantur; vt virtus decoquens, attrahens, expulſiua, diuiſiua, & aliæ ſimiles.

Quid ſpiritus vitales, quid animales.

10. Quia hactenus ſæpè locuti ſumus de ſpiritibus vitalibus, & animalibus, petes quid ſint ſpiritus animales, & quid ſint ſpiritus vitales? Reſpondetur breuiter ſpiritus vitales eſſe *Corpuſcula quædam ex puro, & defæcato ſanguine cõfecta, quæ propter ſuam maximam tenuitatẽ ſpiritus dicuntur.* Inſeruiunt autem in viuente ad hoc, vt calorẽ á corde participatũ toti corpori impertiant, & in mẽbris omnibus natiuum calorẽ reſtaurent, & vim cõferant ad vitæ munia obeũda; & propterea ſunt tenuiſsimi, vt poſſint in omnes corporis partes penetrare.

Spiritus inſiti, & influentes.

11. Diuidũtur ſpiritus vitales in ſpiritus inſitos, & influentes. Spiritus inſiti ſunt illi, qui tribuũtur à generante in primo ortu cuilibet mẽbro per vim ſeminis. Spiritus influentes ſunt illi, qui poſtea à corde cuiuſque viuentis communicãtur alijs partibus.

Quomodo cõficiantur.

Cõficiuntur autẽ ſpiritus vitales in corde, dũ pars quædã purior ſanguinis, per venam cauam, & communes aditus introducitur ad cor, ibique excepta in ſinu cordis dextro, & poſtea in ſiniſtro magis incaleſcit, & tenuior redditur, ac rarior; poſtea verò per arterias diffunditur ad totum corpus. Alia verò pars per anfractus quoſdam aſcẽdit ad cerebrum, ibique in cerebri ventriculis adhuc magis caleſit, & attenuatur, & tale temperamentum aſſequitur, vt poſsit inſeruire ad motum, & ad operationes ſenſitiuas maximè iuuandas. Et hanc partem ſpirituum vitalium ita in cerebro decoctam, & paratam vocare ſolẽt philoſophi ſpiritus animales, qui poſtquam in cerebro fiunt, communicãtur per neruos potentijs animalibus, vt poſsint ſua munia obire, concurrente ad hanc diuiſionem virtute expellenre, & attrahente.

Quæ requirantur vt conſeruentur.

12. Vt autem iſti ſpiritus conſeruentur, duo requiruntur. Primum eſt humidum quoddam ſimile oleo, quod dicitur *Primigenium*, & aliter appellatur *humidum radicale*, quòd in illo, quaſi in radice, animalium, & viuentiũ vita ſuſtentetur. Secundum eſt aura quædam prætenuis, quæ ſpiritus vitales, & animales foueat, & conſeruet. Hæc verò per reſpirationem attrahitur ad cor, per os, & per nares ad cerebrum. Vnde ſi os, & nares per aliquod longum ſpatium occludantur, animalis reſpiratiui vita breuiſsimo tempore finietur; quia iſti ſpiritus deficiẽte aura extinguuntur; ſicut ignis extinguitur deficiente aëre.

Quomodo facultas nutritiua ſe gerat circa alimentum; & quomodo quatuor humores generentur, & in quo loco?

CAPVT III.

Munus

13 MVnus potentiæ nutritiuæ non eſt ſola adgeneratio ſubſtantialis, ſed ſunt multæ diſpoſitiones, quæ ad talẽ actionem ſubſtãtialem prærequiruntur. Cùm autem nutritio proximè fiat ex ſãguine, inde fit quòd ſanguinis, & reliquorum humorũ confectio etiam ſpectet ad potẽtiam naturalem, quæ circa alimẽtũ hac ratione negotiatur. Cibus ore except⁹ præparatur, & in partes minuitur, vt in ventriculo, veluti in olla, accipiat primam decoctionem, & poſtquam eſt præparatus mittitur ad ſtomachũ per arteriam quamdam, quæ à faucibus protẽditur vſque ad ſuperius orificium ſtomachi.

Humorum confectio ſpectat ad nutritiuam.

De modo quo præparatur cibus ad ſanguinem, & ad alios humores.

14. Poſtquã igitur ſtomachus cibum excipit, coniungens illum, ne dilabatur, & vt meliùs decoquatur per natiuum calorem, iuuante etiam ad hoc calore iecoris, & cordis vicini, accipit cibus primam decoctionem. Conſtat autem ſtomachus ſubſtantia quadam neruoſa, & membranea, vt quando cibus exiguus eſt, poſsit facilè contrahi, & quando multus dilatari. Per hanc primam decoctionem cõuertitur cibus in maſſam quamdam, quam medici vocant *Chylum*. Poſtea per alterum orificium, quod eſt ex parte inferiori in ſtomacho, mittitur maſſa illa ad inteſtina per virtutem expulſiuam In inteſtinis melius adhuc decoquitur, & proximè præparatur ad aliam decoctionem, quæ fit in iecore.

15. In hac igitur deductione cibi per inteſtina extenduntur venæ quædam à iecore vſque ad ipſa, quæ venæ *Meſaraicæ*, & *hirudines* vocantur, ex eo quòd ſugant illud, quod in ea maſſa chyli eſt præſtantiſsimum, illudque tranſmittant ad iecur: reliquum autem, quod ex chylo eſt magis craſſum, ac terreum, ad inferiores partes detruditur, & expellitur.

16. Iecur deinde recipiens intra ſuam ſubſtantiam maximè poroſam, & ſpongioſam, ſuccum illum per venas ad ſe attractum, per naturalem calorem illi tribuit ſecundam decoctionem; ex qua decoctione reſultant in eo ſucco quatuor ſpecies maximè diuerſæ; nam illa, quæ eſt tenuior, & meliùs decoquitur, ſupernatat. Deinde ſequitur alia pars, ſeu ſubſtantia quædam media. Tertiò ſequitur alia adhuc minùs decocta; ac tandem remanent in inferiori loco partes quædam magis terreæ, & craſsiores. Et iſtæ quatuor partes ſunt quatuor humores, qui omnes in iecore, ſeu in hepate gignuntur: nam humor ille, qui ſupernatat, eſt *flaua bilis*. Ille qui ſequitur, & eſt in maiori quantitate, dicitur *ſanguis*. Tertius eſt *pituita*. Vltimus eſt *melencholia*, quæ propter terream grauitatẽ deorſum vergit.

17. Genitis ergo his quatuor humoribus in hepate potentia ſecernens, & expellens ſimul cum attractiua ſingulos humores mittit ad proprias ſedes: nam *flaua bilis* confluit ad fel, quod ad iecoris portas maiori ex parte ſitum eſt. *Atra bilis* ad ſple-

Quomodo diſtribuatur ſanguis

non amandatur; pituita ſimul cū ſanguine, cuius eſt vehiculum, & cui maximè accedit, excipitur in vena quadam, quæ *Caua magna* appellatur, & eſt veluti truncus, caputque venarum omnium. Atque ex hac vena diſtribuitur ſanguis ſupra pituitam veluti equitans per venas omnes, quæ toto corpore diffunduntur, iuuante ad hoc potentia diſtributiua, & attractiua. Sanguis ita per venas diſtributus, adhuc ab ipſis venis diffunditur ad poros, ibique accipit tertiam decoctionem, & pro natura cuiuſque membri duritiem, vel mollitudinem, calorem, frigus, ac cæteras qualitates debitas cuiuſque mēbri temperamento, & tandem in ſubſtantiam rei viuentis conuertitur: & hæc conuerſio eſt propria nutritio ſubſtantialis, & tunc fit, quando materia, quæ antea erat ſanguinis, deſinit eſſe ſanguis, & informatur forma viuentis.

Quid ſit propria nutritio.

18. Atque hinc colliges primò, potentiam naturalem, ſeu nutritiuam ad hanc conuerſionem, & ad confectionem humorum iuuari ab alijs potentijs, quæ dicuntur potentia *Attrahens, concoquens, retinens, expurgans, appetens, diſtribuēs, & ſecernens*; ſiue tales potentiæ diſtinguantur à parte rei inter ſe, ſiue ſint vna, & eadem, vel tantū duæ, nimirum nutritiua, & attractiua, quæ inter ſe videntur realiter diſtingui; reliqui verò actus omnes ab his duabus præſtari poſſunt, vt videtur probabilius. Colliges ſecundò, omnes quatuor humores gigni in hepate, vt oſtendunt varia experimenta artis anatomicæ: quamuis enim iecoris calor ſit vnus, & idem, tamen prò diuerſitate materiæ poteſt inducere diuerſas formas ſubſtantiales, quales ſunt formæ ſubſtantiales humorum, quæ ſpecie diſtinguuntur, vt oſtendunt variæ proprietates, quas habent & de ſe poſtulant.

Potentia nutritiua iuuatur ab alijs potentijs.

19. Colliges tertiò, iſtos quatuor humores non eſſe in viuentibus fruſtraneos, quia ex his oritur magna ex parte diuerſitas, temperamentorum, & complexionum. Inſeruiunt etiam ad ſe mutuò temperandos: nam flaua bilis, cum ſit maximè calida, temperatur per atram bilem, quæ eſt naturæ frigidæ, & ſiccæ. Similiter *Flaua bilis* eſt calida, & ſicca: aliaque habent munia, ratione quorum non ſunt inutiles illi humores in viuente. Hæc, quæ de quatuor humoribus diximus non tollunt quominus aliquæ animantes, ſine vno, vel altero illorum poſſint viuere, & nutriri, præſertim ſine flaua, vel atra bili, quia non ſunt ita ad vitam neceſſarij.

Diuerſitas humorum ad quid inſeruiat.

Vtrùm animalia ſanguine prædita ſolo ſanguine nutriantur, & quale debeat eſſe alimentum?

CAP. IIII.

20. VT ab hac poſteriori quæſtione incipiamus, commune eſt medicorū proloquium, quòd alimentum debet

Alimentum debet eſſe partim ſimile, partim diſſimile.

eſſe partim ſimile,partim diſsimile rei viuenti, quæ ex alimento nutritur: ſi enim eſſet omnino ſimile,non egeret concoctione; ſi autem eſſet omnino diſsimile, non poſſet omnino decoqui; vel ſaltē difficillimè decoqueretur. Aduertendum tamen eſt ſæpe accidere, vt illud alimētum,quod reſpectu vnius viuentis eſt optimū, reſpectu alterius ſit venenum ptopter varietatem temperamētorum. Imo ille cibus, qui in vna regione eſt venenoſus, in alia deponit venenū,vt accidit in malis perſicis,quæ in Africa ſunt venenoſa,non ita verò apud nos.Iuuat etiam multùm conſuetudo , per quam ſtomachus paulatim aſſueſcit his potius cibis, quàm alijs. Vnde aliquando factum eſt,vt aliqui homines veneno nutrirētur; quia à principio aſſueuerunt cibis venenoſis in modica quantitate. Hinc etiam fit,vt Struthio ferrū decoquat,imo & aurum abſumat ptopter calidiſsimum temperamentum,accedente etiam priuata alia facultate,quæ ſimul operatur in ferrum.

Purum elementum non poteſt eſſe alimentum.

21. Atque hinc colliges purū elementum in ſuo naturali ſtatu non poſſe eſſe alimentum proximum alicuius viuentis, quia eſt omnino diſsimile. Ex elementis verò permixtim ſumptis, & extra naturalem ſtatum poſitis, nō repugnat viuentia aliqua nutriri, vt patet in arboribus,& fructibus, imo & in piſcibus,& lumbricis,& in conchilijs, quæ rupibus adhæreſcunt.Idem etiam dicunt aliqui de Cameleonte, quòd nutriatur ex aëre terræ vicino.

Proximum alimentum eſt ſanguis.

22. De reliquis viuentibus aſſerendum eſt proximam,& communem materiam, ex qua proximè nutriuntur,eſſe ſolum ſanguinem: nullumque ex alijs humoribus per ſe, ac ſeorſim acceptum nutrire: ſi enim omnes humores proximè deſeruirent ad nutritionem, omnes toto corpore vagarentur. Secundò, quia alimentum debet eſſe calidum,& humidum,ac dulce,teſte Galeno lib. 1. de alimenti facultate, qualis eſt ſolus ſanguis; ergo &c. Negandum tamen non eſt pituitam, quæ proximè ad ſanguinem accedit, facilè in ſanguinē conuerti,& proximè inſeruire nutritioni; imo aliquādo aliquæ eius partes, ſaltem minutiſsimæ, ſimul cum ſanguine conuertuntur in ſubſtantiam aliti, non tamen per ſe ſeorſim.

Nō omnia membra ex ſanguine proximé nutriuntur.

23. Aduertendum tamen eſt, quamuis commune alimentum omnium membrorum ſit ſanguis; aliqua tamen ex illis non nutriti proximé ex ſanguine, ſed ex alia ſubſtantia, in quam priùs cōuertitur ſanguis: nam nerui iuxta medicorum,& Ariſtotelis ſententiā lib.3.de anima c.5. & lib. 2. de partib.anim.c.6. proximé nutriuntur ex ſubſtantia quadā alba,& glutinoſa;oſſa verò aluntur ex medulla. De ventriculo, vtrū etiam ſanguine nutriatur, vel ex ſolis partibus melioribus chyli, ſunt variæ opiniones.Probabilius tamen eſt ali, tam ex ſanguine, quàm ex illis partibus chyli.

Fames,& ſitis ad quid in animantibus.

24. Ne autē animalia ſine alimēto,& ex inopia cibi deficerēt, data eſt in illis fames,& ſitis: nam

cum vita animantium præſertim conſiſtat in calido, & humido, addito etiam frigido, & ſicco; data eſt fames, & ſitis, vt ita poſsent in viuentibus conſeruari; nam fames *Eſt appetentia calidi, & ſicci.* Sitis verò *Eſt appetẽtia, humidi, & frigidi.*

Quid ſit fames, & quomodo fiat.

Ad famem igitur multa concurrunt. Primum eſt membrorũ exinanitio præ defectu alimenti. Secundum eſt attractio quædam membrorum, per quam ad ſe curant attrahere alimentum vndecumque. Tertium eſt diuulſio vẽtriculi, ad quem vltimò terminatur iſta attractio, cum acri quodã motſu. Quartum eſt ſenſio talis attractionis, quæ præſertim ſenſio fit in ore ventriculi. Vltimò ſequitur actus quidam appetitus ſenſitiui dolentis de illa diuulſione: & in hoc actu formaliter conſiſtit fames. Deinde datur alius in appetitu, per quem appetit externum alimentum, vt præſenti neceſsitati occurrat; qui actus appetitus ſupponit cognitionem in phantaſia de illa diuulſione, & inopia alimenti, & de cibo conuenienti ad inopiam ſubleuandã: poſtea ſi phantaſia proponit cibum præſentem, vel alibi exiſtẽtem, imperat appetitus potentiæ motiuæ, vt moueat membra ad quærendum cibum.

Potus ad quid proſit in viuentibus.

25. De ſiti dicendum eſt primò, quamuis potus non nutriat, niſi fortè vinum, prodeſſe tamen maximè nutritioni. Primò, quia vehit alimentum, & per venarum anguſtias ei aperit viam. Secundò, quia iuuat maximè ad concoctionem, præſertim ad illã, quæ fit in ſtomacho, & eſt veluti elixatio. Tertiò, quia medio potu, qui in ventriculo incaleſcit, elicitur ex cibo decocto vtilior ſuccus: ſicut ex oleis attritis, & calida perfuſis elicitur oleum. Quartò, quia tẽperat ſiccitatem membrorum, & feruorem ſanguinis, ac remoratur vim calidi, humidum depaſcentis; ſicut ſal dum in oleo liqueſcit remoratur ignis voracitatem.

Sitis quomodo fiat.

26. Deficiente igitur in membris hoc ſucco, areſcunt membra, fitque attractio membrorum ſimilis ei, quæ fiebat deficiente alimento; & iſta attractio terminatur vltimò ad fauces, in quibus præſertim ſentitur quædam diuulſio, ex qua generatur dolor in appetitu, & in hoc actu doloris conſiſtit formaliter ſitis, quæ definitur *Senſio vellicationis facta potiſſimùm in ventriculo, æſophago, & faucibus ex attractione potus.*

Illius definitio.

Deficit autem ſuccus in membris ex aſſuera eius conſumptione: vel facta diſſolutione æſtu, aut balneis; item ex iecoris, aut lienis calida intemperie, aut inardentium febrium iactatione, aut ex eſu alicuius cibi ſalſi, vel ex alijs cauſis exſiccantibus.

Hidropici.

Interdum verò hidropici ſentiunt maximam ſitim, quamuis ſuccus in membris non deficiat, quia intra ventriculi mẽbranulas, aut intra venas habent humorem quemdam ſalſum, & illuc non poteſt aqua pertingere.

DE ACCRETIONE, ET Decretione.

QVÆSTIO V.

Quid ſit accretio, & quomodo à nutritione differat?

CAP. I.

1. Accretio eſt *productio quantitatis*. In viuẽtibus autẽ ſumitur pro acquiſitione nouæ quãtitatis, quæ vniatur ad pręiacentem in viuente: & ſic accepta comitatur nutritionem, quia cum noua parte materiæ aduenit noua quantitas, ſiue iſta quantitas de nouo producatur, ſiue tantùm vniatur alteri quantitati Aduertendum tamen eſt accretionẽ in viuentibus, vel ſumi pro acquiſitione qualibet quantitatis, ſiue ſit maior, ſiue minor quàm ea, quæ deperditur; vel ſumi pro acquiſitione maioris quantitatis, quàm ſit ea, quæ per vim naturalis caloris, & propter alias cauſas deſinit eſſe in viuente.

Quibus modis ſumatur accretio.

2. Decretio ſimiliter poteſt ſumi pro amiſsione cuiuſuis quantitatis; vel poteſt ſumi pro amiſſione maioris quantitatis, quàm ſit ea, quæ de nouo aduenit. Et vtroque modo diſtinguitur ab accretione tamquam aliquid negatiuum à motu poſitiuo, vt eſt probabilius, & in phyſicis diximus tractatu primo, quæſtione 13. c. 1. §. Dubium tamen eſt.

Decretio multipliciter ſumitur.

3. Si autem comparemus accretionem cum nutritione; ſunt actiones ſpecie diuerſæ, vt oſtendunt termini formales, & intrinſeci, quos producunt. Sunt etiam actiones realiter diuerſæ, ſicut & termini. Accretio tamen eſt ſpecies infima, nutritio autem in cõmuni eſt quoddam genus, quod ſub ſe habet varias ſpecies nutritionum.

Accretio, & nutritio differunt ſpecie.

4. Petes vtrùm viuens dum viuit ſemper augeatur, & accreſcat? Reſpondetur, ſi accretio ſumatur pro acquiſitione maioris quantitatis, quàm ſit ea, quæ deperditur, viuens non ſemper accreſcere dum viuit; ſi autem ſumatur pro acquiſitione alicuius quantitatis, ſiue maioris, ſiue minoris, ſemper viuens accreſcere dum viuit, ſicut etiam ſemper nutritur, vt ſupra diximus. Ad hoc verò notandum eſt potentiã nutrientem habere præſertim tres ſtatus in viuente, v.g. in homine, in quo à primo ortu vſque ad vigeſimum quintum annum, vel ad vigeſimum primum, eſt potentia nutriendi quaſi in ſua iuuentute, & eſt efficacior ad augendum; ideoque vſque ad hanc ætatem parùm, minuſuè, creſcunt homines in longitudinem, quia tunc eſt potentia nutritiua potens pro-

In quo ſenſu viuens ſemper accreſcat.

Status potentiæ nutriendi multiplex.

ducere

ducere oſſa in longitudinem, & ſimul in latitudinem, niſi obſtent aliqua impedimenta. Secundò ſequitur veluti florida ætas, in qua potentia nutriendi tantum reſarcit, quantum aliunde labitur, & aliquid amplius apponit ad latera. Tandem ſequitur tertia ætas, in qua, arefacto iã corpore, calor, & nutriens virtus etiam ſeneſcit, & minus apponit, quàm dilabatur, quouſque calore, & humido extincto, mors ſequitur in iis, qui præ nimia ſenectute moriuntur.

Humani corporis incrementũ.

5. De humani corporis incremento docet Ariſtoteles lib. 1. de generat. animal. cap. 18. in primo quinquenio comparare dimidiã ſtaturam, quam ſublatis impedimentis acquiret in toto vitæ decurſu. Quamuis alij dicant habere hoc dimidium in primo triennio. Optima autem ſtatura hominis, ſeu corporis humani *Quatuor cubitis Geometricis definitur.* Vt autem hæc ſtatura comparetur præcipua cauſa eſt altrix facultas, & iuuat maximè primum temperamentum á parentibus collatũ; iuuat etiam ſyderum influxus, alimenti copia, & qualitas, & alia ſimilia, ex quorum defectu oritur, vt maneant aliqui infra hanc ſtaturam.

Et optima ſtatura.

Vtrùm accretio fiat in omnibus viuentis partibus, & vtrùm ſit motus continuus in quouis poro?

CAPVT II.

Pori quid ſint in viuentibus, & quorſum dentur.

6. Aduertendum prius eſt in corporibus viuentium dari quaſdam exiguas cauitates, & meatus, quos natura miniſterio caloris, & aliarum cauſarum efficit, & quos poros vocamus, vt per eos exeant humores; & dantur præſertim, vt ibi recipiantur partes ſanguinis minutiſſimæ, & in ſubſtantiam aliti conuertantur: alioqui vel daretur penetratio duorum corporum, vel nutritio fieret maximo cum dolore. Diffunduntur autem iſti pori per totum corpus, ſicut etiã nutritio fit in toto corpore.

Accretio fit in omnibus partibus.

7. Atque hinc fit, vt dum viuẽs nutritur omnes partes, quæ propriè nutriuntur, etiam augeſcant, ſeu acquirant quantitatem aliquam de nouo cum noua parte materiæ; ſi autem pars aliqua iam aruit, ſicut tunc non nutritur, ita etiam non augetur.

Eſt motus continuus.

8. Quòd attinet ad ſecundam partem tituli, quæ petit, vtrùm accretio facta in quouis poro ſit motus continuus? Reſpondetur affirmatiuè; nam poſtquam forma primò eſt introducta in ſufficientem materiam cum ſufficiente quantitate, non eſt inconueniens aſſerere, quòd poſtea non introducatur in tam minimam partem materiæ, vt non prius introducatur in minorem; ſed hoc non fit niſi per motum; ergo tam nutritio, quàm accretio in quouis poro facta eſt motus continuus. Si autem loquamur de omnibus accretionibus, quæ fiunt in omnibus poris, cum ſint actiones diuerſæ, non poſſunt dici inter ſe continuæ.

Digitized by Google

In quo ſenſu non ſit vnus ſimplex motus.

nuæ. Qui autem dixerit nutritionem ſubſtantialẽ fieri per momenta,& non eſſe motum continuum, (quod fortaſſe eſt probabilius) idem conſequenter dicet de accretione facta in ſingulis poris; nam cum forma ſubſtantialis in prima generatione non introducatur,niſi in inſtanti, quo perficiuntur diſpoſitiones, ita etiam probabile eſt fieri in nutritione, quæ eſt altera generatio partialis, ſeu adgeneratio.

Vtrùm corpus, quod rareſcit, nouam acquirat quantitatem, & accreſcat?

CAP. III.

Opinio aliquorum de corpore quod rareſcit.

9. ALiqui exiſtimarũt quãdo corpus rareſit, deperdere omnino priſtinam quantitatem, & aliam de nouo comparare. Et fundamentum erat, quia vbi datur noua extẽſio,datur noua quãtitas,ſed in rarefactione datur noua extenſio;nam quando cera rarefit oriuntur ibi noua puncta, & conſequenter nouæ partes quantitatis, ipſaque reſpondet, & extenditur per maius ſpatium; ergo datur ibi noua quantitas.

Secunda opinio.

10. Alij aſſerebant non deperdi equidem præiacentem quantitatem,ſed tamen aduenire aliam de nouo, ſicut in intenſione qualitatis non deperditur pars illa, quæ præiacebat, ſed aduenit alia pars de nouo eidem parti ſubiecti. Ad fundamentum primæ ſententiæ reſpondetur, verum quidem eſſe in rarefactione dari maiorem extenſionem, ſed ad hanc extenſionem non requiri maiorem quantitatem,ſed ſufficere illam, quæ præiacebat cum nouo modo. Vnde non acquirũtur ibi noua pũcta, ſed ea quæ antea reſpondebant dimidietati vaſis v.g, poſt rarefactionem, reſpondent toti,quia partes,quas nectunt,antea non erant rarefactæ,nunc autem ſunt rarefactæ.

Reijcitur prima.

11. Ad fundamentum ſecundæ dicendum,in intenſione qualitatis acquiri nouas partes, quia eadem qualitas replicatur in eadẽ parte ſubiecti: at verò in rarefactione non acquiritur noua quãtitas,neque noua materia,ſed eadem quantitas,quæ antea erat,& eadem materia reſpondet nunc maiori ſpatio, quia eſt ſub nouo modo exiſtendi. Reijcitur ſecunda.

12. Dicendum igitur eſt in rarefactione non deperdi præiacẽtem quantitatem, neque nouam aliam comparari. Quòd non deperdatur quantitas præcedens, inde probatur, quia vnum accidens vno è tribus modis perire poteſt. Primò ratione contrarij. Secundò, quia cauſa illud deſinit conſeruare. Tertiò, quia perit ſubiectũ, ſed in rarefactione quãtitatis non datur aliquod contrarium, quia quantitas non habet contrarium. Deinde cauſa, quæ antea conſeruabat quantitatem, non deſinit conſeruare eamdem. Tertiò ſubiectum non perit; ergo nulla datur ratio cur deperdatur quantitas præiacens. Vera ſententia proponitur.

13. Quòd autem non acquiratur quantitas de nouo in rarefactione,inde probatur,quia,vel illa

noua quantitas reciperetur adæquatè in materia præiacente, vel in aliqua eius parte, ſed vtrumque eſt falſum: nam eadem materia, & eadem pars illius nõ poteſt recipere magis, & minùs de quantitate, cùm quantitas non ſuſcipiat magis, & minùs; ergo non aduenit in rarefactione noua quantitas. Dices aduenire nouam quantitatẽ cum noua parte materiæ. Sed contra, quia in rarefactione non ſemper opus eſt, vt detur corruptio alicuius ſubſtantiæ præiacentis, aut vicinæ, neque generatio alterius ſubſtantiæ, vel adgeneratio; ergo non poteſt aduenire noua materia.

In rarefactione omnes partes quãtitatis fiunt extenſiores.

14. Dicendum ſecundò eſt in eo, quod ſecundùm ſe totum rarefit, omnes particulas quantitatis, & materiæ, etiam minimas, fieri extenſiores, non per acceſſum nouæ quantitatis, ſed quia eadem numero quantitas, quæ antea minùs perficiebat materiam, nunc dũ ſe explicat, & euoluit, eam ſimul explicat, & euoluit, ideoque magis perficit, acquirendo tantũ de nouo modum quemdam amplioris extẽſionis, & ad quantitatem, prout ſtat ſub iſto nouo modo, terminatur motus rarefactionis. Et præter iſtum motum datur alius tendens ad raritatẽ, quæ eſt qualitas quædam diſtincta à quantitate, & ſubſtantia, quæ rarefit. Datur etiam motus localis, per quem acquiritur noua præſentia partium in loco.

Dubium.

15. Petes, vtrùm ſine rarefactione, & ſine additione nouarum partium poſſit Deus ex paruo facere magnum? Reſpondetur ſi Deus eaſdem partes materiæ, & quantitatis ponat in diuerſis ſpatijs, rectè poſſe ex paruo facere magnum; ſi tamen ponat eaſdem partes in diuerſis locis, neque nouas partes addat, aut eaſdem rarefaciat, probabilius eſt non poſſe ex paruo facere magnum. Quando autem Eua dicitur facta ex coſta Adami, non eſt ſenſus, quòd ex ſola materia illius coſtæ fuerit facta: addidit enim De⁹ alias partes materiæ, quidquid aliqui reclament. Atque ex dictis colliges per condenſationem non deperdi aliquam quantitatem, ſed deperdi qualitatem quamdam, quæ vocatur raritas, & manet eadem quantitas, ſed ſub minori extenſione locali, & cum alia qualitate veluti oppoſita raritati, quæ dicitur denſitas, iuxta probabiliorem opinionem.

Solutio.

Quid per condenſationem deperdatur, & acquiratur.

16. Aduertendum tamen eſt raritatem, & denſitatem aliquando ſumi pro veris qualitatibus, aliquando ſumi pro certa quadam poſitione partium: ſi ſumãtur hoc ſecundo modo, etiam raritas, & denſitas dantur in cælo, & ſyderibus; ſi ſumantur primo modo, nõ dantur in cælo, alioqui cæli eſſent corruptibiles: quamuis aliqui nõ vereantur in cælis cõcedere propriam raritatem, & denſitatem qualitatiuam. Reliqua, quæ hoc loco dici poterant de agentium, & patientium contactu, de diſtinctione agentis à paſſo, & de actione reflexa, iam ſupra diximus ſufficienter tractatu primo. Solũ de reactione ſunt aliqua attingenda.

Raritas, & denſitas quomodo dentur in cælo.

DE

DE MIXTIONE, ET QVID ſit, quomodo ve fiat.

QVÆSTIO VI.

Vtrùm inter agens, & patiens eiuſdem ordinis detur actio reciproca?

CAP. I.

1. VT explicetur quid ſit mixtio, oportuit hanc præmittere quęſtionẽ, quæ maximè inſeruit ad illius notitiam. Inter cælum igitur,& res ſublunares nõ poteſt dari actio reciproca, quia agentia ſublunaria nihil in cælũ operantur, quia ſunt materiæ diuerſæ, & naturæ incorruptibilis. Solùm ergo procedit quæſtio de agentibus,& patientibus ſublunaribus corporeis; nam agens ſpirituale non poteſt pati ab agente corporeo. Quærimus igitur, vtrũ quando ignis agit in aquam frigidam inducendo in illam calorem, etiam ab illa accipiat aliquod frigus?

Cælum non repatitur.

Senſus quæſtionis.

2. Reſpondetur affirmatiuè, vt oſtendit ipſa experientia: videmus enim ſi calida frigidæ miſceatur,reddi aquam repidam. Itẽ ſi gelu calida manu apprehendatur, liqueſcere propter calorem, quem accipit à manu, & ſimul manum ipſam frigefacere. Et ratio eſt,quia cauſa naturalis applicata paſſo agit quantum poteſt; ergo ſi poſsit vincere reſiſtentiã illius,inducet in illud ſuum effectum. Deinde,quia ſi in cauſis corporeis non admitterentur iſtæ repaſsiones, non daretur generatio plurium mixtorum, neque medicamenta poſſent fieri applicando actiua paſsiuis,ſeu applicãdo vnũ medicamentum maximè calidum alteri frigido. Item non poſſet in animali recuperari ſanitas ſemel amiſſa, propter exceſſum caloris verbi gratia.

Reſolutio illius.

Ratio.

3. Eſt tamen difficultas in explicando modo, quo fiant huiuſmodi reactiones, & repaſsiones. Miſsis ergo varijs opinionibus, notandum eſt in omni actione,de qua loquimur, tam ex parte agẽtis,quàm ex parte patientis,poſſe dari actiuitatem, & efficaciam ad producendas diuerſas, & contrarias qualitates. Notandum ſecundò eſt ex parte vtriuſque poſſe dari reſiſtentiam priuatiuam, per quam ſubiectum quamuis ſit aptũ ad formam contrariam recipiendam, tamen illi ægrè cedit, ſine vlla tamen reſiſtentia poſitiua: vt cum ſaxum durum reſiſtit fractioni, & nauis reſiſtit tractioni. Notandum tertiò præter hanc reſiſtentiam priuatiuam dari aliã poſitiuam, & contrariam, quæ tunc datur,quando ſcilicet hoc agens per ſuam actionem debilitat vires

Multiplex reſiſtentia.

contrarij

contrarij agentis, ſeu paſsi, ne in illud poſsit reagere: vt quando aqua reſiſtit igni producendo in illo aliquod frigus.

Comparantur quatuor primæ qualitates quoad actiuitatem. & reſiſtentiam.

4. Notãdum quartò ex primis quatuor qualitatibus, per quas naturalia agẽtia corporea ferè ſemper operantur, calorem eſſe magis actiuum, ſed habere minus reſiſtentiæ priuatiuæ. Deinde ſequitur frigus. Tertiò humiditas. Quartò ſiccitas, quæ habet minus actiuitatis, & plus reſiſtentiæ. Vnde morbi ex ſiccitate ducti difficiliùs ſanantur. In actione igitur, & reactione agentis, & paſsi non eſt comparanda actiuitas vnius cum actiuitate alterius, ſed actiuitas vnius cum reſiſtentia alterius. Atque hinc fieri poteſt, vt illud, quod agit, poſsit repati à ſubiecto, in quod agit, quia quãuis qualitas illa, per quam agit, ſit magis actiua, habet tamen minus reſiſtentiæ, quàm habeat actiuitatis illud ſubiectum, in quod agens operatur; verbi gratia ignis agit per calorem in aquam, quia calor eſt magis actiuus, & vincit reſiſtentiam frigoris, quod eſt in aqua. Aqua reagit in ignem, quia actiuitas frigoris poteſt vincere reſiſtentiam caloris priuatiuam; & ſic de alijs ſimilibus. Quòd ſi actiuitas vnius agentis ſit æqualis reſiſtentiæ alterius, vel etiam minor illa, tunc non dabitur actio, quia hæc numquam dari poteſt niſi á proportione maioris inæqualitatis. Et in hoc ſenſu dicitur actio eſſe à vincente.

Agens corporeum nō repatitur à quocumque patiente.

5. Vnde colliges agens corporeum non repati à quocumque patiente, quia aliquando poteſt eſſe tam exigua reſiſtentia, vt ſtatim per contrariam qualitatem diminuat omnem actiuitatẽ patientis. Poteſt etiam reſiſtentia huius agentis eſſe tam maxima, vt non poſsit vinci ab actiuitate patientis. Aduertendum deinde eſt, quãuis aliquod agens in principio agendi repatiatur, tamen in decurſu actionis, poſtquam vincit totam reſiſtentiam paſsi, tunc ſe reducere ad ſuam priſtinam, & naturalem qualitatem, reficiendo illum gradum, vel gradus, qui á contrario ſunt imminuti, ac tandem perfectè aſsimilare ſibi paſſum, & illud in ſe conuertere.

Vtrùm detur mixtio, & quid ſit?

CAP. II.

Aliqua præ notantur.

6. **V**T hæc difficultas ſoluatur, & rectè explanetur, notandum priùs eſt inter compoſita phyſica ſublunaria quædam dici ſimplicia, quædã mixta. Corpora ſimplicia ſunt quatuor elementa in ſuo naturali ſtatu. Corpora autẽ mixta ſunt reliqua omnia. Dicuntur autem elementa corpora ſimplicia, non quòd ſint materiæ, & formæ expertia, ſed quia non habent omnes quatuor primas qualitates, ſed vnam in ſummo, aliam in excellenti, tertiam verò in gradu infimo. Reliqua verò compoſita phyſica ſublunaria dicuntur mixta, quia conſtant quatuor primis qualitatibus, ſaltem in aliquo

gradu.

gradu. Quando igitur ex duobus elementis, vel ex pluribus generatur aliquod viuens, illa generatio dicitur mixtio, & genitum appellatur mixtum.

Quomodo fiat mixtio, & quando.

7. Mixtio igitur hoc modo accepta definitur à philoſopho. *Mixtio eſt mixtilium alteratorum vnio.* Nomine, *Mixtilium*, intelliguntur elementa, quæ in vnum locum concurrentia per aliquas ſui partes alterantur, & exuendo proprias formas elementorũ induunt formam mixti alicuius. Non eſt tamen opus, vt ad generationem cuiuslibet mixti concurrant omnia elementa, ſed ſufficiunt duo, quæ inter ſe pugnent, & ex iſta pugna euadat immediatè quoddam mixtum. Imò aliquando poteſt fieri mixtum ex materia vnius tantùm elementi; nam ſi duo inter ſe pugnent, priùs poterit produci in materia vnius ea temperies qualitatũ, quæ requiritur ad formam alicuius mixti, quàm producatur ea, quæ requiritur ad formam elementi ſuperantis.

Lib. 4 Meteor. cap. de putredine.

Definitio mixtionis proponitur, & explicatur.

8. Vnde colliges ad mixtionẽ debere ſaltem duo elementa inter ſe pugnare, & producere eam temperiem qualitatum, agendo, & repatiendo, quæ requiritur ad formam mixti. Tandem debet vniri, & produci forma mixti, & in hac vltima actione propriè cõſiſtit mixtio, & ita ab Ariſtotele definitur. Aliquando tamen vſurpatur pro actionibus antecedẽtibus, ſumpta verò propriè ita poteſt clarius definiri. *Mixtio eſt generatio facta ex mixtilibus alteratis.*

Altera definitio mixtionis.

9. Dari igitur hanc mixtionẽ in confeſſo eſt apud omnes Philoſophos, & ipſa experientia notum: videmus enim ex terra, & ex pluuia enaſci plures beſtiolas, v. g. ranas, muſcas, & mures. Et ratio eſt, quia elementa, cùm ſint corpora ſimplicia, ad hoc ordinantur, vt ex illis fiant ſaltem aliqua mixta eo modo, quo explicauimus. Quæ ſit autem cauſa efficiens principalis horum effectuũ conſtat ex alibi dictis.

Probatur dari mixtionem.

10. Hinc colliges elementa nõ manere in mixtis ſecundùm ſuas proprias formas; alioqui mixta nõ eſſent compoſita per ſe, ſed aggregatum quoddam plurium formarum in eadem materia. Secundò, quia multa corpora ſe inuicem, ac naturaliter penetrarent. Tertiò, quia formæ elementorum non poſſunt dici conſeruari ſub eadẽ temperie quatuor qualitatum, quã requirit, & habet forma mixti in materia. Solùm ergo dicuntur elementa manere in mixtis virtualiter, quatenus ſcilicet in mixtis manent quatuor primæ qualitates, quæ conueniunt elementis in gradibus intenſis; quãuis in mixtis maneãt in gradibus magis remiſsis.

Elementa nõ manent in mixtis ſecundum proprias formas.

11. Petes, vtrùm quando vnum vinum miſcetur alteri vino, vel vna aqua alteri aquæ, maneat ibi vtraque ſecundùm propriam formam, an reſultet quædam tertia? Reſpondetur probabilius eſſe vtramque manere; quamuis non maneant duo indiuidua, ſed vnum tantùm factum ex duobus. Atque hinc colliges, ſi ſpeciebus vini conſecrati addatur alterum vinum non conſecratum, adhuc

Liquor eiuſdem ſpeciei additus alteri non mutat ſpeciem.

manere ibi Chriſti ſanguinem, quia ſi ibi adeſſet vini ſubſtantia non deperderetur per aduentum alterius vini, ſed maneret eadem, quamuis coniuncta cum alia.

Quid ſi vnus liquor ſpecie diuerſus miſceatur alteri?

12. Petes ſecundò, vtrùm ſi vnus liquor ſpecie diuerſus miſceatur alteri liquori amittat propriam formam, verbi gratia, quãdo aqua miſcetur vino an deſinat eſſe aqua, & vertatur in vinũ? Reſpondetur ſi aquæ portio, quæ vino inijcitur, ſit in parua quantitate, ita vt poſsit illius reſiſtentia ſuperari ab actiuitate alterius liquoris; tunc eſſe in vinum conuertendam. Vnde ea gutta aquæ iniecta in calicem ante conſecrationem proculdubio mutatur in vinum, & poſtea in Chriſti ſanguinem. Non eſt tamen de fide ibi conuerti illam guttã aquæ in vinũ; ſed eſt probabilius. Si autẽ vterque liquor ſpecie diuerſus ſit in magna quantitate, ita vt vnus non poſsit alium in ſe conuertere, vel producetur vnus tertius, & duo priores corrumpentur, vel manebit vterque ſecundùm propriam formam.

DE QVATVOR PRIMIS QVALITATIBUS, & de mixtorum temperamentis.

QVÆSTIO VII.

Vtrùm dẽtur quatuor primæ qualitates, & quo modo definiantur?

CAP. I.

Definitio quatuor primarum qualitatũ.

1. EX cõmuni philoſophorũ vſu quatuor primæ qualitates dicũtur *Illæ, quæ nec ex alijs, nec ex ſe mutuò fiunt, ſed ex ipſis oriuntur cætera quæ reperiuntur in mixtis*; ſi tamen lucem excipias, quæ potiùs eſt cauſa caloris, quàm effectus ipſius, aut alicuius alterius qualitatis. Excipienda etiam eſt figura, & aliæ qualitates occultæ, ſi fortè dantur: reliquæ autem qualitates ſecundæ, vt ſapor, odor, color, leuitas, & grauitas, raritas, & denſitas oriuntur ex varia permixtione, & temperie quatuor primarũ qualitatum. Imò etiam ſonus ex hac permixtione, & temperie quatuor primarum qualitatum videtur oriri. Similiter mollitudo, & durities, vt oſtendit ipſa experientia.

Secundæ qualitates.

Dantur primæ qualitates, & ſunt inter ſe diuerſæ.

2. Quòd autem iſtæ qualitates primæ dentur, & ſint inter ſe diuerſæ, probatur primò in elementis, quorum ſingula in ſuo naturali ſtatu vendicant ſingulas qualitates ex iſtis quatuor primis,

mis, & per illas operantur veros ac reales effectus. Dari etiam in mixtis patet ex varijs operationibus, & ex nomine ipſo, quia ideo dicuntur mixta, quòd hiſce quatuor qualitatibus conſtent in aliquo gradu, ita vt ex duabus contrarijs adæquentur octo gradus. Vnde non ſunt audiendi illi, qui ſolas duas admittebant qualitates primas, nempe calorem, & humiditatem; frigus verò, & ſiccitatem aſſerebant eſſe tantũ quaſdam priuationes illarum duarum.

Definitio calidi.

Ariſt. lib. 2. de generat. cap. 2.

3. Definitiones harum quatuor primarum qualitatum ita propoſuit Ariſtoteles in concreto. *Calidum eſt, quod ea congregat, quæ ſunt eiuſdem generis.* Vt patet in auro, quod per calorem ignis congregatur, & ab alijs metallis ſecernitur. *Frigidum eſt quod congregat tam ea quæ ſunt eiuſdem generis, quã quæ ſunt diuerſi generis.* Vt patet in aqua congelata, in qua ſæpe reperiuntur congregata ligna cũ paleis, & alia ſimilia. *Humidum eſt quod proprio termino non terminatur, cum tamen facilè terminetur alieno.* Ita patet in aqua, quæ relicta ſuæ naturæ facilè labitur, ſi autem includatur in vaſe facilè detinetur. *Siccum eſt quod proprio termino facilè terminatur, ſed difficilè alieno.* Vt patet in ferro, & lapidibus. Has tamen definitiones potiùs tradidit Ariſtoteles ex veterum doctrina, quam ex ſua. Ex his quatuor qualitatibus duæ ſunt magis actiuæ, & duæ ſunt magis paſsiuę: nempe calor, & frigus ſunt magis actiui, & ideo definiuntur per verbum actiuum *congregare.* Aliæ duæ ſunt magis paſsiuæ, & ideo definiuntur verbo paſsiuo, *Terminari facilè, vel difficilè.* Dicuntur etiam iſtæ magis paſsiuæ, quia habent plus reſiſtentiæ.

Definitio frigidi.

Humidum definitur.

Siccum quid.

4. Petes, vtrùm omnes iſtę quatuor qualitates vbicumque reperiantur, ſiue in gradu remiſſo, ſiue in intenſo, ſint eiuſdem ſpeciei: Reſpõdetur probabilius affirmatiuè: vnde calor ignis, & calor à Sole productus, & calor natiuus aëris ſunt eiuſdem ſpeciei, & eoſdem poſſunt edere effectus, & poſſunt ſe mutuò intendere. Et idẽ ſimiliter probari poteſt de alijs tribus qualitatibus, quæ vbicũque reperiuntur, habere poſſunt eoſdem effect⁹, & ſe mutuò intẽdere.

Omnes calores ſunt eiuſdẽ ſpeciei, & ſic de alijs qualitatibus primis.

De varietate temperamentorum.

CAPVT II.

5. Varia temperamẽta in mixtis oriuntur ex varia temperie quatuor primarum qualitatum. Vnde falſa eſt eorum opinio, qui aſſerebant temperamentũ conſiſtere in quadã relatione. Dubiũ tamen eſt, an tẽperamentum ſit in mixtis aliqua qualitas diſtincta à quatuor primis, vt eſt grauitas verbi gratia, ſeu potiùs ſit ipſęmet quatuor qualitates in certa quadam proportione, & tẽperie graduali? Aliqui primum aſſerunt probabiliter; ſed probabilius eſt hoc ſecundũ, quia illa quinta qualitas, in qua cõſiſtat tẽperamẽtũ, eſt ſuperflua

Vnde oriatur varietas temperamentorum.

Temperamentum non eſt relatio, aut qualitas diſtincta à quatuor primis.

Deinde vna, & eadem qualitas nõ poteſt eſſe cauſa illius maximæ varietatis, quam cernimus in temperamentis, & complexionibus viuentium. Tertiò, quia ſanitas & ægritudo in animantibus prouenit ex eo, quòd illæ quatuor qualitates habeant, vel nõ habeãt certam proportionem, & temperiem, qua ſtante datur ſanitas, & illa notabiliter mutata, ſtatim datur ægritudo.

Variæ diuiſiones temperamentorum.

6. Temperamẽtorũ diuiſiones varias tradunt medici. Primò diuiditur temperamentum, in temperamentum vniforme, & difforme. *Vniforme eſt illud, in quo omnes quatuor qualitates ſunt in gradu vt quatuor.* Difforme autem *Eſt illud, in quo aliqua qualitas excedit, vel in quo duæ qualitates excedunt*: quod aliter dicitur *Temperamentum difforme compoſitum.* Quando igitur temperamentũ ita ſe habet, vt in eo calor excedat, tale tẽperamentum dicitur *cholericum.* Si excedit calor, & humiditas, vocatur *ſanguineum* ſeu *aereum.* Si frigus, & humiditas, vocatur *phlegmaticum.* Si frigus, & ſiccitas, appellatur *melencholicum.* Præter has ſpecies tẽperamentorum, aliæ poſſunt dari innumeræ pro diuerſa combinatione quatuor qualitatum, ſed iſtæ ſunt præcipuæ.

Alia diuiſio.

7. Diuiditur deinde temperamentum, in temperamentum exquiſitum, & non exquiſitum. *Exquiſitum eſt illud, quod eſt omnibus modis proportionatum, non ſolùm in qualitatum gradu, ſed etiam pro ratione ætatis.* Temperamentum nõ exquiſitum, eſt quoduis aliud.

Dubium.

Dubium tamen eſt, vtrùm temperamentum exquiſitum fuerit datum in aliquibus viuentibus, præſertim hominibus? Reſpondetur probabilius eſſe, fuiſſe datũ primis parentibus in ſua prima productione, & in corpore Chriſti Domini. Hoc etiam erit in corporibus Beatorum. Vnde corpora Beatorum nullum habebũt morbum, & ſemper ſeruabunt idẽ temperamentum inuariatum; iuuante ad hoc etiam impaſſibilitatis dote, quæ, iuxta Theologorum ſententiam, erit, *Qualitas quædam, qua Beatorum corpora tueatur, ne aliqua varietas in eis accidat circa quatuor primas qualitates.* Illud verò temperamentum exquiſitum, quod datum eſt in corpore mortali Chriſti Domini, variebatur pro varietate ætatum, & in ſingulis ætatibus erat illud exquiſitum, quod tali ætati congruebat: & ideo Chriſtus Dominus nullum habuit morbum. Si tamen mortalem vitam continuaſſet vſque ad ſenium, deficiente paulatim natiuo calore, in morbum, & in ſenium incidiſſet, niſi aliter à Deo eſſet prouiſum.

Solutio.

Altera diuiſio temperamenti.

8. Diuiditur præterea temperamentum, in temperamentũ ad pondus, & temperamentum ad iuſtitiam. Verùm hæc diuiſio nõ eſt diuerſa à ſuperioribus, quia temperamentum ad pondus dicitur, *Illud, in quo omnes quatuor primæ qualitates ſunt in æquilibrio, ſeu in gradibus æqualibus.* Quod ſupra diximus eſſe temperamentum vniforme, & vix dari poteſt in rerum natura, niſi fortè in aliquibus mixtis non viuentibus: nam viuentia cùm conſtent parti-

bus

bus eterogeneis, non poſſunt habere totum temperamentum ad pondus, non tamen repugnat habere illud in aliqua parte, ſaltem ad breue tempus. Temperamentum verò ad iuſtitiam eſt *Illud, in quo qualitas aliqua, vel omnes ſunt inæquales*: nam cùm hoc temperamentum non ſit vnum tantùm, ſed multiplex, diſtribuitur viuentibus, pro naturæ, & formarum diuerſa dignitate, & perfectione: & ideo vocatur temperamẽtum ad iuſtitiam, quia in eo diſtribuendo, ſeruatur quodammodo, quædam ratio iuſtitiæ diſtributiuæ.

Temperamentum ad iuſtitiam quid.

De Præſtantia humani Temperamenti.

CAPVT III.

Eſt præſtantius reliquis.

9. Hvmanũ temperamẽtum, penſatis omnibus, eſt reliquis præſtantius, quia quò forma eſt nobilior, eò præſtantius exigit temperamentum quatuor qualitatum in materia. Secundò, quia in humano temperamento dominantur duæ præcipuæ qualitates, nempe calidum, & humidũ, cùm vita noſtra præſertim in calido, & humido ſita ſit: quamuis etiam requirat frigidum, & ſiccum, vt minus principalia. Hoc tamen non tollit, quominus temperamentum partiale alicuius organi in alijs animantibus ſit præſtantius, quàm in homine. Qua ratione temperamentum videndi in Aquila eſt præſtantius, quã in homine, ſimiliter temperamentum odoratus in cane, & vulture. Hæc tamen præſtantia eſt tantùm ſecundum quid, & non ſimpliciter, neque à toto genere, vt aiunt.

Obuiam itur aliquibus obiectionibus.

10. Neque obſtat, quòd homo imbecillior naſcatur, quàm reliqua animalia, nam hæc imbecillitas in primo ortu prouenit ex abundantia humidi, quod eſt omnino neceſſarium ad vitam hominis propagandum; nam cum homo habeat multum caloris, opus etiam fuit habere multũ humidi, quod eſt pabulum caloris, & paulatim incipit abſumi, quouſque minuatur in ea proportione, in qua poſſint exerceri actiones aliquæ, quæ præ nimia humiditate antea non exercebantur. Viſitur autem hoc impedimentũ potiùs circa actiones animales, & motum localem, quia pendent maximè á cerebro, ex quo diriuantur nerui, qui à primo ortu propter nimiam cerebri humiditatem, non ſunt ita ſolidi, vt exigunt actiones animales, & potẽtia motiua.

Vnde oriatur rectà conſtitutio membrorũ in corpore humano.

11. Atque ex hoc præſtantiori temperamento oritur in hominibus præſtãtior conſtitutio mẽbrorum, quæ eſt recta; primò, quia abundantia caloris in ſublime corpus effert, vnde ſenes deficiente iam calore paulatim incuruantur, itavt propter hunc defectum iure dixerit quidam,

Cornel. Gall.

Hinc eſt, quòd baculo incumbens rui tura ſenectus
Aſsiduo pigrã verbere pulſat humũ,
Et numeroſa mouens certa veſtigia paſſu,

Talia rogato creditur ore loqui.
Suſcipe me Genitrix, nati miſerere laborum,
Membra velis gremio feſſa fouere tuo.

Ad quid ſtatura recta homini data.

12. Conſtat etiam homo ſtatura recta, vt intelligat ſibi datos fuiſſe ſenſus à natura, non ſolùm vt vtilia quærat, ſed maximè vt cæleſtia contempletur; & conſideret ſe ad altiora conditum. Vnde Philo Iudæus in libro de plantatione Noe *Hominem appellat arborem, non terreſtrem, ſed cæleſtem, quæ perinde cælum aſpiciat, & non in terra hæreat.* Conueniebat etiam maximè hæc ſtatura, ne homo cogeretur manibus repere, & illarũ vſu priuari ad alias nobiliores functiones obeundas.

Philo.

Quod temperamentũ ſit ingenio aptius.

13. Petes quodnã ex quatuor temperamentis, quæ communiter ſolent recenſeri, ſit aptius ad excellentiam ingenij? Aliqui pugnant pro ſãguineo; alij pro cholerico; alij pro phlegmatico, ac tandem alij pro melencholico. Vt tamen rem expendamus aduertendum primò eſt omnes hominum animas, & conſequenter intellectus eſſe eiuſdem ſpeciei, & remotis impedimentis, poſitiſque iiſdem principijs iuuantibus intellectum, poſſe eadem obiecta æqualiter intelligere. Quia tamen dum anima eſt in corpore, noſter intellectus in ſuis operationibus pendet à phantaſia, & phantaſmatibus, ideo pro diuerſitate phantaſmatum poteſt etiam dari in intellectu diuerſus modus cognoſcendi eadem obiecta.

Varietas in cognoſcendo vnde proueniat.

Phantaſia in ſuis operationibus,

14. Notandum ſecundò phãtaſiam in ſuis operationibus pendete maximè ex temperie quatuor primarum qualitatum, ſeu ex vario temperamento, quod datur in homine. Vnde prouenit, quòd ingeniorum varietas præſertim ſumẽda eſt, tãquam ex radice, à varietate cognoſcendi facilius, vel difficilius, citius, vel tardius, quæ datur in phantaſia. Pendet autem maximè phantaſia ex tali, vel tali temperamento cerebri, quod eſt immediatum ſubiectum phantaſiæ. Cùm autem ad bonitatem temperamẽti iuuent, non ſolùm parentes in prima diſpoſitione materiæ, ſed etiam plura alia, vt ſunt cælorum influxus, regionis diſpoſitio, qualitas ciborum, aëris temperies, & alia plura, inde fit vt ad excellentiam ingenij, vel ad tarditatem illius hæc omnia maximè conducant.

pendet maximè à quatuor qualitatum temperie.

Reſoluitur quæſtio.

15. His animaduerſis dubium eſt, quod nam ex quatuor vulgaris temperamentis ſit aptius ad præſtantiam, & acumen ingenij, quod tam varium experimur in hominibus? Miſsis controuerſijs, aſſerimus illud temperamentum in homine eſſe præſtantius, & aptius ad excellentiam ingenij, quod ex bilis, & melencholiæ permixtione conſtat, quia propter bilim facilè quis apprehendit, & velociter diſcurrit; propter melencholiam verò in ſe rem meditatur aſſiduè, & de illa conſtanter iudicat. Secundò, quia propter flauã bilem attenuantur ſpiritus, & phantaſmata euadunt puriora; iuuãte etiam ad hoc ſiccitate melencholiæ, quæ, cum ſicca ſit, caret recrementis, quæ poſſunt ſpiritus, & phantaſmata conturbare.

Negandum

Temperamentum ſanguineũ eſt aptius ad functiones naturales.

16. Negandum tamen non eſt temperamentum ſanguineũ, cæteris paribus, eſſe aptius ad alias actiones vitales nutriendi, vegetandi,& ſimiles,non tamen ita eſt aptum ad functiones animales, quia eſt magis humidum; temperamentum verò ſimpliciter bilioſum, quamuis ſit aptum vt quiſq; celeriter res apprehendat, & diſcurrat, deficiente melẽcholia, deficiet maturitas in iudicando, & eligendo, ac retinendo. Phlegmaticum autem temperamentũ eſt omnium ineptiſsimum, quia ob defectum caloris multa habet recrementa,& eſt nimis craſſum, ac terreum.

Phlegmaticum ineptiſsimum.

De partium anni, ac ætatum temperamentis.

CAP. IIII.

17. Qvatuor anni tempora, ſunt Ver, quod incipit mẽſe Martio, durat que per alios duos menſes inſequentes, Aprilem ſcilicet, & Maium. Temperamentum Veris eſt quod ſit humidum, & calidum. Sequitur deinde Æſtas menſibus Iunio, Iulio, & Auguſto, quæ eſt calida, & ſicca. Tertiò ſequitur Autumnus menſe Septẽbri, Octobri,& Nouembri, cuius temperamentum eſt ſiccum, & frigidũ. Tandem Hyems Decembri menſe, Ianuario,& Februario. Eſt autẽ Hyems frigida,& humida.

Ver quamdiu duret. *Illius temperies.* *Æſtas,& illius temperamentum.* *Autumnus.* *Hyems.*

18. Cauſa præcipua harum varietatum in menſibus anni apud nos ſunt cæleſtium ſphærarum motus,& Solis conuerſiones, acceſſus, & receſſus à nobis : dum enim Sol menſe Martio ad nos accedere notabiliter incipit gradiens per ſigna Arietis, Tauri, & Geminorum, efficit Ver. Dum verò ſupra noſtrum caput propriùs aſcendit,& ad nos mittit radios magis directos, & apud nos per plures horas detinetur percurrendo ſigna Cancri, Leonis, & Virginis,efficit Æſtatẽ. Poſtea deſcendendo iterum ad Auſtrum per ſigna Libræ,Scorpij,& Sagittarij Autumnum cauſat. In ſignis autem Capricornij, Aquarij, & Piſcium eſt Hyemis cauſa præcipua.Quæ temporum varietas ſit præſertim propter rerum generationem,ac fructuum ſationes,ac maturationes.

Quæ cauſa huius varietatis.

19. Quod attinet ad ætatũ tẽperamenta dicendum eſt pueritiam eſſe calidam,& humidam,vt ita membra adoleſcant. Et hoc indicat mollitudo,teneritas, atq; imbecillitas puerorum,& ſomnus etiam, qui pueris frequentior eſt, & exiguus intelligendi vſus:& per hanc ætatem ſunt organa humore plena,quaſi nebula.

Ætatum tẽperamenta,& varietas.

20. Iuuẽtus comparata ad pueritiam eſt calida,& aliquantulum ſicca. Virilis ætas eſt temperata. Senectus verò eſt frigida,& ſicca, vt teſtatur membrorum tremor, & curuitas , prouueniens ex defectu caloris, qui iam non poteſt membra ſuſtinere: ſiccitas verò indicatur in ariditate membrorum. Atque hæc de viuentium generatione , & adgenera.

tione, ac de reliquis actionibus, quæ iſtas duas, vel antecedunt, vel comitantur, vel ſubſequuntur, ſint ſatis.

DE RERVM INTERITV.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm omnia viuentia naturali lege debeant interire?

CAPVT I.

Pars affirmans omnino certa.

1. PArtem affirmatē oſtendit quotidiana rerum omnium experientia. Huius autem naturalis interitus, plures dantur cauſæ, quædam vniuerſales, aliæ particulares. Vniuerſales ſunt aſtrorum, ac cælorum influxus noxij, qui multoties generant morbos quoſdam vniuerſales, quod in magnis planetarum coniunctionibus ſoler euenire. Ex ijs noxijs influxibus probabilius eſt oriri peſtilentiam. Vniuerſalis etiam cauſa huius interitus, præſertim in mixtis, eſt contrariorum pugna, & maximè in viuentibus, quæ conſtant partibus eterogenijs. Eſt etiam cauſa præcipua illa actio, per quā humidum depaſcitur à calido, ita vt humidum non poſsit adæqualitatem reſarciri. Dantur etiam aliæ cauſæ externæ, vt aëris temperies, ciborum, ac regionum varietas, & ſimiles. Particulares verò cauſæ ſunt talis, vel talis ratio temperamenti magis, vel minùs diuturni, intemperantia cibi, & aliæ innumeræ, quæ noſtræ vitæ quodammodo inſidiantur.

Cauſæ huius interitus variæ.

Res inanimes difficiliùs intereunt.

2. Inter res naturales, cæteris paribus, difficiliùs intereunt res inanimes, quia res viuentes præſertim corrumpuntur ab intrinſeco. Deinde, quia formæ non viuentium perſeuerant diutiùs in materia ſine temperie qualitatū, quam requirunt; formæ verò viuentium, minimè. Inter viuentia illa ſunt diuturnioris vitæ, quæ habent temperamentum ſanguineum, cum humido quodam oleoſo, & magis reſinoſo: vt patet etiam in exanguibus, verbi gratia, olea, pinu & palma, ſi enim humidum ſit aqueum facilè perit, & calor extinguitur, vt apparet in piſcibus, & in herbis, & aliquibus arboribus.

Quæ ſint viuentis diuturnioris vitæ.

Mors in quo ſenſu dicatur homini naturalis.

3. Atque hinc colliges mortem eſſe hominibus naturalem, non quòd eam appetant naturaliter, ſed quia conſtāt ex quatuor qualitatibus, quæ inter ſe pugnant, & aliqua ex his deficiente, naturaliter ſequitur mors: non ſequeretur autem in primis parentibus, ſi in originali iuſtitia perſeueraſſent, neque ſequetur in Beatis, quia per ſupernaturale donum ſunt

immortales. Vnde mors ſi comparetur cum homine in ſtatu naturali,non eſt illi data in pænam, facta autem fuit nobis quaſi pæna,quatenus per peccatum amiſſum eſt illud donum, quod in ſtatu iuſtitiæ originalis faceret homines immortales.

Qua virtute priſci homines diu vixerint.

4. Petes vtrùm illi primi parẽtes, qui per longiſsimum tempus vitam prætraxere,quidã per nongentos,alij per ſexcentos, alij per octingẽtos annos, hoc habuerint naturaliter, an ex ſola ſpeciali prouidentia Dei? Reſpondetur poſſe quidem hoc accidere naturaliter, præſertim in illis, qui vixerũt ante diluuium. Primò,quia natura humana in his vegetior erat,ac fortior. Secundò,quia tũc erat maior cognitio medicamentorum,& virium naturalium,quæ ſunt in herbis, cõmunicata á primis parentibus. Tertiò, quia terræ fructus ante diluuium plùs habebant virtutis ad alendos homines. Quartò,quia tunc erat inter homines maxima temperantia,ac ſobrietas in cibo, & potu. De illis autem,qui poſt diluuium per longiſsimum tempus vixiſſe feruntur, probabilius eſt id habuiſſe ex peculiari Dei prouidentia.

Vtrùm per vires naturales poſsit idem, quod ſemel interijt, aut ſaltem diuinitùs redire?

CAP. II.

Opinio Platonicorum.

5. Affirmarunt Platonici dum aſſerebant peracto magno anno, cuius ſupra meminimus tractatu de cælo, & cælorum, ac ſyderum curſibus ad idem punctum,à quo inceperũt,redeuntibus,omnes ſimul naturales effectus,qui præterierunt,eſſe redituros eodem ordine, quo primo fuere. Alij ex Pytagoricis aſſerebant eaſdem animas iterum redire ad noua corpora. Alij alios in hac re errores effinxerunt, quos longum eſſet recenſere.

Opiniones aliorum.

Vera ſententia.

6. Fides tamen Catholica docet commentitiũ planè eſſe perpetuum illum rerum omnium circuitum,& animarum ad alia, atque alia corpora regreſſum. Imò contrarius error repugnat veræ philoſophiæ, quæ docet per vires naturæ non poſſe redire idem numero indiuiduum, quod iam ſemel interijt. Et ratio eſt, quia cauſæ ſecundæ determinantur ad producendum potius hoc indiuiduum numero,quàm illud, ex libertate cauſæ primæ, accedentibus etiam talibus, vel talibus circumſtantijs; ſed iſtæ circumſtantiæ non poſſunt naturaliter redire; ergo neque idem effectus. Quamuis autem Deus poſsit efficere,vt vna cauſa ſecunda producat ſemel,atque iterum eumdem numero effectum, tamen de potentia ordinaria hoc non facit, vt experientia ipſa oſtendit, quia vnus,& idem effectus non poſtulat iterum reproduci.

Ratio.

Idem ens permanens poteſt diuinitùs redire.

7. Vnde colliges, licet naturaliter idem effectus redire non poſsit,poſſe tamen redire diuinitùs.

tùs.

tûs. Quod præcipuè verum habet de effectibus permanentibus, nam in reſurrectione redibunt eadem hominis indiuidua, quæ priùs fuerunt, quia in hoc nulla apparet implicatio, præſuppoſita infinita Dei potentia. De entibus ſucceſsiuis, qualis eſt motus, & tẽpus dubitant aliqui, vtrum poſsint diuinitùs redire idem motus, & idem tempus reale? Et ratio dubij eſt, quia tempus hoc dicit reſpectum ad tempus imaginatium, ſed tempus imaginatium non poteſt redire; ergo nec tempus reale, quod iam præterijt, & conſequenter nec motus, qui tempore menſurabatur. Deinde, quia Deus non poteſt efficere ne ſucceſsiuũ dilabatur; ergo nec poteſt efficere vt ſucceſsiuum redeat.

De ſucceſſiuis eſt maius dubium.

8. Probabilius tamen eſt etiam ſucceſsiuum ens, quod iam ſemel tranſijt poſſe redire, quia in hoc nulla apparet implicatio, quæ optimè non ſoluatur: nam tempus reale non dicit tam eſſentialem reſpectum ad tempus imaginatium, vt non poſsit optimè reſpõdere alteri tempori imaginario. Vnde ſi reſtituatur idem motus, reſtituetur, vel reſtitui poterit idẽ tempus. Ad aliam rationem dicẽdum eſt de ratione entis ſucceſſiui eſſe, quod ſucceſsiuè fluat, & ideo non poſſe à Deo detineri, ne fluat quandiu exiſtit; at verò de ratione entis ſucceſsiui non eſt quòd iterum non poſsit fluere, & ideo poteſt redire, ſaltem diuinitus.

Probabilior eſt ſententia affirmans.

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

TRACTATVS IIII.

De Meteoris.

PROÆMIVM.

P*Oſtquam Ariſtoteles egit de generatione rerum in communi, ac de illarum interitu, accedit in hoc opere ad mixtorum naturam ſingulatim ſcrutandam, ideoque in quatuor Meteororum libris aliquorum mixtorum naturam explicat, præſertim eorum, quæ in ſublimi regione aeris oriuntur, quæ propterea Meteora nuncupantur, quòd in ſublimi generentur; id enim Græcum nomen* μετέωρον *indicat. Quapropter ſcientia de his rebus* μετεωρολογία, *id eſt,* Rerum ſublimium ratio, ac ſcientia *dici conſueuit. Et quamuis Ariſtoteles in his libris etiam ea tractet, quæ in viſceribus terræ fabricantur, qualia ſunt metalla; tamen quia præcipua ſunt ea, quæ in aere fiunt, ideo à præcipuis rebus, quæ in hoc opere tractantur, nomen impoſuit.*

DE CAVSIS, ET DE LOCIS IN quibus fiunt Meteora.

QVÆSTIO I.

De materia, ex qua fiunt Meteora.

CAP. I.

Duplex materia.

1. Meteora duplicẽ habent materiam, remotam vnam, alterã proximã. Remota eſt potiſsimùm terra, & aqua. Proxima eſt vapor, & exhalatio; nam omnia meteora partim fiunt ex vapore, partim conſtant exhalatione, partim ex vtroque. Vapor autem definitur *Halitus, ſiue ſpiratio calida, & humida, quæ ex humore aqueo prodit.* Vt eſt ille, qui ex olla ſubiecto igne aſcendit. Et ex hoc vapore oriuntur nebulæ, rores, nubes, pluuiæ, niues, grandines, & his ſimilia.

Vapor quid.

Exhalatio quid, & quotuplex.

2. Exhalatio *Eſt halitus terræ calidus, & ſiccus.* Qui duplex eſt: nam vnus propter maiorem pinguedinem, & craſsitudinem, facilè calorem, & ignem concipit. Hinc fiunt cometæ, & alia meteora ardentia. Alter eſt, qui non facilè incenditur, & non eſt ita tenax, nec pinguis, vt prior, ideoque nõ tam facilè poteſt ignem concipere, nec ad locum aëris altiorẽ perduci, ac proinde manet in ſecunda aëris regione, vel etiam in prima, vbi venti generantur ex hac ſpecie exhalationum.

Vapor, & exhalatio in quo conueniant, & differant.

3. Vapor igitur, & exhalatio partim inter ſe conueniunt, partim differunt. Conueniunt, quia vtrumque fumum imitatur. Secũdò, quia vtrumque habet calorẽ ab extrinſeco, nempe à Sole, & ſyderibus. Tertiò, quia de ſe frigiditatem poſcunt, cum adhuc terræ, & aquæ formam ſubſtantialem retineant. Differunt autẽ primò in forma ſubſtantiali: nam vapor habet formam aquæ, exhalatio formam terræ. Secũdò, quia vapor è locis humentibus excitatur, exhalatio è locis ſiccis, quãuis aliquando attollantur ſimul ex eodem loco habente admixtam aquam cum terra. Tertiò, quia vapor eſt calidus, & humidus, exhalatio calida, & ſicca. Quartò, quia vapor frequentiùs manet in ſecunda aëris regione: exhalatio verò tẽdit vſque ad ſupremã, quia terra de ſe eſt minùs frigida, & magis craſſa, ideoque maiorem calorem excipit, ac retinet, qui illam altiùs deuehit.

Qui exhalationes negabant, refelluntur

4. Hinc reijci poteſt opinio eorum, qui ſolùm vaporem è terra aſcendere exiſtimarunt negando exhalationes. Verùm ex eo refelluntur, quia tollunt de medio materiam cometarum, & ſtellarum volantium, ac ſimilium, quæ ex vapore tantùm fieri non poſſunt

Et qui plures addebant ſpecies.

Alij,quatuor fecere exhalationis, & vaporis ſpecies. Primam maximè calidam. Secūdā calidā,& humidam. Tertiam frigidā,& ſiccā, ex qua fiant venti. Quartam frigidam,& humidam, ex qua fiant grandines,& pruinæ. Refelluntur tamen,quia nulla expiratio frigida eſſe poteſt,cùm omnes virtute caloris excitentur. Dicendum igitur eſt duas tātùm dari ſpecies expirationum, quas proximè explicauimus, quarum formæ non differunt à formis illorum elemētorū,è quibus erūpunt, quidquid aliqui contradicant; ſolùm enim differunt accidētaliter per aliqua accidētia,quæ de nouo acquirūt, vt eſt calor,& raritas. Quod inde patet,quia prædicti halitus facilè redduntur ad proprias,ac natiuas qualitates, v. g. vapor facilè reſoluitur in aquam,ac redditur frigidus; exhalationes reſoluūtur in terrā,& ad natiuū frigus reuertūtur, nō per aliquid extrinſecum; ergo per ſuam propriam formam ſubſtantialem.

Vera ſententia.

De cauſa efficiente Meteororum, & de locis vbi fiunt.

CAPVT II.

Cauſæ attrahentes ſunt corpora cæleſtia.

5. Imprimis cauſa efficiens meteororū eſt ea,quæ ex terra, & aqua extrahit vapores, & exhalationes. Quod maximè præſtant virtute ſua corpora cæleſtia. Vtuntur autem ad hanc actionem tāquam inſtrumento potiſsimùm calore,qui aquā,ac terram peruadit, & attenuando aliquas partes, ſoluit eas in halitus, & concurrēte ſimul leuitate, quæ calorem conſequitur, & raritatē, feruntur in ſublime. Iuuabit etiā ad hanc tractionem virtus aliqua attractiua corporum cæleſtiū, & aſtrorum,vt videmus in illis ſyderibus, quæ ventorum materiam huc,atque illuc trahunt.

6. Cauſa autem quæ ipſaſmet impreſsiones, vt cometā, rorem, & ſimilia coagmentat,ac perficit, ſunt eadem corpora cæleſtia, ac cedente etiam calore, frigore, motu,alijſque ſimilibus. Iuuat etiā ad hoc maximè antiperiſtaſis, vt patebit inferiùs.

Loca in quibus fiunt meteora.

7. Quod attinet ad loca,in quibus fiunt meteora,quædam fiunt in ſinu terræ, præſertim in partibus cauernoſis, fungoſis, ſolidis, vliginoſis,ſulphureis, & bituminoſis. Alia fiunt in aquæ gremio, quæ ex ſe frigida eſt in ſummo, & humida in excellenti; aliquando tamen hìc calida inuenitur, alibi frigidiſsima: hìc dulcis,alibi ſalſa, nitroſa,aluminoſa, ſulphuroſa, & bituminoſa. Tertiò fiunt in aere, qui diuiditur in tres regiones, in ſimam,mediam,& ſupremā. Infima eſt ea, in qua viuimus. Media eſt ea,in qua nubes ſolent generari,quæ ad ſummum porrigitur per vndecim leucas Luſitanas, vt ſupra diximus,illiusque extrema ſuperficies manet infra aliquorum montium editiſsimorum iuga, vt eſt mons *Olympus in Theſſalia*, & *Athon in Macedonia*, in quorum cacumine aſperſus cinis manet per multum temporis, quia illuc venti,aut pluuię non pertingunt,

Tres aeris regiones & illarum proprietates.

Digitized by Google

ſed infra manent. Vnde illuc aues volare non poſſunt præ tenuitate aeris, nec homines aſcendere niſi ſecum ferant ſpongias aqua plenas, vt identidem ſugant ad refrigerandum cor.

8. Poſtea ſequitur poſtrema aeris regio, quæ propter ignis viã iam calidiſsima eſt, & vltra quod eius natura poſtulat: accedente etiam calore exhalationũ calidatũ, quæ illuc attrahuntur, & ſæpe incenduntur. Similiter iſta regio aeris, in qua viuimus eſt maximè temperata propter vitam animãtium. Media autem regio eſt maximè frigida, quod frigus accepit ab Auctore naturæ (non exigente hoc ipſa natura aeris) vt ibi poſſent generari pluuiæ, nubes, & grandines. Iuuat etiam ad hanc frigiditatem aſcenſio vaporum, qui poſtquam ad eam ſecundam regionem deferuntur, redeunt ad priſtinam frigiditatem, & fortaſſe iuuant etiam cæleſtes influxus, qui in eam regionem frigus imprimunt.

DE METEORIS ignitis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

QVÆSTIO II.

Numerantur, & explicantur varia meteora ignita.

CAP. I.

Meteora ignita.

1. PRæcipua Meteora ignita ſunt *Flamma*, *Capræ ſaltantes*, *Lancea*, *Sydera diſcurrentia*, *Stellæ cadentes*, *Ignis perpendicularis*, *Ignis fatuus*, *Ignis lambens*, *Draco volans*, *Caſtor*, & *Pollux*, *Helena*, *Fulgura*, *Fulmina*, & *cometæ*. De quibus omnibus ſigillatim. Materia igitur horũ omniũ proxima ſunt exhalationes. Cauſa efficiẽs ſunt aſtra. Inſtrumentaria eſt calor, & frigus circũſtans, ſaltem occaſionaliter, vel tamquã amouens prohibens. Finis autem horum meteorũ eſt conſumptio illatum exhalationum, quæ ferè ſemper noxiæ ſunt, & ſi non cõſumerentur ab igne, ſed iterũ ad nos deſcenderent, maximè officerẽt animantium ſaluti.

Eorum materia proxima, & cauſa efficiẽs.

2. Ex multiplici verò diſpoſitione exhalationum, ſecũdùm raritatem, denſitatem, ſubtilitatem craſsitiem, magnitudinẽ, vel paruitatem, & maiorem, minoremue leuitatem diuerſarum figurarum ignes accendũtur. Primum igitur Meteoron ignitum vocatur *Flãma*, ſeu *fax*, quæ tunc fit, quando aliqua materia in longũ, & latum extenſa concipit ignem, ita vt præ ſua tenuitate ſimul inflãmari poſſit, & paruo ſpatio duret; ea ratione, qua quantitas aliqua puluetis tormentarij bene ſpatſa in area Flamma quid.

quadam ignem conciperet. Secũdum dicitur *Capræ ſaltantes*, quæ tunc fiunt, quando materia exhalationum in longum protenſa, & non ita in latum, concipit ignem, habetque ad latera quaſi fila quædam inter ſe diſtincta, & non continuata, ad quæ, quando ignis diuertit, repræſentat ſaltus caprarum; & ideo hoc Meteoron dicitur capræ ſaltãtes. Vel potiùs quia fila illa materiæ ad latera repræſentant caprarum pilos.

Capræ ſaltantes quid.

3. Tertia eſt *Lancea*, quando ſcilicet materia exhalationis ſurſum porrigitur ad modum lanceæ, & tota accenſa perſeuerat, ac lanceã repræſentat. Ab alijs verò vocatur *Trabs*. Quartum ſunt *Sydera diſcurrentia*, quæ dupliciter accidũt. Primò quando materia quædam rotũda hìc accenditur in modũ ſyderis, & iſta accenſa inuitatur ignis ab alia materia ſimili, & benè diſpoſita: ſicut quando duæ lucernæ, vna accenſa, & altera proximè extincta coniunguntur, fumus extinctæ inuitat ad ſe ignem accenſæ. Secundò fiunt quãdo eadem materia accenſa in hoc loco admodum ſyderis, mutatur ad alium locum.

Lancea quid.

Sydera diſcurrentia.

4. *Stellæ cadentes* tunc fiunt quãdo ignis ab exhalatione correptus deorſum fertur tanta vi, vt emiſsi de loco ſuperiori iaculi ſpeciem exhibeat. Vnde apparẽt ſydera in mare, vel terram cadentia. Sequitur deinde *Ignis perpendicularis*, ita appellatus, quòd *perpendiculi* vel *pyramidalis columnæ* figuram præ ſe ferat, ita vt ſuperior pars columnæ ad perpẽdiculum eleuatæ, inferior verò baſis figuram repræſentet. *Ignis fatuus* tũc fit, quando exhalatio viſcoſa, ac bene conglutinatis in ſe partibus conſtans accenditur in infima aeris regione per antiperiſtaſim nocturni frigoris, vel per colliſionem partium exhalationis inter ſe. Frequenter verò apparent huiuſmodi ignes in cæmeterijs, & in capitibus eorum, qui pendent in patibulis, eo quòd è cadaueribus iſtæ viſcoſæ exhalationes ſpirent.

Stellæ cadentes.

Ignis perpendicularis.

Ignis fatuus.

5. *Ignis lambens* eſt flamma quædam genita ex rara, & ſubtili materia, quæ per aerem diſperſa ſolet aliquando hominum, & equorum capillis inſidere; oriturq; aliquãdo ex ſudore animalium præ caliditate temperamenti, quando ſimul ex ſe viſcoſum humorẽ proferunt. *Draco volans* tunc fit, quando halitus non admodum calidus, neque nimium compreſſus in ſublime fertur, & occurrens frigidæ nubi per antiperiſtaſim ignescit; quia tamen frigidæ nubis impulſu flectitur, & curuatur, repræſentat draconis ventrem, & videtur tamquam ex ore ſcintillas euomere, & pars poſterior, quę nubem attingit, refert quaſi conſtrictam caudam.

Ignis lambens.

Draco volans.

6. *Caſtor, Pollux, & Helena*, fiunt ex halitu maximè viſcoſo, & pingui; inflãmantur per antiperiſtaſim aeris, vel per colliſionem. Apparent nauigantibus in tempeſtate, aliquando duo, aliquando vnum tantùm ex his luminibus. Vnde veteres, quando apparebant duo, credebãt eſſe *Caſtorem, & Pollucem*. Quando vnum tantùm, dicebant eſſe *Helenam* & tũc

Caſtor, Pollux, & Helena.

infauſtum exitum portendere; quando autem apparebant duo, fauſtum. Cuius nulla phyſica ratio reddi poteſt. Illud tamen naturale eſt, quòd ſi hæc lumina huc, atque illuc diſcurrant, prænunciant ventos, ac tempeſtates, à quibus iam agitantur. Si autem in antenis quieſcant, indicant ſerenitatem.

De tonitru, fulgure, & fulmine.

CAPVT II.

Variæ opiniones de tonitru.

7. DE generatione tonitrus fuere apud veteres diuerſæ ſententiæ: nam Anaxagoras, & Empedocles exiſtimarunt fieri quando ignis in nube frigida, & rorida extinguitur, ad eum modum, quo candens ferrum, quando aquæ immergitur, efficit quemdam ſonum. Hæc tamen ſententia inde refellitur, quia ex ea ſequeretur nos in generatione tonitrus viſuros fumum aliquem maximum, & non coruſcationem claram, vt videmus. Alij aliter opinabantur.

Vera ſententia.

8. Ex ſententia tamen Philoſophi lib. 2 huius oper. cap. vlt. ita ſe habet generatio tonitrus. Quando exhalatio ſicca, & calida in craſſam aliquam nubem ingreditur, accidit, vt per nubis cauitatẽ huc, atque illuc moueatur, & eo motu, vel etiam per antipariſtaſim incaleſcat, ac rarefiat, ac proinde ampliorem locum poſcat. Nubes verò interim magis, ac magis præ frigore coarctatur, tunc exhalatio, quæ intus eſt, ad nubem adacta viam ſibi maximo impetu aperit, ac nubem ſcindit, & ſic fit ille ingens ſonus, quem tonitruum vocamus: ſicut quando ligna, vel folia, quæ intra ſe habent ſiccas exhalationes, accedente igne rarefiunt exhalationes intus latentes, ac diſrumpunt ligna, vel folia, eduntque ſonitum aliquem. Vnde tonitrua tunc accidunt, quando magna ſuppetit copia exhalationum, & præſertim in ijs regionibus, quæ illis abundant. Non eſt tamẽ opus, vt quoties nubes tonant, ſemper accendatur, & igneſcat exhalatio, quia ad ſonum edendum ſufficit ictus vehemens in corpore idoneo. Dicunt etiam aliqui fieri tonitruum aliquando ex colliſione nubium inter ſe. Imò etiam fieri poteſt ex colliſione aliorum corporum, verbi gratia, ex colliſione aquæ marinæ, & aeris, vel terræ, vt accidit in ſonitu maris, vel etiam ex colliſione fluctuum inter ſe.

Variæ ſententiæ de fulgure.

9. De fulgure ſimiliter variç fuerunt ſententiæ. Quidam dixerunt eſſe ignem, qui ex æthere diſtillat. Alij eſſe ignem ſolaribus radijs accenſum. Dicendum tamen eſt cum Ariſtotele libro ſecundo huius operis capite vltimo, fulgur non eſſe aliud, quàm *Exhalationem in nube accenſam, & ignei coloris.* Quæ accenſio potiſsimũ fit ex vehemẽti colliſione ad nubis latera; quæ flamma, quãuis in nube ſit poſterior, quàm tonitruum, tamen priùs videmus fulgetrum, quàm audiamus

Quid ſit fulgur ex ſententia Ariſtotelis.

tonitruum,

tonitruum, quia viſio celeriùs fit, quàm auditio propter celeriorẽ traiectionem ſpecierum viſus, quã auditus. Aliquando etiam accidit. vt coruſcatio appareat, & nullus ſonus audiatur, quia nubes tenuis eſt, & exhalationi diſcurrẽti facilè cedit.

Fulmen quid.

10. Fulmen *Eſt exhalatio ignita è nube magno impetu excuſſa.* Vnde patet fulmen non eſſe lapidem, vt vulgus putat; quamuis aliquando ſimul cum fulmine lapis aliquis emittatur, qui intra nubem concreuit ex copia exhalationum, & *Cuneus* vocatur. Quòd ergo fulmen non ſit lapis, probatur ex maxima illius tenuitate. Fulminis igitur exhalatio eſt admodum ſicca, inceditur que per motum, vel per antipatiſtaſim, & quia accenſa rareſit, ac maximo impetu exit è nube, eodem impetu fertur ad terras, neque in aëre cõuertitur, vt plures aliæ impreſſiones ignitæ; licet etiam hoc interdum accidat in fulmine, quod mitiori vibratur ictu. Deſcendit autem plerumque fulmẽ obliquo motu, quia ratione ignis vult tendere ſurſum: at verò ratione exhalationis terreæ deſcendit ad locum infimum, & ideo fit quaſi tertius motus, donec victa ignis reſiſtentia deorſum feratur recta via.

In quibus oris fiant rariùs fulmina, & in quibus frequenter.

11. Fiunt hyeme rariora fulmina propter frigus nimium, quod non ſinit ita aſcendere exhalationes. Vnde etiam in regionibus frigidis ſunt rara fulmina. Cadunt tamen frequẽtiùs Vere, & Autũno, quia tunc aſcendunt exhalationes aptiores. Vnde etiam frequentiſsimè cadunt in ijs regionibus, quæ ſemper habent eam aeris temperiem, quam experimur Veris, & Autumni tempore.

In quo differant fulmen, fulgur, & tonitruum.

Differt fulmen á tonitruo, & à fulgure, quia tonitruum eſt ſonus ille, quem explicauimus: fulgur autem eſt ignis accenſus in materia rariori, & minùs compacta. Item, quia fulgur eſt ignis in nube incluſus: fulmen eſt ignis è nube vibratus: & alias plures habẽt differentias, quæ ex dictis patent.

Tria fulminum genera.

12. Tres fulminum differẽtias tradit Seneca lib. 2. naturalium quæſtionum cap. 40. Plinius lib. 2. cap. 43. & cap. 50. & alij, nimirum quod terebrat, quod diſcutit, & quod vrit. Quod terebrat eſt nimium ſubtile, & flameum, & per anguſtiſsima etiam foramina tranſit. Quod diſcutit conſtat materia craſsiori, & ideo ſuo ictu rumpit, & non perforat. Quod vrit habet multum caloris; & parum flammæ, vt accidit in ferro candenti.

Effectus fulminis.

13. Habent autem fulmina varios effectus & admirabiles; nam ea, quæ fulmine feriuntur ſolent priùs intremiſcere vibrata vẽto, quem fulmen ante ſe præmittit. Feriunt primò ſummos montiũ vertices, quia feruntur obliquo motu. Et de eo refert Plinius lib. 2. cap. 55. & lib. 37. cap. 10. quòd laurum non feriat, nec corallium, nec lupum marinum, aut aliquid illius pelle circumtectum, neque aquilam, neque lapidem hyacinthum, neque qui hyacinthum ferat ſecum. Hæc tamen commentitia videntur, & nullo, vel ſaltem exiguo nixa phyſico fundamẽto. Illud tamen certum eſt, quòd

Mirabiles fulminis effectus.

fulmen aliquando relinquit intactum dolium, & totum vinum intùs conſumit. Similiter vaginā enſis relinquit integram, & ferrū larens redigit in cineres. Item relicto ſacco integro liquefacit aurum, vel argenrum, quod intùs latebat. Similiter aliquando inregra carne comminuit oſſa. Accidit verò hoc maiori ex parte, quia quò materia magis cedit exhalationibus ignitis fulminis, eò minùs in ea detinetur; quò verò magis reſiſtit, magis ibi moratur, cū autem ferrum, & æs magis reſiſtant, ideo etiam comburuntur illæſa vagina, & ſacco. Similiter dolium cedit fulmini, vinum autem ob nimium calorem, aliquādo ſiccatur. Aliquando etiā ictum fulmine concreſcit, ſaltem ex parte extima per aliquot dies: poſtea verò, ſi bibatur, inducit in amentiam, propter noxias qualitates, quas accepit ex fulmine. Inrerdum etiam accidit, vt res venenatæ fulmine tactæ venenum amittant, exurente illud fulmine.

De Cometis, & eorum præſagijs.

CAP. III.

Variæ opiniones de cometis.

14. Quod attinet ad materiam cometarū diſcrepantes fuere opiniones; quidam aſſerebant eos fieri ex materia cæleſti, & eſſe ſtellas quaſdam errantes. Imò aliqui addebant eſſe plures ex ſeptem planetis, qui aliquando inter ſe coniungebantur. Alij, eſſe planetam alium diuerſum à ſeptem, qui nobis per aliquod tempus occultatur, & per aliquod tempus apparet. Alij, eſſe plures ſtellas errantes, quæ ſe modò oculis exhiberent, modò occultarent. Hæ tamen ſententiæ omnes falſæ ſunt, nam apparētibus ſeptem planetis in diuerſis locis, adhuc apparet cometa in alio diuerſo loco; ergo non poreſt eſſe coniunctio aliquorum planetarum è ſeptem. Item, quia planetæ non digrediuntur à circulo Zodiaci, cometæ verò apparent aliquando maximè remoti ab iſto circulo. Tertiò, quia cōiunctio vnius planetæ cum alio breui ſpatio durat, vt apparet in eclypſi Solis, & in nouilunio; cometæ verò durāt ſæpius per multum tempus. Si autem cometæ eſſent vna tantùm ſtella errans, numquam viderentur plures cometæ, quod eſt contra experientiam. Quòd autem non plures ſint ſtellæ erranres, probatur, quia ſemper nobis apparerent, ſicut nobis apparent alij planetæ, & hoc amplius ex infra dicendis cōſtabit. — Refelluntur.

15. Dicendum igitur eſt cum Philoſopho lib. 1. huius operis c. 7. & alijs, cometas non cōſtare materia cæleſti, ſed ſublunari, & illorū materiam eſſe exhalationes terreas, calidas, & ſiccas, ac multū pingues & craſſas, in quibus ignis ſemel accenſus per aliquod tempus detinetur pro qualitate, & quantitate exhalationum. Huius rei ſignum eſt, quòd quando cometæ apparent turbulentiſſimi ventorum flatus, ac nimia ſic- — Verior ſententia.

citas

citas eſſe conſueuit; vnde ſignum eſt quòd tunc magna copia exhalationis ſiccæ aerem occupat. Deinde probatur idem inſtitutū, quia cometa aliquando ex paruo fit magnus, & ex magno paulatim minuitur, quod non contingit in ſyderibus, neque in alia materia cæleſti. Tertiò, quia Mathematicis inſtrumentis deprehenditur, cometam conſiſtere infra Lunam, & in aeris regione; ergo non poteſt conſtare niſi ex materia quam aſsignauimus.

Cometæ in qua aeris regione fiant.

16. Generantur autem cometæ præſertim in tertia aeris regione, vt teſtatur eorum motus: voluuntur enim ſimul cum cælo, ab Oriente in Occidentem, & ſi per motum ab Occaſu in Ortum aliquantulum retardenrur; ſed ſola tertia regio aeris ita voluitur; ergo in illa præſertim generantur cometæ. Secundò, quia conſtat á ſuperficie terræ vſque ad finem ſecundæ regionis eſſe tantùm diſtantiam vndecim leucarum, at verò diſtātia comerarum à nobis eſt multò maior. Accenduntur cometæ, vel propter motum, vel decidentibus flammulis ex regione ignis, vel eiaculato igne ex aliqua nube inferiori. Gignuntur autem cometæ præſertim Autūno. Docuit tamen experientia in quolibet anni tempore generari cometas. Durant aliquando per ſeptem dies tantùm, aliquando etiam per octoginta, aliquando per plures; neque habent certos ſuæ durationis limites, ſed pro ratione materiæ, & ignis abſumētis illam; ſi enim materia fuerit multa, & indies accreſcat, durabit multum cometa, ſi autem fuerit in parua quantitate, durabit parum. Item ſi ignis fuerit lentus non ita citò deuorabit pabulum, &c.

Quibus modis accendantur.

Eorum duratio.

Alius motus cometarum.

17. Præter motum ſupra notatum, mouentur etiam cometæ à Septentrione in Auſtrum, vel ad alias partes per vim alicuius ſydetis dominantis, & attrahentis ipſam materiam cometæ. Videntur etiā moueri ſurſum, vel deorſum, quatenus illis deficit materia, vel ex parte ſuperiori, vel ex parte inferiori: vel etiam ab aliquo ſydere ſurſum euocantur. Apparentes cometarum colores varij ſunt, ac diuerſi, pro diuerſitate materiæ, & pro maiori, vel minori dēſitate, aut taritate illius, vt etiam accidit in noſtrate igne.

Varietas colorum in cometis vnde.

Diuiſio cometarum.

18. Diuiditur cometa communiter in crinitum, barbatum, & caudatum. Quando enim exhalatio in medio craſsior eſt, & in partibus extremis rarior, & ſubtilior, ita vt lumen circūquaque veluti crines fundat, dicitur crinitus cometa. Si autem exhalatio verſus vnam partem in longum protendatur, caudatus appellatur, ſi modicè extendatur, barbatus nuncupatur. Alij per plures alias ſpecies cometarū propter diuerſas eorum figuras enumerant, ſed tres prædictæ ſunt præcipuæ.

Præſagia cometarum.

19. De præſagijs cometarum. Primum eſt vehemens vētorum flatus, quia quando in tertia regione cometæ gignuntur, in ſecunda aeris regione, manet multa copia exhalationis, quæ ſit apta ventorum materia. Secundum eſt maris tempeſtates, quæ ex

ventis

ventis oriuntur. Tertium eſt ſiccitas,& ſterilitas, quia euocato è terra ſucco,ſtatim conſequuntur. Quartum terræ motus. Quintũ aeris intemperies, quam ſiccus,& venenoſus halitus inducit. Sextum morbi ex calidi & ſicci abũdantia prouenientes. Peruulgatũ etiam eſt Ptincipum mortes per cometas ſignificari, vel quia à Deo aſſumuntur tamquam ſigna ex inſtituto diuino, vt illas portendant, & ad hoc ex Dei imperio per cauſas naturales operantis aliquando incenduntur, & congregantur exhalationes, vt docet Damaſcenus lib. 2. fidei cap.27. vel quia Reges dilicatiùs viuunt, & ideo per aeris intemperiem faciliùs in morbos incidunt. Verùm hoc vltimum eſt nimis remotum, ac valde friuolum,quia multi pueri, & vulgares homines dilicatiores ſunt,quibus tamen cometæ, nec mortem afferunt, nec prænuntiant. Solùm igitur credit vulgus per cometas ſignificari naturaliter alicuius principis mortem,quia potentiũ mors magis notatur, quàm hominum vulgarium.

20. Petes,vtrùm illa ſtella, quæ Magis apparuit,Chriſto nato, in Oriente fuerit verũ ſydus, an potiùs aliquis cometa? Relictis opinionibus. Reſponderut prædictam ſtellam neque fuiſſe aliquam de cæleſtibus, neque fuiſſe proprium cometam,ſed nouũ quoddam, & inſolitum Meteoron angelica, vel diuina virtute efformatum ex materia ſublunari, & eximia luce conſperſum, quod non ſuapte vi,ſed Angeli alicuius miniſterio deferebatur: & quãdo Magi Hieroſolymam ſunt ingreſſi,ſubtraxit Deus ſuum concurſum ne luceret, vel ne ſui imaginem mitteret ad Magorum oculos: ac tandem poſtquam ſuum munus adimpleuit in aetem euanuit. De ſtella, quæ Magis apparuit.

DE ALIIS METEORIS, QVÆ in ſublimi apparent.

QVÆSTIO III.

Quid ſit lacteus circulus.

CAPVT I.

1. De circulo lacteo diſcrepantes ſententiæ. DE hoc circulo fuere diſcrepantes philoſophãtium ſententiæ, teſte Ariſtotele lib.1. huius operis cap. 8. Damaſceno in phyſic.cap.15. Plutarcho lib.3.de placitis cap.1. Nam omiſſis fabulis de lacte Opis,vel Iunonis. De caſu,& cõbuſtione Phaetontis, & animarum ab inferis ad cælum via. De illuſtrium virorũ domo. De Solis conuerſione ob Thyeſtis facinus, dixerunt aliqui,

hunc circulum eſſe aſperginem quamdam ſyderei caloris, quo reliquæ mundi partes, quæ à Zodiaco diſtant, calefierent. Hæc tamē ſententia refellitur primò, quia talis circulus tranſit iuxta polos, & tamen ibi ſentitur maximus rigor frigoris; ergo &c. Deinde, quia non reddit cauſam illius maximi candoris, quem videmus. Tertiò, quia cælum, cùm ſit incorruptibile, non recipit calorē. Vnde etiam reijcitur alia opinio tenens prædictum circulum eſſe ſubſtantiam quamdam igneam in cælo.

2. Aliqui dixerunt eſſe compagem illam, per quā integra ſphæra facta ex duabus partibus nectitur. Alij in alias abiere opiniones nimium diſparatas. Imò ipſe Ariſtoteles lib. 1. huius operis cap. 8. hac in re deflexit ab ſcopo; aſſeruit enim lacteum circulum non conſiſtere in cælo, ſed eſſe concretionem multarum exhalationum in aere conſiſtentium, quas attraxit virtus ſtellarum, quæ in ea parte cæli ſunt, per quam trāſit circulus ille: ibique continuò deflagrare tales exhalationes, & alias de nouo aduenire. Vnde circulus ille non eſt vniformis, ſed alibi latior, alibi ſtrictior, iuxta qualitatem ſyderum, quibus reſpondent illius partes.

Opinio Ariſtotelis de lacteo circulo.

3. Hanc tamen Ariſtotelis ſententiam reijcit communis philoſophorum, & Aſtrologorum conſenſus, quatenus aſſerunt prædictum circulum non eſſe exhalationes terreas, quæ per tot annorum ſæcula non poſſent ita vniformiter durare, neque iam eſſet in mundo tanta materia exhalationū, quę hinc aſcenderet. Quòd autem ille circulus ſit in octaua ſphæra, inde probatur, quia compertum eſt moueri motu proprio illius orbis, (hoc eſt) vno gradu centum annis ab Occaſu in Ortum.

Refellitur.

4. Dicendum igitur eſt illum circulum eſſe multitudinem maximam minimarum ſtellarū, quæ in octauo orbe dātur in ijs partibus, in quibus videmus illū circulū quæ, cū præ exiguitate, ad noſtrum aſpectum peruenire non poſſint, efficiunt illam maiorem lucem confuſam, quæ nobis apparet, & videtur candor quidam. Vel ſunt partes eiuſdem cæli denſiores, quæ ex reflexione Solis, & aliarum ſtellarum candorem illū, ſeu ſplendorem emittunt. Eſt autem iſte circulus in aliquibus partibus geminatus propter maiorē latitudinem partiū cæli, vel ſtellarum. De hoc circulo multa Manilius lib. 1. Aſtronomicon. poſt Zodiaci deſcriptionem.

Verior ſententia proponitur.

De coloribus, qui in aere apparent, ac de alijs ſimilibus Meteoris.

CAP. II.

5. VEri colores, qui ex permixtione quatuor primarū qualitatum reſultāt, ſolùm dantur in corporibus mixtis. Colores autem apparentes ſunt illi, qui ex varia reflexione, & modificatione lucis nobis apparent, in ſe

Veri colores ſolùm dantur in mixtis.

Apparentes, qui, & in quo loco, & ex qua materia, & ex quibus cauſis.

in ſe tamen nō ſunt veri colores. Locus, in quo iſti colores apparent, eſt præcipuè aeris ſpatium. Materia verò eſt vapor, aut exhalatio, vel aer addenſatus, aut etiam aqua. Eorum forma eſt lux variè modificata. Cauſa autem efficiens eſt ea, quæ huiusmodi materiam addēſat, & præparat. Item corpora lucida, vel ardentia. Diuerſitas colorum apparentiū oritur ex diuerſitate materiæ, vel ex diuerſo aſpectu luminoſi. Aliquādo etiam ex qualitate medij. Item ex tali, vel tali intenſione, aut remiſsione lucis: nam quando illud, quod illuminatur, valde denſum eſt, apparet color quidā obſcurus, & vmbroſus. Si autem dēſum ſit, & humidum, apparet cæruleus color. Si autem materia ſit minus denſa, & aliquantulum rara, apparet ibi purpureus color; & ſic pro varietate horum colorum denuntiantur pluuiæ, venti, tempeſtates, & ſimilia. Item ſi exhalationes luci oppoſitæ ſint adhuc magis tenues, apparet phæniceus color. Et ſimiliter Sol, & alia ſydera apparent nobis diuerſi coloris, pro varietate medij craſsioris, vel tenuioris.

Vorago quid. 6. Ratione huius varietatis in exhalationibus, & in medio ſolent etiam in aere apparere quædam voragines, quando ſcilicet ſerena nocte aſcendunt exhalationes, quæ in medio quidem ſunt denſiores, ac propterea magis obſcuræ, & ideo nobis longiùs apparēt; in partibus verò extremis ſunt rariores, & excipiunt meliùs lumē à ſyderibus, ac proinde nobis apparent propiùs, & totum illud obiectum nobis apparet vt fouea, ſeu vorago, quæ ſi parua ſit dicitur etiam hiatus. *Hiatus.*

7. Si autem maxima aliqua ſpiratio æquali denſitate cum Sole, vel Luna, aut ſub alio planeta interponatur, ita vt radius planetæ, propter denſitatem ſpirationis, recta non poſsit tendere, apparet tunc ſub aſtro ſplendidus quidā circulus in morem coronæ, quem Græci ἅλον. Alon vocant. Aliquādo tamen ob defectum materiæ perfectus circulus non conficitur. *Corona, ſeu, Alon quid.* Iſta corona ſi magis, ac magis addenſatur aquam prænuntiat, quia eſt indicium plurium vaporum. *Illius præſagia.* Si autē totus circulus ſimul ſoluatur indicat ſerenitatem. Si ab aliqua parte incipiat minui, indicat ventos ex ea parte.

8. Apparēt etiam in nubibus, præſertim ad occaſum Solis, virgæ quædam diuerſi coloris, quæ fiunt quando nubes ob diuerſitatem partium ex quibus conſtat, quibuſdam rarioribus, alijs denſioribus, Soli opponitur, & ipſius radijs veſtitur diuerſimodè, pro varietate materiæ, ex qua nubes conſtat. *Virgæ quid.* Accidit etiam, vt quando Sol è regione inuenit aliquam nubem, quæ proximè in aquam ſoluatur, & ſit aquea, & diaphana, & ex altera parte, ſit terminata in modum ſpeculi, referat alterum Solem, vt ſæpe videmus accidere in aqua pelui contenta; atque ita plures Soles aſpicere videmur. *Plures ſoles vnde.* Accidit etiam, vt hæc nubes, in qua primò Sol repræſentatur, habeat ex aduerſo aliam nubem ſimilem, & hæc aliam, atque ita fiat multiplex reflexio, &

appareant tres, aut quaruor Soles; quæ apparitiones à Græcis dici ſolent *Parelia*. Quæ etiam parelia aliquando accidiſſe dicuntur in Luna : quando autem tres Lunæ apparent media eſt vera Luna : & ſimiliter quando apparent tres Soles. Hæc verò parelia portendunt pluuiam multò magis, quàm virgæ.

DE IRIDE, SEV ARCV cæleſti, & ventis.

QVÆSTIO IIII.

De natura, & ortu Iridis.

CAPVT I.

1. IVre optimo Eccleſiaſticus capite tertio ad cæleſtis arcus intuitum nos inuitat, vt eo viſo benedicamus Deum, qui fecit illum. Vnde Iris *Taumantis filia*, fabuloſè credebatur, id eſt *Filia admirationis*. De illius ortu, & natura variè ſenſere veteres Philoſophi. Vt tamen pateat quid ſit Iris, notandum eſt ad illius generationem cōcurrere Solem vt cauſam efficientem luminis: & nubem, tamquam cauſam materialem eiuſdem luminis. Debet autem nubes eſſe rorida, & quæ proximè in pluuiam ſoluēda ſit. Item ex ea parte, qua nos reſpicit, oportet quòd ſit tranſlucida; ex parte verò poſteriori, ſeu à tergo, debet eſſe opaca, & aliquantulum terminata, vt inde lux reſiliat more ſpeculi.

Quæ ad iridis generationem concurrant.

2. Iris igitur ita deſcribitur. *Iris eſt arcus multicolor in nube rorida, opaca, & concaua ex radiorum Solis oppoſiti reflexione apparens oculis ſpectantium.* Aduertendum deinde non cerni á nobis Irim, niſi quando ſumus medij inter Solem, & ipſam nubem, in qua fit Iris; quia cùm nubes ſit nobis quaſi ſpeculum, ex quo fit reflexio, oportet vt inter nos, & illam, nullum ſit corpus opacum, quod impediat reflexionem. Si autem nubes ſit inter Solem, & noſtrum aſpectū, cum ex ea parte, qua nos reſpicit, ſit opaca, non poteſt reflexio ad nos tranſmitti. Si autem Sol ſit inter nos, & nubem, dabitur maxima diſtantia reſpectu noſtri oculi, & ita non poterimus videre reflexionem. Maxima verò diſtantia, in qua Iris cerni poteſt, eſt ad tria milliaria. Idem etiam ſuadet experientia: nam à nobis, qui in quinto climate exiſtimus, numquam cernitur Iris ad Auſtrum, ſeu ad Meridiem, ſed ad Ortum, vel ad Occaſum, vel etiam ad Aquilonem.

Illius deſcriptio.

In qua proportione à nobis videatur Iris.

3. Aduertendum deinde eſt, aliquando conſpici plures irides,

Vnde fiant plures irides.

quæ

quæ vel poſſunt fieri á Sole, ſi inueniat nubes paratas: vel frequentiùs fiunt vna ab alia per reflexionem; nam prima facta à Sole, ſi ex aduerſo inueniat aliam nubem roridam, & aptam, vt in ea fiat reflexio, illuſtrat illam ſua luce, & ita fit Iris ſecunda, quæ iam eſt debilior, atque ita fit iris vna,vel plures,pro ratione nubiũ.

Varietas colorum in iride vnde proueniat.

4. Iris habet varios colores apparentes ex varia modificatione lucis,& ex varia poſitione, & ſitu, quo lux recipitur in nube rorida, & ad aſpectum repercutitur. Apparet autem in Iride aliquid flãmei,lutei,cærulæi,punicei,herbacei,viridis,purpurei,crocei, & alij colores innumeri. Præcipui tamẽ ſunt tres,nempe puniceus,viridis, & purpureus. Puniceus,qui aliter dicitur citrinus,obtinet altiorem partem extremam arcus. Viridis tenet locum medium. Purpureus tenet partem inferiorem circuli. Quæ varietas dicitur accidere ob diuerſitatem partium nubis.Crediderim tamen potiùs accidere ex vario ſitu, & poſitione luminoſi. Vnde,quando ſecunda Iris fit ex prima, colores apparent mutati,quia nubes, in qua fit reflexio,eſt concaua:at verò in ſpeculis concauis, quæ ſunt ſiniſtra apparent dextra, & dextra apparent ſiniſtra inuerſo ordine. Plura de Iride relinquimus perſpectiuis, ad quos præſertim ſpectat ſpeculari hæc phænomena.

Iris iam ante diluuium dabatur.

5. Atque hinc colliges Irim nõ cœpiſſe poſt diluuium,ſed cum ſit effectus quidam naturalis à Sole factus in nube,etiam ante diluuiũ extitiſſe. Significat autẽ Iris naturaliter imminentem pluuiã, quia non niſi in nube rorida, quæ proxime in aquam ſit ſoluenda, cõficitur. Significat autem diluuiũ non futurum,non naturaliter, ſed ex inſtituto diuino, vt in Logica diximus cap. 1. de ſignis quæſt. 2. artic. 1. Eſt tamen Iris naturale ſignum quòd non ſit proximè futura maxima aquarũ copia: quãdo enim nubes nimium craſſæ ſunt,ac terreæ, non fiunt irides, ſed quando habent moderatam aquam.

Quid ſignificet.

Quæ ſit materia, & natura ventorum?

CAP. II.

Variæ opiniones.

6. Circa ventorum materiam varias commemorãt Ariſtoteles lib. 1.huius operis cap.18. & Plutarchus lib. 3. de placitis cap.7.opiniones. Quidam enim dixerunt ventum nihil aliud eſſe, quàm aerem agitatione commotum. Alij hoc ipſum varijs alijs verbis explicabãt.Hæc tamẽ ſententia refellitur quia iam quilibet aer motus ventum efficeret.Vnde quando cymbala pulſantur, vel tormenta bellica diſploduntur, ibi daretur proprius vẽtus, quod tamen eſt falſum.

Ariſtotelica ſententia.

7. Ariſtotelica igitur, & communis ſententia eſt materiã ventorum eſſe exhalationem calidã, & ſiccã;cuius exhalationis,quando maxima ſuppetit copia, crebriores ſunt venti,vt Vere,& Autumno. Item matutino tempore

quando

quando Sol oritur, & excitat è terra prædictas exhalationes. Idē etiam accidit quando nix liqueſcit, quia tunc exeunt exhalationes ſiccæ, quæ erant intra niuem. Vnde fit etiam, vt venti maximè exſiccent, quia conſtant materia ſicca. Aduertendum tamen eſt materiam ventorum, non eſſe ſolùm prædictas exhalationes, ſed aliquando etiam vapores talibus exhalationibus permixtos. Vnde prouenit, vt aliqui venti humidi ſentiantur, præſertim illi, qui ex mari flant.

A qua virtute moueatur materia ventorum.

8. Petes, à qua nã virtute moueatur hæc ventorum materia? Reſpondetur ventorum motũ effici dum Solis, & aliorum ſydetum attractu prædicta materia in ſublime fertur, & repercuſſa ab aere frigido ſecundæ regionis, iterum deſcendit, ſed reluctante leuitate, & ſurſum tendente, fit ille motus ventorum hinc, atque illuc, quem experimur. Certiùs tamen eſt ad motum ventorum maximè conferre peculiarem quorumdam aſtrorum influxum: experimur enim exoriente tali, vel tali ſtella, ſtatim ventos excitari, & ſimiliter ex tali, vel tali coniunctione Planetarum. Cum hoc tamen motu ventorum, etiã aer ipſe mouetur, & ſic ex vtroque dici poteſt, quòd vetus confletur. De ventorum tamen natura, & cauſis multa nobis Deus in theſauris ſuis abſcondit, quæ ignoramus.

De ventorum numero, & varietate.

CAPVT III.

Numerus ventorum apud veteres.

9. Veteres primò, ventos quatuor, deinde octo, vltimò duodecim poſuere, teſte Plinio libro ſecundo capite 47. Nunc certum eſt apud Nautas numerari diuerſos ventos duos ſupra triginta, ita vt totum Orizonta diuidant in triginta duas partes, & pro varietate harum partium diuidant etiam ventos à ſingulis partibus flantes. Incipiendo igitur ab Oriente pergendo ad Septentrionem, & à Septentrione vſque ad Occaſum, ab Occaſu ad Meridiem, ſeu ad Auſtrum, & ab Auſtro iterum ad Orientem, hæc ſunt nomina ventorum, tam Luſitanè, quam Latinè.

Apud recentiores nautas.

Ventorum nomina apud Luſitanos & apud Latinos.

10. Ventus ille, qui flat directè ab Oriente, ſeu ab ea parte, in qua Sol oritur in æquinoctijs, appellatur *Subſolanus* ſiue *Eurus*, Luſitanè *Leſte* ou *Soaõ* ou *Leuante*. Deinde ſequitur *Leſte quarta de nordeſte*, Latinis, & Græcis *Meſocaeias*. Tertius eſt *Leſnordeſte*, Latinè dicitur *Caeias*, & aliter *Helleſpontiacus*. Quartus eſt *Nordeſte quarta de Leſte*, à Latinis dicitur, *Vpocaeias*. Quintus eſt *Nordeſte* Latinis dicitur *Euro Aquilo*, vel *Aquilo Eurus*. Sextus eſt *Nordeſte quarta à norte*, Latinè dicitur *Meſoaquilo*, vel *Meſoboreas*. Septimus eſt *Nornordeſte*, Latinè dicitur *Aquilo*, vel *Boreas*, licèt Poetæ ſæpè hos duos cum Septentrionali confundant. Octauus eſt *Norte quarta de Nordeſte*. La-

tinis *Vpoaquilo*, vel *Vpoboreas*.

11. Nonus eſt *Norte*, Latinè vocatur *Septentrio*. Decimus eſt, *Norte, quarta de Noroeſte*, apud Latinos dicitur *Meſocircius*. Vndecimus eſt, *Nornoroeſte*, Latinis *Circius*, Græcis *Thraſcias*, Hiſpanis *Gallicus*. Duodecimus eſt, *Noroeſte quarta de Norte*, Latinis dicitur *Vpocircius*. Decimus tertius eſt *Noroeſte*, Latinè appellatur *Lybicus*, aut *Magiſtralis*, vel *Aquilo Zephirus*, vel *Africus*. Decimus quartus *Noroeſte, quarta de Oeſte*, Latinis *Vpocorus* vel *Vpocaurus*. Decimus quintus *Oeſnoroeſte*, Latinis *Corus*, Græcis *Iapix*. Decimus ſextus eſt *Oeſte quarta à Noroeſte*. Latinis dicitur *Meſocorus*.


12. Decimus ſeptimus eſt *Oeſte*, Latinis *Fauonius*, vel *Zephirus*. Decimus octauus *Oeſte quarta à Sudoeſte*, Latinis *Vpoafricus*. Decimus nonus *Oesſudoeſte*, Latinis *Africus*, vel *Lybicus*. Vigeſimus *Sudoeſte quarta de Oeſte*, Latinis dicitur *Meſolybicus*, vel *Meſoafricus*. Vigeſimus primus dicitur Luſitanis *Sudoeſte*, Latinis *Notolybicus*, Italis *Lebecius*. Vigeſimus ſecundus eſt *Sudoeſte quarta de Sul*, Latinis *Vpolibanotus*. Vigeſimus tertius *Suſudoeſte*, Latinis *Libanotus*, vel *Auſtroafricus*. Vigeſimus quartus eſt *Sul quarta de Sudoeſte*, Latinis & Græcis *Meſolibanotus*.

13. Vigeſimus quintus dicitur *Sul*, Latinis *Auſter*, vel *Notus*. Vigeſimus ſextus dicitur *Sul, quarta de Sueſte*, Latinis *Meſophœnis*. Vigeſimus ſeptimus *Suſueſte*, Latinis *Phœnis*, *Euro*, *Auſter*, & *Euronotus*. Vigeſimus octauus *Sueſte, quarta de Sul*, Latinis *Vpophœnis*. Vigeſimus nonus *Sueſte*, Latinis *Notapridas*, *Syriacus*, vel *Auſtro eurus*. Trigeſimus *Sueſte, quarta de Leſte*, Latinis *Meſoeurus*. Trigeſimus primus eſt *Lesſueſte*, Latinis *Vulturnus*. Vltimus eſt *Leſte, quarta de Sueſte*, Latinis appellatur *Vpoeurus*.

14. Ex his triginta duobus ventis *Subſolanus*, ſeu *Eurus*, *Septentrio*, *Fauonius*, ſeu *Zephirus*, & *Auſter*, ſeu *Notus* dicuntur venti *cardinales*, ſeu *principes*. Et inter hos quatuor ſunt alij quatuor venti etiam principales, nimirum inter *Subſolanum*, & *Septentrionem* conſtituitur *Nordeſte*, qui aliter *Meſes* dicitur, aliter *Euro Aquilo*. Inter *Subſolanum*, & *Auſtrum* conſtituitur *Sueſte*, Latinis *Euronotus*. Inter *Septentrionem*, & *Zephyrum* conſtituitur *Noroeſte*, qui Latinè appellatur *Aquilo Zephirus*. Inter *Zephirum*, & *Auſtrum* conſtituitur *Sudoeſte*, qui Latinè dicitur *NotoZephirus*, ſeu *Notolybicus*, & partes illas, ex quibus iſti octo venti flant, ſolent Nautæ appellare *Rumos*. **Qui ex iſtis ſint cardinales,**

15. Deinde inter hos octo ventos conſtituunt alios octo, quos *meyas partidas* vocant. Sunt autem incipiendo eodem ordine ab Oriente, *Lesnordeſte*. *Nornordeſte*. *Nornoreſte*. *Oesnoroeſte*. *Oesſudoeſte*. *Suſudueſte*. *Suſueſte*. *Lesſueſte*. Iuxta vnumquemque ex his ſexdecim ventis conſtituunt alios, quos *quartas* vocant, & ſic efficitur numerus ventorum triginta duorũ, vt videre eſt in ſequenti tabella. **Rumos.**

T A B E L L A.



De alijs ventis Prouincialibus, anniuerſarijs, & irregularibus.

C A P. I I I I.

16. PRæter hos triginta duos ventos ſunt alij, qui dicuntur Prouinciales, quòd in certis quibuſdam prouincijs oriantur, *Quare dicantur Prouinciales.*

& vltra non procedant, qua ratione *Atabulus ventus* Apuliam infeſtat, teſte Seneca lib. 5. natural. quæſt. cap. 17. Calabriam *Iapix*; *Circius Galliam*, ibique habetur clariſsimus, & *Galliam* ita percurrit, vt Vienam illius prouinciæ partem non attingat. Solent etiam in media æſtate, poſt caniculæ exortum, ſtata ferè lege, multis diebus flare venti, quos inde *Eteſias* vocant, id eſt *anniuerſarios*, qui in Hiſpania ſpirant ab Oriente. In Ponto ab Aquilone. Reliquis in partibus à Meridie. In alijs regionibus non habẽt certum locum.

Anniuerſarij.

17. In aliquibus locis ſunt admodum benigni, in alijs non ita. Inter hos ventos anniuerſarios recenſendus eſt Ornithias, ſeu Chelidonius, qui flat eo tempore, quo hirundines prodeunt, & hinc nomen accepit. Præter hos ſunt alij tres venti turbulentiſsimi, qui ſunt admodum irregulares. Dicuntur autẽ Procella, Typhon, & Præſter, procella (quæ aliter dicitur Ecnephia, quod idẽ eſt Græcis, atque Latinis procella) vocatur ita à Græcis, quòd á nubibus erumpat; oritur enim in hunc modum. Cùm multæ exhalationes confertim aceruatæ aſcendunt, & in cauam aliquam nubem includuntur, fit non numquam, vt addenſata ampliùs nube, non poſsint facilè exire, & ideo intra nubem calefactæ per motum, aut antipariſtaſim, quærant maiorem libertatem, tandemque, diſrupta nube, magno impetu deorſum ruant; & obuia quæque proſternant, ac in mari maximam excitent fluctuum copiam, ac tempeſtatem. Hanc procellã nautæ Luſitani aliquando ſub æquinoctiali experti ſunt; & ſuo malo edocti, ſi ſimilem nubẽ videant, iam nunc vela colligunt.

Procella quid.

18. Aliquando ſimiles exhalationes á pluribus nubibus, vel à diuerſis partibus eiuſdem proſilientes ſibi mutuò aduerſantur, efficiuntque præſertim in mari vorticem ſimilem illi, quem videmus in flumine, quando aqua ad ingens ſaxum adacta reflectitur. Et iſti flatus è diuerſis partibus exilientes, & in vnum coeũtes efficiunt ventum alium maximè terribilem, qui *Typhon* appellatur, vulgo *Tufaõ*, præcipua nauigantium peſtis: cuius tanta vis eſt, vt ſimùl cum aqua, & aliquando ſine aqua libret in aere integram nauim. Quòd ſi prædictæ exhalationes quando exeunt è nube, accendantur, & ad terram, vel ad mare ita deueniãt accenſæ, efficitur ventus ille, qui ab incendendo dicitur Præſter: & proxima quæque non ſolùm proſternit, ſed etiam comburit, imò illius incendio aliquando mare efferueſcit. Differt á fulmine, quia fulmen plus ignis ſecum defert, & flammæ, & minorem flatum. Præſter autem defert maiorem flatum, & minorem flammam. Item materia fulminis eſt ſubtilior. Tertiò, quia fulmen non generatur, niſi præcedat tonitruum, Præſter verò maximè.

Typhon quid.

Præſter quid.

In quo differat á fulmine.

19. Aduertendum tamen eſt nos ſolitos appellare eos ventos,

qui ſpirant inter *Subſolanum*, & *Septentrionem*, communi nomine *Nordeſtes*. Eos autem, qui ſpirant inter *Septentrionem*, & *Zephirum*, *Noroeſtes*. Inter *Zephirum* & *Auſtrum*, *Sudueſtes*. Inter *Auſtrum* & *Eurum*, *Sueſtes*. Nautæ etiam omnes ventos, qui ſpirant ab Oriente vocant communi nomine *Bryſas*: eos verò, qui ſpirant ab Auſtro *Vendauais*.

Communia nomina ventorum.

De qualitatibus ventorum.

CAP. V.

20. VEnti ſumunt præſertim ſuas qualitates, & affectiones à regionibus, & locis, quæ percurrunt; nam de ſe, & ab intrinſeco, iuxta eam opinionem, quæ aſſerit ventorū materiam eſſe terreas exhalationes, omnes ſunt frigidi, & ſicci; ſi autem habent aliquem calorem, eſt ab extrinſeco. Si verò quis dicat materiam ventorum eſſe etiam vapores aqueos, vel aërem motū, tunc venti ab intrinſeco habebūt eas qualitates, quas habet hæc materia ex qua fiunt venti. Loquimur ergo præſertim de qualitatibus, & affectionibus extrinſecùs prouenientibus.

Venti quas ab intrinſeco habeant qualitates, & quas ab extrinſeco.

21. Venti igitur *Septentrionales*, quia per loca niuoſa tranſeunt, ſunt frigidi, & ſicci. *Auſtrales* qui per loca humida, & calida. ſunt calidi, & humidi; quia ad nos veniunt per mare, & Zonam torridam. Venti *Orientales* ſunt calidi, & ſicci. *Zephirus*, & *Occidentales* ſūt humidi, & gelidi. Et pro ratione harum qualitatum diuerſarū, quidam venti in vno loco ſunt ſalubres, alij noxij. Omnium tamen ſaluberrimi generaliter loquendo ſunt Septētrionales, & Fauonius; noxius autem Auſter. Qua de re Plinius lib. 2. hiſt. cap 47. Lenius lib 3. de occultis natur. miraculis cap. 3. & alij.

Septentrionales frigidi.

Auſtrales calidi & humidi.

Orientales calidi & ſicci.

Occidentales ſunt humidi & ſicci.

22. Aliquando ponunt venti oriente Sole, quia Sol oriens eorum materiam abſumit. Aliquando oriente Sole oriuntur venti, quia calor Solis exhalationes ſuſcitat. Occidente Sole oriuntur venti aliquando, quia Sol deſinit abſumere eorum materiam. Item aliquando occidente Sole ponūt venti, quia Sol deſinit attrahere materiam ventorum. Quando autem Verno tempore Sol eſt in Meridie, ſilent venti, quia tota materia exhauritur propter calidiſsimos Solis radios.

Cur mutentur oriente, & occidente ſole.

23. Præter has dantur aliæ qualitates propriæ cuiuſque venti; nam *Septentrio* apud *Europæos*, & *Aſiaticos* diſpergit nubes, & non fert ſecum pluuias; in *Africa* frequentes affert pluuias. *Italis* eſt ſaluberrimus, quia ab eis remouet marinos vapores, & *Tyberis*, propter fluctuum receſſum, facilè ſe exonerat in mare. *Auſter*, eſt nimboſus, humidus, & calidus. *Africus*, eſt ſaluberrimus: reliquis in regionibus maximè incommodat ſaluti ſi diutiùs ſpiret. Numquam apud *Ægyptios* ſpirat, vt Plinius atteſtatur lib. 2. cap 47. *Italis* maximè nocet, quia fluctus maris deducit ad littus, & ita impedita detinet curſum *Tyberis*, cuius enun-

Qualitates propriæ cuiusque venti.

datio peſtilentiam gignit ſæpius.

24. *Eurus* eſt igneus,ac proinde ſiccus, & calidus, generat cholerам, ſeu flauã bilem ; conſeruat tamẽ corpora in ſanitate, florum, ac roſarum calices aperit. Et generaliter loquendo, ſalubris eſt.

Zephyrus eſt frigidus,& humidus, generat phlegmam ; affert morbos,& pluuias. Qualitates horum quatuor ventorum generalium ſequuntur alij venti collaterales, plus,aut minùs,prout illis magis minùſue appropinquant.

DE AQVEIS CONcretionibus.

QVÆSTIO V.

De nubibus, & pluuia,deque eius ſignis.

CAP. I.

1. MAteria nubium eſt vapor ; cauſa efficiẽs Sol, & aſtra;quę calore ſuo, & vi attractiua è locis humentibus vapores euocant ad mediam aeris regionem ; qui poſtquam illùc peruenerunt, deponunt calorem aduentitium, & ſe vltrò reuocant ad natiuum frigus, iuuante etiam ad hoc ipſa ſecunda aëris regione per propriũ frigus. Premente igitur frigore, concreſcit paulatim vapor, & in nubem addenſatur. Ex nubibus autem,quædam ſunt naturæ ſiccioris,ac proinde non ſoluuntur in imbres, ſed in aerem euaneſcunt. Aliæ ſunt maximè humidæ,& ideo ſunt proxima pluuiæ materia, ac in pluuias ſoluuntur.

Materia, & cauſa efficiens nubiũ.

Cur aliquæ nubes non ſoluantur in imbres, aliæ maximè.

Vnde pluuia nihil aliud eſt,quàm *Nubes in aquam ſoluta.* Pluuia autẽ eſt veluti in duplici genere, quædam enim dicitur imber,cum ſcilicet guttæ cadunt crebriores, & minutiores, ob vaporis tenuitatem. Alia dicitur nimbus,quando ſcilicet cadunt guttæ grandiores: quod tunc fit, quando aer circũſtans,& per quem deſcẽdit aqua, vel eſt nimis frigidus, vel eſt nimis calidus; quia tunc addenſantur,& coniunguntur plures partes aquæ,veluti per antipariſtaſim,vt reſiſtant aeri.

Quid, & quotuplex ſit pluuia.

2. Accidunt autem pluuiæ frequenter ex certa planetarũ coniunctione,& oppoſitione, præſertim Lunæ,quæ mari, & locis, aut rebus humidis dominatur : vnde nouilunio, plenilunio accidunt temporum mutationes. Conferunt etiam ad hoc venti plurimũ, præſertim illi,qui nubes congregant, qualis eſt *Auſter* : & proprerea apud *Ægyptios* rari ſunt imbres,quia *Auſter* illuc nõ peruenit. Aliquando etiam accidũt

Ex qua potiſsimùm cauſa accidant pluuiæ.

pluuiæ

Pluuiæ prodigioſæ.

pluuiæ quædam prodigioſæ, nam aliquando,ſimul cum pluuia, cadunt,& decidũt ranæ,piſces,ſanguis,lac,ferrum,& ſimilia; quorũ aliqua poſſunt habere cauſas naturales, alia verò fiunt per Dei potentiam,ad mortalium terrorẽ. Dico (aliqua poſſe habere cauſas naturales) quia ex tali comixtione pluuiæ cũ exhalationibus, quas pluuia deſcendens reperit in aere, poſſunt generari ranæ, vel piſciculus aliquis, & ſimilia viuẽtia imperfecta; vel aqua decidens poteſt imbibere colorem ſanguineum.

Signa pluuiæ,& ſerenitat s futuræ,á Sole.

3. Signa pluuiæ futuræ, vel ſerenitatis,aut ventorum,plura numerari ſolent ab autoribus. Prima ſumuntur à Sole,qui, ſi purus occidat,& nitido cælo,& cælo item nitido oriatur, ſerenitatẽ indicat. Si Sol oriẽs appareat ſolito maior aut quaſi cæruleus; portendit imbres. Si igneus oriatur, *Euros*,vel ſi ad illius ortũ rubeſcunt nubes; ſi autem expalleſcant,vel nigræ rubenribus miſceantur,erit pluuia Si nubes orientem Solem circũſtant,& contegunt,tempeſtas indicatur.

A luna.

4. Luna pura exoriens ſerenitatẽ indicat; ſi rubicũda, vẽtos; nigra,pluuias. In quinta die cornua eius obtuſa pluuiam ; erecta ventos. Plenilunio pura,ſerenitatem : rutila, ventos ; nigreſcens imbres: ſi duas habeat coronas, maxima tẽpeſtas indicatur. Aliaque plurima ſigna ſumuntur á Luna.

Ab ſtellis.

Ab ſtellis verò hæc Quando earum fulgor obſcuratur ſine nubilo,& caligine,pluuia, vel tẽpeſtas nuntiatur . Si in ſummis montibus nubes conſidant, hyemabit,nube grauida candicante, erit grando.

Ab alijs rebus.

Nebula in vallibus, ſerenitatem indicat. Domeſticus ignis pallens,aut crepitans, tempeſtatem Fungi in lucernis,pluuiam;& ſimiliter carbo vehemẽter perlucens. Si mare tranquillum murmuret,ventos indicat, ſi abſque vento intumeſcat, adeſſe intra ſe ventos fatetur. Littora in tranquillo reſonantia, volantes plumæ,aut lanugo, montium ſonitus,& nemorum mugitus,tempeſtatem prædicunt.

Ab animantibus.

5. *Delphini* tranquillo mari laſciuientes,ventum indicant ex ea parte,qua veniunt ; ſi aquá ſpargant, turbato mari, ſerenitatem. *Echini* affigentes ſe, aut arena ſe ſuburrantes nuntiant tempeſtatem. *Ranæ* vltra ſolitum vocales; *Anates* pennas roſtro purgantes, aut mergi ſtagna fugientes indicant ventum, aut pluuiam. *Grues* in ſilentio volantes, *Alcyones* in littore nidificantes, Noctuæ in imbre garrulæ, ſerenitatem. *Graculi* ſerò recedentes á pabulo, imbres *Hirundo* volitans, & quaſi aquam pennis feriens, *Anſeres* importunè clangentes, *Ardea* ſupra nubẽ volans, aut in medijs arenis triſtis; *Boues* cælum olfacientes, aut ſe contra pilum lambentes; *Porci* manipulos fæni lacerantes, *Formicæ* abſconditæ, lumbrici è terra emergentes, *Muſcæ* acriùs ſolito mordentes,imbrem, aut tempeſtatem prænuntiant. Quod ex eo fit,quia iſtæ brutæ animantes,cæleſtem influxum,& aëris qualitates magis præſentiſcant.

De

De nebula, niue, grandine, & glacie.

CAPVT II.

6. IN nube quædam partes in aquam mutantur, aliæ manent tamquam inutiles, & excrementitiæ, ex quibus generatur nebula, ſeu caligo, quam Ariſtoteles lib. 1. huius operis cap. 9. quaſi ſterilem nubẽ vocat. Si petas vtrùm partes nubis, ex quibus fit nebula, ſint craſſiores, an tenuiores? Reſpondetur probabili⁹ eſſe, quòd ſint tenuiores, & ideo facilè à radijs ſolaribus diſſolui. Præter hanc nebulam datur alia facta ex vaporibus, qui è terra aſcendentes, propter ſuam craſsitiem, non potuerunt peruenire ad ſecundam aëris regionem, & ideo manentes in hac prima, faciunt illam nebulam, quam verno tempore experimur, quæ, ſi ad Solis præſentiã ſtatim attenuetur, ſerenitatem: ſi addenſetur, imbres nuntiat.

Nebula quid.

7. Nix tunc generatur, quando nubes in aëre ob vehementẽ frigiditatem, antequam in aquam ſoluatur gelaſcit. Vnde *Nix eſt nubes friabili denſitate conglaciata.* Eſt autem nix ſiccior pluuia, quia frigus illam ſtringens foras euocat partem humoris; quia tamen eſt minus ſicca, quàm pruina, ideo in motem Lunæ extenditur. Oritur in niue candor, quia eſt magis aeria, ob quam etiam cauſam albeſcit ſpuma. Accedit etiam, & iuuat maximè ad iſtum candorẽ frigiditas, quæ in aliquibus rebus eſt cauſa candoris. Vnde illi, qui frigidas incolunt regiones Septẽtrionales, ſunt candidiores. Si autem nix aliquando vetuſtate rubeſcit, ex eo fit, quia partes aeriæ temporis decurſu extabeſcunt. Imò in Armenia dicitur rubicunda nix decidere, quia in ea regione eſt in terra plurimum minij, & ita vapores aſcendunt infecti colore rubro; vel illum mutuantur ab exhalationibus terreis.

Nix.

Candor cur detur in niue.

Nix cur vetuſtate rubeſcat.

8. Decidit nix hyberno tempore, occupatque præſertim mõtiũ iuga, eo quòd frigidiora ſunt, & ventis perflata, neque in illis poſsit conſiſtere reflexio radiorũ ſolarium. Conferunt niues vtilitatem aruis, quòd liquorem illis præbent tenuiſsimum, idque ſenſim. Deinde, quia calorem terræ intus comprimunt. Concreſcũt etiam niues aliquando in cryſtallum, quæ ideo in cautibus Alpium reperitur, & in aliquibus rupibus, quæ in extremis ſunt Noricis, nũc euellitur. Reperitur etiam in venis terræ ſicut metallum.

Niuium vtilitates.

Cryſtallus.

9. *Grando eſt pluuia in aere conglaciata*, generaturque tunc, quãdo pluuia ab aere decidens in gelu cogitur; quod, vel accidit in magno frigore, vel in magno æſtu. Docet verò Ariſtoteles lib. 1. huius operis cap. 12. ideo aquam, ex qua fit grãdo, celeriùs gelari, quia retinet aliquid caloris, qui iuuat maximè ad congelationẽ, attenuando partes aquæ, vt ita hoſti magis pateant: quapropter facilior patet aditus frigori, ſed calor ipſe extinguitur à frigore, & pro-

Grando quid.

ditoris pænam ſoluit. Fit autem grando tã in infima, quàm in media aeris regione, dum omnia circumquaque rigeſcunt præ frigore, aut calore. Tẽpus, in quo gignitur, non eſt certum, ſed generatur indiſcriminatim Hyeme, Vere, Æſtate, Autumno; quando decidit in minutiſsimis globulis, ſignum eſt in ſecunda regione fuiſſe efformatam, quando aliter, in prima.

Vbi fiat, & quo tempore.

10. *Glacies eſt aqua in ſtagnis, alijs ve locis congelata*, cui^9 cauſa eſt exuberãtia frigoris hyberni, adiuncta etiam quadam admixtione concretionis terrenæ, quæ ferè ſemper aquam comitatur, quæ pro hoc ſtatu non eſt in ſuo naturali. Quòd autem ſolum frigus non ſufficiat ad congelationem, patet, quia alioqui aqua in ſuo naturali ſtatu conſtituta ſemper eſſet gelata. Aliquando etiam gelaſcunt non ſolùm aquæ immotæ, & paluſtres, ſed etiam integra flumina, & maxima, qualis eſt Danubius, & Rhenus in Germania. De aqua marina vtrùm etiam gelu contrahatur, quęrunt aliqui? Quidam affirmant etiam aquas maris, præſertim ad polos, gelari: imò ſcribit Beda in lib. de natura rerum cap. 9. eſſe mare quoddam gelatum, cuius etiam alij meminere, illudque vocant glacialem Oceanum. Olaus Magnus lib. 11. de rebus Septentrionalibus cap. 30 tradit mare Gothicum ſic interdum congelari, vt naues in eo maneant immotæ. Et hæc ſententia videtur probabilior, licet alij negent.

Glacies quid.

Quæ aquæ concreſcant in gelu.

De rore, pruina, melle, ſaccharo, & manna.

CAP. III.

11. ROris, & pruinæ materia eſt vapor exiguus, & ſubtilis; calor cæleſtis vaporẽ euocans eſt cauſa efficiens remota; cauſa proxima eſt frigus ſerenæ noctis, quod quando eſt temperatum, conuertit vaporem in rorem; ſi autem eſt immodicum, congelat in pruinam. Generatur autem ros, & pruina in ima parte aeris; quia calor euocans vaporẽ eſt debilis, & ideo non illum alti^9 attollit. Repetitur ros, & pruina præſertim in locis depreſsis, quia ibi exiſtit maior copia vaporis quàm in præaltis montibus. Ros præſertim Vere, & Autumno generatur, quia tunc eſt calor, & frigus moderatus. Pruina fit hyberno tempore, quia tunc eſt nimium frigus. Ros terram madefacit, pruina etiam ſtringit, nec ſinit exire tam facilè calorem, & quando diſſoluitur, etiam terram irrigat. Si autem alienis temporibus oriatur, maximè nocet, quia adurit lacteſcentes germinum oculos, & vinearum ipſo in flore enecat iuuentutem. Ros etiam aliquando nocet, quia niſi citò excutiatur, adueniente Solis ardore vertitur in eruginem, & putredinem; atque hinc aliquando exiſtit arborum vermiculatio. Aliquando etiam, ſi ros ſit admodũ viſcoſus, & ab animãtibus ebiba

Roris, & pruinæ materia quid quæ etiam cauſa efficiens.

Locus in quo generantur.

Tempus.

Cõmoda, & incommoda.

tut ipſas pro fluuio interimit. Vnde Paſtores Verno tempore ſolēt oues non niſi poſt ortum Solis ad paſcua educere.

Mel quid ſit.

12. De melle quid ſit?fuere variæ opiniones: dubitant enim aliqui, vtrùm ſit cæli ſudor, an ſyderum ſaliua, an purgantis ſe aeris ſuccus. Philoſophica tamen doctrina eſt, quando cum vapore illo tenui; ex quo fit ros, aſcendunt ſimul quædam exhalationes terreæ,& ſubtiles, tunc ex comixtione vaporis,& talium exhalationum fieri quoddam mixtū, ſeu ſuccum quēdam prædulcem, qui herbis, ac floribus inſidet, & ab apibus colligitur, & ad aluearia conuehitur, ibique in fauis recluditur. Vnde docet Ariſtoteles lib.5.de hiſtoria animalium cap. 22. apes conſtruere fauos è floribus, ceram ex arborum lachryma, mella ex rore aeris colligere. Cuius rei indicium eſt, quòd apes nō reparant mel ſibi detractum ad initium hyemis, quia tunc non ſunt rores, ex quibus ipſum colligant, cum tamen plures ſint flores.

Probatiſſimum mel vnde.

13. Laudatiſsimum mel cenſetur ex Hymetto, ex Cycladibus inſulis,& Hyblæum. Inter mella æſtiuum eſt præcipuum. In Sardinia gignitur amarum, quia melleus ros ibi ex abſynthio colligitur. Inuenitur etiam mel venenoſum, quòd ex herbis ſimilibus colligatur. In melle laudatur infima pars, in vino media, in oleo ſumma; quia in melle habetur illud optimum, quod minus fluit, & quaſi ſaccharum concreſcit,& ſuo pondere ad ima labitur. Oleū verò excellit illud quod nitidius eſt, ac defæcatius, magiſque aereum: hoc autem eſt illud, quod ſupernatat. Vini autem laudabilitas in calore conſiſtit, qui, vt noxam fugiat, maximè colligitur circa medium.

Saccharum apud antiquos quid.

14. De Antiquorum ſaccharo non conſtat inter ipſos quid de illo cenſerint: nam Dioſcorides lib.2.cap.7. illud facit quoddam mellis genus in arundinibus incluſum. Quod etiam ſentit Plinius lib.12.c.8. & Galenus li.7.de ſimplicium medicamentorum facultatibus cap. 101. Vnde poſſet quis exiſtimare antiquorum ſaccharum non fuiſſe idem, atque noſtrum præſertim, quia nullam fecere mentionem illius artificij, quo ſaccharum ex arundinibus exprimitur. Dicendum tamen antiquorum ſaccharum fuiſſe idē, ac illud, quod nunc apud nos viget, quamuis enim non habuerint illud artificium conficiendi,& purificandi ſaccharum, tamen habuerunt eaſdem arundines,& earum medulla vtebantur, præſertim in rebus medicis. Saccharum igitur *Eſt ſuccus quidam prædulcis, qui in arundinibus generatur veluti medulla, & inde extrahitur ſingulari, ac laborioſo quodam artificio priſcis ignoto.*

Idem quod apud nos.

Manna quid,& quomodo generetur.

15. Manna ſimili ferè modo naſcitur, atque mel; quando enim vnà cum tenui vapore aſcendit ſubtilis exhalatio, & miſcentur inter ſe, ita vt humidum aqueum valde excoquatur, maneantque partes terreæ cum exigua humiditate, reſultat liquor quidā candidus melliti ſaporis, qui in arbo-

rum

Digitized by Google

Vbi veniat.

rum ramis, herbis, ac lapidibus inuenitur, & manna dicitur; ab alijs appellatur ros Syriacus. Gignitur in Libano Liburniæ monte, & in Calabria, & alibi, indeque ad nos aſportatur ad varia medicaméta.

Manna Hebræis datũ in deſerto.

16. De illo, quod Hebiæis in deſerto datum legitur in Scriptura, dubitatur, an fuerit eiuſdẽ naturæ, & ſpeciei cum iſto vulgari? Reſpondetur affirmatiuè, quamuis illius generatio præter naturæ ordinem fuerit, applicantibus ſcilicet Angelis actiua paſſiuis, & ideo dicitur panis Angelorum. Negandum tamen non eſt manna illud Hebræorum fuiſſe in multis accidentaliter perfectius, quia ſcilicet non flaccidum, & fluidum erat, ſed ſtatim in grana illa minutiſsima, tamquam coriandri obdureſcebat, quod non accidit in vulgari, niſi poſt aliquod tempus. Habebat etiam meliorem ſaporem, ac magis varium, & antequam decideret ſubſternebatur ei pruina, ne ſordes contraheret.

DE MARI.

QVÆSTIO VI.

De maris ortu, ſitu, ac varietate.

CAP. I.

1. Deſcendamus iam ad duo alia elementa inferiora. Inter aquas præcipua eſt illa cõgregatio aquarum, quam mare vocamus. Putarunt igitur aliqui initio totam terram fuiſſe aquis demerſam, donec per vim caloris cæleſtis maxima copia aquarum in vapores abijt, & terram aperuit; reliquam verò partem aquæ dictam fuiſſe mare. Alij putarunt mare eſſe ſudorem terræ, & ideo eſſe ſalſum.

Opinio quorumdã.

Altera opinio.

2. Dicendum tamen eſt mare in ipſo naſcentis mundi exordio fuiſſe à Deo productum, ita tamen, vt primò totam terram operuerit. Deinde tertio die ex diuino imperio receſsiſſe in eum locum, quem nunc habet, & tunc incepiſſe fontes irrigare terram, antequam pluuia de cælo deſcendiſſet. De maris ſitu iam ſupra diximus illud non eſſe tota terra altius, vt aliqui exiſtimarũt, ſed ex aqua, & terra fieri vnum globum, qui habeat idem centrũ magnitudinis. Hoc tamen non tollit, quominus terra habeat montes aliquos altiores mari, ſicut etiam habet valles depreſsiores. Imò tota illa pars terræ, quã occupat mare, eſt ipſo mari depreſsior.

Vera ſententia.

Situs maris.

3. Hydrographi diuerſa numerant maria, ſed præcipua ſunt

quinque

Præcipua maria quinque.

quinque, nimirum *Oceanum mare*, *Mediterraneum*, *Rubrum*, *Perſicum*, & *Caſpium*. *Oceanum* ſuperat magnitudine, & vaſtitate maria reliqua, & varia ſortitur nomina pro diuerſitate, & varietate regionum, per quas oberrat. *Mediterraneum mare Africam* diuidit ab *Europa*, diuidique ſolet in *Hibericum*, *Balearicum*, *Lignſticum*, *Gallicum*, *Adriaticũ*, & in alia his affinia.

Mare rubrũ vnde rubrũ dicatur.

4. *Mare rubrum* ita dicitur, vel ab arena, quæ in illo rubra eſt, vel ab Erythro Rege, qui Græcis idẽ eſt, ac Latinis Rubrum. Luſitani tamen, cum mare illud nauigaſſent, videntes aquam rubiã hauſerunt, quæ eiuſdem apparuit coloris cum alia. Atque hinc intellexerunt aquas apparere illius coloris propter rubram arenam, vel propter corallia, quibus maris illius fundus ſcatet. Dicitur etiã *ſinus Arabicus*, habetque longitudinis circiter trecentas quinquaginta leucas.

Mare Perſicum.

5. Mare *Perſicum*, aliter dicitur *Sinus Perſicus*, habetque longitudinis circiter ducentas octoginta leucas. *Caſpium mare* non tam mare eſt, quàm palus quædam multorum fluminum incurſu ſtagnans, niſi forte Oceanum quoque occulto meatu excipiat. Dicitur etiam mare Hyrcanum.

Mare Caſpium.

De motibus maris, & illius æſtu.

CAPVT II.

Agitatur à ventis.

6. MAre, præter ſuum motum naturalem deorſum, habet diuerſos alios: primò enim agitatur à ventis hùc atque illuc. Secundò fluit ab Oriente in Occaſum, ſicut primum mobile. Vnde illi, qui ex Hiſpania nauigant ad Occaſum, & petunt nouum orbem, ſpatio vnius menſis iter illud conficiunt, quia iuuantur aquarum curſu. Quando autem redeunt iterum in Hiſpaniam, detinentur trium, aut quatuor menſium ſpatio, quia fluentes aquæ nauium curſum remorantur. Eumdem etiam motum obſeruarunt Luſitani in varijs regionibus.

Fertur cum primo mobili.

Mouetur à ſeptentrione in Auſtrum.

7. Tertiò fluit, & mouetur mare à Septentrione in Auſtrum, quem motum ex eo fieri putat Ariſtoteles hoc loco, quòd in parte Auſtrali ſint cauitates quædam depreſſiores, ad quas aqua naturaliter confluit. At verò ſanctus Thomas in 2. diſtinc. 14. q. vnica artic. 5. & in opuſculo 34. de occultis operibus naturæ, exiſtimat ideo hoc fieri, quia ad polum arcticum generatur maxima aquarum copia, propter Solis abceſſum, & ideo confluere ad polum antarcticum; & quia partes Septentrionales ſunt altiores, ideo á Septentrione defluere aquas ad Auſtrum. Mouentur etiam aliquando aquæ in aliquibus locis quaſi in orbem, & in ſe ipſas reflectunt, propter anguſtias locorum, quia ad littora, & ad terram impingentes iterum in gyrum voluuntur, & circularem motum imitantur.

Alius motus in gyrũ.

Æſtus quid

8. Tandem datur alius motus in mari, qui dicitur communi nomine *æſtus*, & aliter dicitur *acceſſus*, & *receſſus*: quo ſcilicet maris aquæ reciproca agitatione, nunc ad littus accedunt, nunc ab eo recedunt. Cauſa autem huius motus hactenus eſt maiori ex parte Philoſophis occulta: præſertim, quia iſte motus non eſt vniformis in omnibus locis, ſed in quibuſdam nullus fermè viſitur æſtus, in alijs magnus, & in Oceano maior cōmuniter, quàm in alijs. Item circa littora deprehenditur clarius iſte motus, quàm in alto mari. Item aliqua flumina æſtu retrocedunt, vt Luſitanica, Atlantica verò minimè. Non etiam conſumit æſtus in omnibus locis idem temporis ſpatium; nam in Luſitano Oceano, & alijs in locis frequēter intumeſcit per ſex horas, & decreſcit per ſex alias. Alibi ſeptem horis accedit, & quinis recedit. Alibi quatuor horis accedit, & octo regreditur. Ad oram Guineæ tantus eſt impetus æſtuantis maris, vt tres anchoræ vix nauem ſuſtineant. In littore Cambaiæ, quæ eſt in faucibus Indi, mare binis horis triginta fermè leucas ſuo acceſſu obtegit, & tanta fertur velocitate, vt vix equorum curſu ingruentem è pelago vndā euadant incolæ: & ne incautos æſtus arripiat cymbali ſonitu admonentur.

Eſt valde irregularis motus, & maxima ex parte ignoratur cauſa illius.

Variæ ſententiæ de cauſis marini æſtus.

9. De cauſa igitur effectrici marini æſtus, varias ſentētias cōmemorat Plutar. li. 3. de placitis c. 18. & alij: nā quidā fingētes mundū eſſe animal quoddā, afferebāt habere nares in mari, & ſua reſpiratione, & expiratione eſſe cauſam marini æſtus. Alij dicunt eſſe flumina in mare Atlanticum irrumpentia. Alij aliter, & variè cenſere: dum quidam ad Solem referunt, quidam ad terræ decliuiratem, quidam ad aquarum vaporationem: quaſi eueniat mari illud, quod accidit in pluribus hominibus, nunc frigore, nunc febri iactatis, & quando frigeſcit mare, ſe recipit: quando autem nimiū incaleſcit, extenditur, ac dilatatur.

Communis ſententia proponitur.

10. Communis ſentētia aſſerit cauſam marini æſtus eſſe Lunam ſecundùm illum motum, quem conficit diurnum cum primo mobili, & quatenus præmouetur, ac fouetur Solis aſpectu: videmus enim maris motum maiori ex parte ſequi Lunæ motum diurnum; ſicut enim in motu Lunæ diſtinguuntur quatuor portiones, ortus ſcilicet, occaſus, vertex diei, & noctis, ita ſingulis diebus naturalibus, mare quater cietur: bis fluendo, bis refluendo. Incipit autem primò fluere quando Luna oritur in Horizōte, quouſque deuenit ad verticem diei: poſtea defluit vſque ad occaſum Lunæ. Deinde ab Occaſu incipit fluere vſque ad verticem noctis, refluit verò vſque ad ortum: quamuis hoc non vbique ſeruetur, neque ſemper Luna apud nos per duodecim horas moretur.

Tempus à quo incipiunt & deſinunt apud nos marini æſtus.

Probatur communis opinio.

11. Probatur etiam communis ſententia, quia pro diuerſis Lunæ ad Solem aſpectibus, nunc minores, nunc maiores æſtus fiunt. Tertiò, quia ſingulis diebus tardius

dius vna ferè hora aſcendit mare. Quod ideo fit, quia Luna ab vno ſuo ortu vſque ad alium conſumit 25. horas; indiget enim vna ferè hora, vt conficiat tredecim gradus, quibus per motum proprium ſingulis diebus retrocedit. Tandem, quia Luna humidis corporibus dominatur; ergo præſertim mari dominabitur. Exercet autem hoc dominium in mare mediantibus aliquibus qualitatibus, etiam à luce, & motu diuerſis: præſertim media qualitate attractiua: ad eum modũ, quo magnes trahit ferrum; & ideo apparente Luna incipit mare moueri. Vtrùm verò hic motus fiat per rarefactionem aquarum, an quòd totus globus aquæ moueatur in eam pàrtem, eſt magis dubium. Probabilius tamen eſt fieri hunc motum vtroque modo.

An aquæ rareſiant in æſtu.

12. Atque hinc colliges ideo fluuialem aquam non pati à Luna hunc acceſſum, & receſſum, quia non eſt ita craſſa, neque apta, vt illum influxũ excipiat. Quæ potuit eſſe etiam cauſa, cur aliquibus in locis vix detur maris æſtus, in alijs verò locis detur per exiguus, & admodũ tardus: quia ſcilicet ibi aquæ ſunt rariores, vel non ita excipiunt Lunæ influxũ propter aliqua impedimenta, ſiue intrinſeca, ſiue extrinſeca. Iuuat etiam ad maiorem tarditatem æſtus, aut velocitatem littorum ſitus, & diſpoſitio; ſi enim littus ſit decliue, velociùs currũt aquæ, ſi autem accliue tardiùs. Iuuant etiam ad hoc maximè ventorum flatus, aut reflatus.

Aqua fluuialis cur æſtum non patiatur.

Quæ iuuẽt ad æſtum maris.

13. In aliquibus autem locis aliquando non viſitur vllus æſtus, quia vis, & impetus, quo aqua mouetur in partem vnam determinatam, ſuperat virtutem Lunæ influentis in partem contrariam; vel potiùs quia ibi virtus Lunæ mari impreſſa impeditur, ob varias qualitates locorum, & ob diuerſam aquarum diſpoſitionem; ſicut etiam Sol nõ ex omnibus partibus maris vapores excitat ad pluuias conficiendas, cùm in multis regionibus raró decidant imbres. In aliquibus puteis etiam viſitur acceſſus, & receſſus, quia per occultos meatus cum mari communicantur. Vnde ſi meatus ſint recti, & expediti, eodẽ tẽpore creſcũt, ac decreſcũt putei; ſi autẽ ſint intorti, & anguſti, creſcũt putei quãdo mare decreſcit, & decreſcunt creſcente mari.

Cur in aliquibus locis non fit æſtus.

Putei aliqui æſtuant.

14. De Euripo mari ferunt habere ſepties in die acceſſum, & receſſum. In cuius rei cauſa inueſtiganda ferunt obijſſe Ariſtotelem. Hæc tamen poteſt eſſe inſularum multitudo, quæ in hoc mari ſunt: inter quas maxima aquarum copia intercepta nunc ad hanc partẽ defertur, nunc ad aliã. Poteſt etiã iuuare loci ſitus, & cauernoſi anfractus, per quos ex Ægæo mari aquarum copia maxima excepta pro varietate anfractuum accedit ad eum locũ, nunc tardiùs, nunc citiùs. Quamuis in his, & ſimilibus naturæ miraculis ſatius ſit noſtram ignorantiam ingenuè fateri.

Euripus æſtuat ſepties in die: & quare.

15. Datus eſt autem iſte motus mari. Primò, ne putreſceret. Secũdò vt aquæ per illum purgarẽtur. Vnde videmus mare reijcere ad

Ad quid motus in mari.

littus

Digitized by Google

littus cadauera, & naufragantium ſtramẽta. Tertiò datus eſt motus mari ab Auctore naturæ propter nauigationem, ad quam multum iuuat, vt experientia teſtatur. Per hunc etiam motum magna facta eſt mutatio in terris: ſæpè enim continens fit mare, & è contra, dum ſæuiens vltra modũ pelagus, partem aliquam continentis ita inundat, vt eam ſui iuris faciat; vel etiam recedendo alias ſui partes hominibus attribuat: vt accidit in inſulis Delo, & Rhodo, alijſque non paucis, quæ ex aquis emerſere. Hauſit etiam mare vrbes aliquas, vt Pyrrham, Antiſſam, & alias.

De diluuijs vniuerſalibus, & prouincialibus.

CAPVT III.

16. MAximè laudatur diuina potẽtia, quòd mare intra certos limites coerceat, ne in terras effundatur; aliquando tamen propter hominum ſcelera, aliasuè cauſas, fit, vt mare extra fines egreſſum per continentem diffundatur. Atque hinc accidunt nonnunquam inundationes in aliquibus regionibus, quæ diluuia prouincialia dicũtur. Omnium tamen eluuionum maxima fuit vniuerſalis carachyſmus, cuius hiſtoria habetur Geneſis capite ſeptimo: cuius etiam meminere plures ex auctoribus, & ſcriptoribus antiquis.

Diluuia prouincialia vnde.

Diluuium vniuerſale.

17. De hac enundatione dubitatur primò, vtrùm naturaliter potuerit accidere, & per cauſas phyſicas? Reſpondetur cũ Ariſt. lib. 1. huius operis c. 14. non poſſe naturaliũ cauſarum virtute effici totius terræ eluuionem, quia non decuit, vt naturæ Auctor ita res diſponeret, vt naturaliter poſſet accidere, quòd totum elemẽtum terræ operiretur aquis, & ita turbaretur totus naturalium rerum ordo. Dicendũ igitur eſt vniuerſale diluuiũ, nõ facultate ſolius naturæ, ſed diuina poteſtate, & imperio applicante agentia naturalia, vltra ſuam vim ordinariã, fuiſſe inuectum, vt ita hominum genus propter ſcelera maxima obrueretur, ac pænas daret. Aquarum autem multitudo, quæ ſuperfuit poſt diluuium, partim in ſubterraneos ſpecus eſt amandata, partim in vapores, & aeris materiam abijt.

An acciderit naturaliter.

DE FONTIBVS, ET FLVMINIBVS, alijſque ſimilibus.

QVÆSTIO VII.

De fontium, ac fluminum materia.

CAP. I.

Aliquorum ſententia de fontiũ, & fluminũ materia proxima.

1. PVtarũt aliqui intra terram eſſe quaſdam cauitates, & alueos, quaſi ciſternas quaſdam, in quibus imbres excipiãtur,& ex illis fontes,ac fluuios emanare, eoſque perennes eſſe quorũ aluei nõ deficiant etiã per æſtatẽ. Cuius rei indiciũ videtur eſſe,quia hyberno tẽpore in fontibus,& fluminibus eſt maior copia aquarum. Deinde, quia in regionibus,in quibus raræ ſunt pluuiæ, rari etiam ſunt fontes, & fluuij. Tertiò, quia apud nos æſtate,& æſtiuo tempore fontes, & flumina decreſcunt.

Reijcitur.

2. Hæc ſententia ſi intelligatur de omnibus fontibus,ac fluuijs,eſt omnino falſa nulla enim pluuia, vltra decẽ pedes,terrã madefacit, ſed intra hanc altitudinẽ imbibitur,& quæ ſupereſt, defluit ad loca decliuia vſque ad flumina,quę illã deuehũt ſecũ ad mare. Deinde,quia ex montibus maximè aridis,& in quibus nulla aqua colligitur,manant maximi fluuij,& fõtes.

In quo ſenſu poſsit eſſe vera.

Si autẽ prædicta ſententia intelligatur de torrẽtibus, & fõtibꝰ, qui ſolo tẽpore hyberno fluunt, rectè poteſt ſuſtineri, ſaltẽ quoad aliquos. Ideo autẽ fontes hyberno tẽpore maiorẽ concipiunt aquarũ copiã,quia tunc præ humiditate fit maior conuerſio aëris in aquã,& quia augẽtur ex pluuiali aqua,& quia fontium,& fluuiorũ humor è terra vicina, & à calore Solis,& aeris minùs ſorbetur.Ideò autẽ in aliquibus locis pauciores ſunt aquarũ ſcaturigines,quia terra nimis arida totam aquã ſorbet; vnde etiam prouenit,vt æſtiuo tẽpore plures fontes deficiant.

Opinio *Ariſtotelis.*

3. Ariſtotelis ſententia lib. 1. Meteor. c.13. circa fontiũ, & fluuiorũ originem fuit,eos gigni ex vaporibus, & aëre, qui in cauernis terræ in aquam conuertũtur;ſi enim fontes, & flumina ex aqua marina gignerentur, etiã illarum aqua eſſet ſalſa,ſicut eſt aqua maris.Nec ſatisfaciet,qui dixerit percolari per terræ meatus;nam potiùs hinc ſumet ſalſuginẽ, quàm deponet. Deinde,cùm fontes erumpant frequenter in montibus, iam aqua marina contra propriã naturam deſcenderet, quod nemo dicet.

Aliorũ ſententia.

4. Alij arbitrantur omnes fontes, & fluuios ex mari originem ducere. Primò, quia impoſsibile videtur,quòd tanta aquarum copia ex vaporibus, & aëre fiat, vt ad tot perennes fluuios, & fontes ſit ſatis. Secundò, quia ideo mare tot fluminum acceſſu non redũdat,quia aliunde per ſubterraneos meatus exit ab eodem mari maxima aquarum copia, vt in fontibus,& fluminibus fluat : iuxta illud Eccleſiaſtes capite primo. *Ad locum vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Neque videtur inconueniens quòd aliquando flumina in editiſsimis montibus erumpant, quia aqua habet naturalem incli

nationem,

Digitized by Google

nationem, vt ſit ſupra terram, & ideo per occultos meatus poteſt aſcendere, vt ſuum naturalẽ locum occupet, ita etiam diſponente auctore naturæ, vt terra fõtib⁹, & fluuijs irrigari poſsit. Deinde, quia per vim cæleſtiũ influxuũ poteſt ita attrahi aqua ad loca ſuperiora. Poteſt etiam iuuare ad hoc virtus attrahens ipſius terræ, quæ in ſpongiæ modum, aquã ad ſe allicit, vt ſuis fœtibus prouideat humorem congruentem.

Fertur iudicium de prædictis ſententijs & quod probabilius videtur, eligitur.

5. In tanta opinionum varietate, negandum imprimis non eſt, in terræ ſpecubus latere maximã vim aquarum, riuulos, ſtagna, & lacus; vt quotidie experiuntur terræ, & metallorum foſſores, & oſtendunt ſubitæ aquarum eruptiones. Iſta autem multitudo aquarum, quæ ſub terra eſt, partim fit ex ea, quæ ex pluuia in terram deſcendit, partim per ſubterraneos meat⁹ è mari cõmunicatur. Hoc enim ſpectabat ad diuinam prouidentiam, vt ita prouideret metallorum, & aliarum rerum generationi, quæ in ſinu terræ generãtur. Vnde ex hac aquarũ multitudine intra terræ latebras collecta manarũt à tertia die creationis plurimi fontes, & amnes diuerſis in locis, pro cuiuſque loci exigẽtia; de qua diſtributione loquitur Sapiens Prouerb. 8. cũ de Deo dicit: *Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum.* Hinc etiã ortũ habuerũt illa quatuor flumina, quæ à terreſtri paradiſo in principio emanarunt.

Nõ omnia flumina à principio erupere.

6. Aſſerendũ tamen eſt, nõ omnia flumina tunc in principio mũdi erupiſſe; ſiquidem temporum decurſu plures amnes de nouo inceperint. Vnde ſententia Ariſt. loco citato, quæ omniũ flumi nũ, & fontiũ originẽ tribuit vaporibus, & aquis, quæ in cauernis terræ generãtur, audiẽda nõ eſt; cũ illa quatuor flumina paradiſi ſuã originẽ habeãt à mari. Et idẽ dicendũ eſt de alijs fõtib⁹, & fluminibus, qui in ipſo mundi ortu varijs in locis ſunt exorti. Si autem opinio Ariſtot. reſtringatur ad aliqua flumina, & fontes minores, etiã perẽnes, ſuã habet probabilitatẽ; quia nõ eſt negandũ in cauitatibus terræ poſſe aëre, & vaporibus fieri tantã copiam aquæ, vt ſufficiat, ſaltem fluuijs, & fõtibus minoribus. Maiori tamen ex parte etiam hæc flumina, & fontes ex aqua marina terris communicata oriuntur. Et hæc videntur probabiliora circa fluuiorum, & fontium ſcaturigines.

In quo ſenſu vera ſit opinio Ariſtotelis.

Etiam amnes qui è mari ortũ habent, poſſunt deficere.

7. Aduertendum tamẽ eſt etiã illos amnes, qui è mari oriuntur aliquando deficere, quia meatus ſunt anguſti, & tota illa aqua, quæ per illos excipitur, præ nimia terræ ſiccitate non ſufficit ad humectandam terram tempore æſtiuo. Aliquando etiã occluduntur, vel ex parte, vel ex toto illi meatus. Aduertendum ſecundò aquã marinam, & quæ ipſo mundi initio in diuerſis terræ locis eſt aſſeruata, fuiſſe dulcem, quia adhuc non erant terreæ exhalationes, quæ ipſi ſalſedinem inurerent. Poſtquam autẽ ſalſa facta eſt aqua maris, per anguſtos meatus terræ quaſi colata ſalſedinẽ deponit, & ita frequentiùs erumpit dulcis, neque enim opus eſt vt ex terreis

Omnis aqua in principio dulcis.

Soluitur dubium.

exhalationibus ſemper ſalſa fiat, ſed hoc ſolùm accidit propter exhalationes aduſtas, quales non dantur in ſinu terræ. Si autē dubites cur mare tot fluminum acceſſu non redundet? Reſpondēt aliqui hoc ideo fieri, quia tota a qua fluuialis ſupernatat, & ſtatim ſiccatur, ſicut ſi cyphus aquæ per latam menſam ſpargatur. Alij reſpondēt totam copiam aquæ fluuialis reſpectu marinæ aquæ eſſe prope nihil, & ideo mare nihil ferè accreſcere, quod de Oceano præſertim eſt intelligendum; nā alia minora maria fluminum magnorum acceſſu notabiliter excreſcunt, ſi aliunde non minuantur.

Soluitur aliud.

De fontibus ſubitò naſcentibus, & aliquorum mirabili natura.

CAP. II.

8. Prima cauſa cur aliqui fontes ſubitò areſcāt, & alij ſubitò naſcātur eſt, quia occluſis meatibus hoc loco, quærit aqua exitū in alio. Occluduntur verò aliquādo, quia pars aliqua terræ decidit; vel quia pars illa, per quam aqua fluebat, dureſcit in lapidem, aut quaſi lapidem, & ita conſtringuntur pori; vel quia terra de nouo gignit arbores, & ad illarum incrementum eget illa aqua. Deficit etiam aqua in fontibus, quia deficiunt lacus ſubterranei, ex quibus aqua ad fontes diriuabatur. Fiunt autem noui fontes, vel noua flumina, quia aqua maris nouos adinuenit meatus, per quos communicaretur.

Cauſæ cur fontes ſubito areſcāt, & naſcantur.

9. Quod attinet ad fontium mirabilia, ſunt innumera; quidam enim tanta vi exiliunt, vt etiam ſaxa ingentia extrudant, & quoduis pondus reſpuant. Quidam iniecta abſorbent, cuius naturæ adhuc eſt vnus in agro Catinenſi in Luſitania, propè oppidum Cantanhede. Quidam numquam effluunt. Alij cum in ortu efferueſcant, ſunt tamen frigidi, & non effluunt, ſed iterum aquam ſorbent. Alij modò intumeſcūt, modò decreſcunt. Alij æſtum maris æmulantur, & cum eo accreſcūt, vel decreſcunt. Alij ſingulis diebus duodecies ſiccantur, & implentur. Item apud Garamantes fertur eſſe fons interdiu ita frigidus, vt non bibatur præ frigiditate, nocte ita calidus, vt non tangatur. In Epiro alius, in quo faces extinguuntur accenſæ, & accenduntur extinctæ. Alius eſſe dicitur in India, cuius aqua lucernæ ardeant. Alius item, qui manetepentes habet aquas, meridie frigidas, veſpere calidas, media nocte feruidas. Alij etiam ſunt, quorum aqua inebriat, ſicut etiā Lacus Clitorius. Alius etiam eſt in Arcadiæ parte, cuius aqua vini tædium ingerit. In Bæotia fons eſt, cuius aqua obliuionem affert, & alter, qui memoriam. In Æthiopia alius inſaniam inducens. Alij, quorum aqua epota enecat, vt Styx in Arcadia. Aliorum fontiū aquæ medentur varijs morbis.

Fontium mirabilis natura.

10. In Bæotia dicitur eſſe flumen, cuius aquam ſi oues bibant,

Fluminum varietates, & qualitates mirabiles.

pullæ fiunt. Alius,qui hauſtus eas reddit candidas: quod etiam fertur de pluribus alijs. Alius fluuius in Syria per ſex dies exſiccatur,& iterum fluit. Alij extra tempus inundant, vt Nilus, Euphrates, & Indus. Alius etiam eſt, qui epotus temulentos facit. Caſsinitius in Thracia potantes equos reddit efferatos. In Piſenum lacum lignum iniectum lapideo cortice obducitur. Alij ſunt Lacus, qui hauſtis aquis non minuuntur. Alius,qui ter in die fit amarus,ſalſuſque,ac deinde dulcis,& toties noctu.

Amnes qui ſe claudunt per ſubterraneos meatus.

Alij etiam amnes diuerſis in partibus ſeſe claudunt,per ſubterraneos meatus, vt Timanus in agro Aquileienſi. Padus in Alpibus, Anas in Hiſpania Tarraconenſi,circiter per quinque leucas. Eurotus in Arcadia, Cadmus in Aſia. Alijque complures.

Qui pluribus oſtijs in mare influunt.

11. Multi etiam fluuij pluribus oſtijs in mare influunt, vt Rhenus tribus, Danubius ſex, Padus ſeptem, Indus ſimiliter ſeptem. Nilus ſeptem. Flumē argenteum in Braſilia, quamuis vno oſtio in mare decurrat, tamen diſtantia huius oſtij eſt quadraginta leucarum, tantaque fertur velocitate, vt nautæ antequam in terræ aſpectum veniāt,ex eo dulces aquas hauriant; cui eſt alius ſimilis fluuius in Congi, & Angolæ regno.

Qui aurum deferant

Alij etiam fluuij auriramenta deferūt;vt Tagus,Pactolus,Hebrus, Albis,Ganges,& alij.

Nilus vnde ortum habeat.

12. De ortu,& incrementis Nili,quæ apud veteres fuere ignota dicendum breuiter Nilum oriri in terreſtri paradiſo;& poſtea per ſubterraneos ſpecus deuolui ad quemdam Africæ lacum in regno Congenſi,in quo primùm videtur enaſci,cùm tamen alibi habeat principium. Increſcit autem aliquando ita, vt in altum ſeſe decem cubitis attollat.

Nili incrementa.

Fiunt autem iſta incrementa, non quòd aquæ Nili,propter ventorum flatus ex aduerſo iterum refluant ad principium(vt aliqui exiſtimarunt)ſed quia eo tempore in Ægypto Ver incipit,& viget Hyems in iis locis ſuperioribus, per quæ Nilus decurrit,& maximi decidunt imbres, quibus Nilus inundat. Iſta autem copia aquarum deuenit in regionem Ægypti eo tempore, quo Ægyptij maximis caloribus ardent,ac proinde Nilus ſua inundatione dicitur Ægyptiorum arua fæcundare,& refrigerare.

De aquarum qualitatibus.

CAP. III.

Frigida flumina,& fontes.

13. Celebrantur in orbe aliqui amnes inſignis frigiditatis, vt *Melanus* in *Pamphylia*, *Cydnus* in *Cilicia*, *Gorthinus* in *Arcadia*, & iuxta *Corinthum* fons quidam. Quamuis autem aqua ſit natura frigida,tamen in aliquibus locis calida,alibi tepida exit.

Calidæ aquæ vbi exeant.

Calida reperitur in multis regionibus,vt in *Islandia*, *Britānia*, *Gallia*, *Aquitanica*, *Germania*, in *Panonia*, inferiori, in *Alpibus*, in *Italia*, inter *Padum*, & *Apenninum*, in *Hetruria*, *Campania*, in *Sicilia*,& in multis inſulis. In Luſitania non procul ab

oppido

oppido *Obedos*; apud Turdetanos, ſeu *Algarbienſes*, alijſque in locis.

Quomodo calefiant.

14. Sed quomodo calefiunt iſtæ aquæ? Aliqui dicunt calefieri à ventis, qui ſunt in terræ cauitatibus, alij à radijs Solis. Dicendum tamen eſt calefieri ab aliqua materia præcalida, & æſtuanti, vel etiam nonunquam ab ignibus latentibus in terræ gremio, & iuxta quos tranſeunt illæ aquæ: cuius rei ſignum eſt, quia locus ille, in quo ſunt huiuſmodi aquæ calidæ, ferè ſemper abundat ſulphure, & bitumine. Sunt autem calidæ depellendis morbis aptæ, præſertim quando ex frigiditate ortum traxere.

Earum vtilitas.

De ſapore, & odore aquarum.

15. De aquarum ſapore, & odore dicendum eſt, aquam in ſuo naturali ſtatu nullum habere ex his accidentibus, quæ non oriuntur, niſi ex permixtione quatuor qualitatum. Mutuantur tamen aquæ aliquando odorem, aut ſaporem ex aliquorum corporum attractu, vel ex admixtione terreæ exhalationis, vel alicuius alterius liquoris ſapidi, aut odoriferi. Qua etiam ratione fit ſalſedo in marina aqua, nimirum propter admixtionem terrenæ exhalationis, & aduſtæ, ac indigeſtæ. Vnde prouenit, quòd marina aqua calefacit, & exſiccat, & loca marina, cæteris paribus, ſunt minùs frigida. Vnde etiam eſt, vt marina aqua ſit craſsior, & pondera faciliùs ſuſtineat. Deponit verò ſalſedinem, quando per terræ, aut arenæ meatus, vel alio ſimili modo excolatur. Item vapores è mari aſcendentes in dulcem pluuiam concreſcũt, quia terreas partes exuũt.

Salſedo in mari vnde fiat.

Iuuat etiam ad ſalſedinem Solis ardor; vnde aquæ maris profundiores ſunt minùs ſalſæ.

Aqua non marina an ſalſa.

16. Petes vtrùm etiam aqua nõ marina ſit ſalſa? Reſpondetur affirmatiuè, plures enim lacus reperiuntur, qui ſalſuginem habent, vt in Germania vnus, alter in Italia, tres in Sicilia, & alij alibi, vel propter aquam maris, quam participant, vel propter ſalſedinem locorum, quæ percurrunt. Petes, vtrùm mare ſtatim in ſua prima creatione habuerit ſalſedinem? Reſpondetur illis primis duobus diebus nullam habuiſſe, poſtquã verò tertio die congregatæ ſunt aquæ in vnum locum, quarum congregationem Deus vocauit Mare, tunc illi fuiſſe ſtatim á Deo inditam ſalſedinem propter piſcium generationes, & incremẽta; ſunt enim plures piſces, qui in aqua dulci ſtatim moriuntur. Alioqui ſi aqua ſtatim in ſua creatione ſalſedinem acciperet, multum incommodi, & ſterilitatis afferret terræ.

Salſedo maris quando inceperit.

Quæ aquæ meliores.

17. Petes tertiò, quænam ex aquis ſint optimæ? Reſpondetur breuiter illam aquam cenſeri bonam, & ſalubrem, quæ tenuis eſt, ac pellucida, omnique odore, ac ſapore carens, ac lenis. Vnde aquæ bonitas non debet ſola frigiditate æſtimari, quia hæc parùm iuuat decoctionem, & cruditatem inducit. Aliqui ad ſtateram aquas vocant, eamque meliorem iudicant, quæ leuior eſt: quod maiori ex parte ita eſt, ſed aliquando aliter euenit. Quando autem duæ aquæ eſſent æquè tenues, ac leues, illa cenſetur melior, quæ ci-

tiùs

Quæ inutiles.

tiùs incaleſcit, & quæ citiùs refrigeratur. Bonæ aquæ nota habetur, ſi eius fons erumpat ad orientem Solem: ſi è terreno optimo dimanet. Vnde aquæ lacuſtres, & paluſtres meritò damnãtur, ſimiliter & niuales, atque glaciales. Similiter aquæ pluuiales, quæ hyberno, aut verno tempore cum maxima ventorum, ac tonitruum procella decidunt, non ſunt probandæ, quòd multas habeant exhalationes. Illæ autem, quæ ſilente cælo defluunt, iure commendantur. Aquæ ciſternarum ſunt minùs vtiles, quia incoctæ ſunt. Aqua fontana præſtat fluuiali, & puteali, quamuis aliqui pugnent pro fluuiali. Negandum tamen non eſt eſſe aliqua flumina, quorum aqua præſtat pluribus fontibus; tamen generatim loquendo, aqua fontana eſt præſtantior; laudantur præſertim aquæ, quas ferunt Tagus, Ganges, & Coaſpis Perſiæ fluuius.

Aquæ fluuiorum laudabiles.

DE TERRÆMOTV, IGNIBVS ſubterraneis, & metallis.

QVÆSTIO VIII.

De cauſis terræmotus.

CAP. I.

Variæ ſententiæ antiquorum.

1. Varias tradunt philoſophi, qui hoc vniuerſum animal quoddam fecerunt, tribuunt hunc terræmotum, quaſi infirmæ valitudini huius animantis, ſicut in homine, quãdo calor eſt nimius, mouentur arteriæ plus ſolito. Alij dicunt terram quaſi nauigium aquis innatare, & tremere quando mare procellis quatitur. Alij aliter ſentiunt, ſed non ad rem, dicunt etiam alij terram tremere ſuis proprijs ruinis cõcuſſam. Alij aliter opinati ſunt.

Vera doctrina.

2. Vera igitur doctrina eſt, terræmotum fieri ab halitu, ſeu exhalationibus, & ab aëre terræ viſceribus incluſo, & foras exire curante; dum enim viam quærit qua exeat, nec inuenit, in ſe reuoluitur, & dum effringere clauſtra nititur, motum illum, ac tumultum facit, quem experimur. Neque hoc mirum videri debet: cùm videamus aerem vento concitatum ingentia ſaxa mouere, turres deijcere, arborum truncos auellere, &c. Imò etiam in viuentibus ſimilia edunt ſpiritus, vt in phreneticis, qui ſæpè vincula manibus frangunt, quæ plures homines nõ poſſent infringere.

Per quas cauſas calefiat aer intra viſcera terræ.

3. Cum autẽ terra multis modis poſſit calefieri, vel à calore Solis, vel ab ignibus ſubterraneis, inde fit, vt aer intra cauitates terræ exceptus, & poſtea occluſis

aditis calefiat, & exitum moliatur; aliquando etiam calefit per antiparistaſim. Quòd autẽ terræmotus ita fiant, probatur primò à temporibus, quibus accidũnt, nẽpe Vere, & Autumno: & à locis; fiunt enim in locis cauernoſis, & fungoſis, vt ſunt Inſulæ. Negandum tamen non eſt, aliquando terram tremere propter aliquam ingentem ſui ruinam.

Varietas terræmotuum vnde oriatur. 4. Pro varia autem diſpoſitione, & quantitate halituum, qui intra cauitates terræ includũtur, accidunt varij terræmotus; quidam maiores, quidam minores, quidam mouent terram in longitudinem, alij mouent ſurſum; varias alias differentias aſsignat Albertus Magnus tract. de terræmotu, præcipuè cap. 17. & 18. Comitatur etiam terræmotum aliquis ſonus ex colliſione corporum or tus, qui ſonus ſimiliter varius eſt pro vario modo, quo illa corpora colliduntur. Præcedunt autẽ terræmotum aliqua ſigna: vt ſi aqua in puteis turbetur nulla alia cauſa adhibita; ſi ebulliat, & aſcendat; ſi mare repentè intumeſcat; ſi ſit tranquillitas aeris intempeſtiua: ſi media æſtate ingruat inſolitum frigus. *Signa præcedentia motũ terræ.*

Vbi rari ſint terræmotus, & quare. 5. Terræmotus rari ſunt apud Septentrionales, quia maximum frigus ibi non ſinit exhalationes fieri in terræ cauernis. Terræ etiã nimium calidæ rarò mouentur, quia ibi omnes exhalationes abſumuntur à calore. In regionibus temperatis, quæ cauernoſæ, fungoſæ, aut montoſæ ſunt, fiunt terræmotus frequentiùs. Inſulæ etiã frequentiùs agitantur: arenoſæ, & ex limo concretæ, rarò. Non ſolet autem concuti vna integra regio, quia cauernæ non ita extenduntur, nec tanta poteſt eſſe ſpirituum copia, vt integram regionem moueat. Aliquando tamen duæ, vel plures ciuitates, etiã diſtantes, ſimul mouentur. Ille tamen motus terræ, qui accidit in Chriſti paſsione totam terrã concuſsit, quia diuina virtute factus eſt. Solent etiam durare terræmotus magis, vel minùs pro exiguitate, vel copia ſpirituum agitantium, & pro maiori, aut minori repugnantia, quam inueniunt in partibus terræ. *Vbi frequẽtiores.* *Motus terræ in morte Chriſti.*

Quos habeant effectus. 6. Varios habent effectus. Primus eſt formido, quam hominũ animis inijciunt. Aliquando etiã terræmotu mutantur loca, verbi gratia arbor, quæ antea erat ex parte dextra, poſt terræmotum manet ad ſiniſtram. Tertiò, tecta ictu contrario videntur arietare, & mutuò ſibi occurſantia feriũt aliquid interiectum, quia motibus contrarijs in diuerſa aguntur. Aliquando etiam terra ſcinditur, & recedit, ſorbetque integras vrbes, & hiatum rurſus claudit. Item aliquando tecta deijcit, & ſolo æquat. Excitat etiam nouos montes. Sæpè etiam concuſſum mare relinquit piſces, & nauigia in arido. Interdum mare in miram altitudinem intumeſcit, & partem aliquam terræ de nouo acquirit. Mutatur aliquando fluuiorũ curſus. Apparent noua fluuia, & fontes, ac priſtini exſiccantur. Aquæ antea frigidæ redduntur calidæ. Erumpunt etiam aliquando ignes, & alij mirabiles effectus apparent

Digitized by Google

parent ex terræmotibus.

De ignibus ſubterraneis.

CAPVT II.

Loca in quibus ardent ignes ſubterranei.

7. DAri in ſubterraneis ſpecubus ignes, oſtendit ipſa experientia, & varia loca, in quibus ardent: nam in Italia, iuxta Auernum, in monte quodam fumida exhalatio vibratur, & ardentes riuuli funduntur. In Hetruria ſimiliter apparent noctu flammæ, & interdiu fumus. In Campania mons Veſuuius. In inſula Ænaria collis Epomeus. Inſulæ Æoliæ in Sicilia etiam ignibus ardent, & ideo Vulcaniæ dictæ ſunt. Ætna mõs, qui Catanenſi littori in Sicilia adiacet, cum ingenti fragore fumum, fauillas, igneos globos latè ſpargit.

8. Apud nos etiam Inſula Diui Georgij, (quæ eſt vna ex ijs, quas Tertias vocant) ingēti terræmotu concuſſa tanta vi erupit ignis, vt ingentia ſaxa in altum extulerit, & libero cælo volitantia infregerit; reliquis verò lapidibus minoribus vſus fuerit quaſi tormentorum globulis. Aliquando etiam in alijs Inſulis ſimilia incendia apparent; ergo experientia ipſa docet eſſe ignes aliquos ſubterraneos.

Pabulum horũ igniũ quale.

9. De pabulo horum ignium dubitatur quale ſit? Reſpondetur eſſe ſulphur, & bitumen. Sulphur autem duplex eſt, vnum, quod ſponte naſcitur, & *Foſſile* appellatur. Aliud, quod arte fit. In primo detinentur ignes ſubterranei, quia maximam habet cum igne ſimilitudinem; eſt enim ſiccum & calidum; habet tamen aliquam pinguedinem, in qua ignis detinetur. Bitumen verò eſt *Succus quidam admodum pinguis, & calidus, liquoris oleacei, & maximè igni cognatus*: & ideo in hac duplici materia detinetur ignis ſubterraneus, & præſertim in bitumine, quod eſt magis oleaceum, & pinguius. Atque hinc prouenit quòd iſte ignis ſubterraneus erumpens admixtus bitumine non poſſit aquis extingui aliquando, ſed ſolis ſaxis, aut pannis, quia bitumē, cum ſit maximè glutinoſum, augetur aquis potiùs, quàm extinguitur.

Per quam virtutem accendantur.

10. Per quam autem virtutem iſti ignes accendantur etiam eſt dubium? Dicendum tamen eſt inflammari per antipariſtaſim, vel motum, dum ſcilicet exhalationes cauernis terræ incluſæ per antipariſtaſim concipiunt maiorem calorem, & rareſiunt, ac tandem accenduntur, & aptam bituminis, ac ſulphuris materiam corripiunt. Eſt autem in iſtis ignibus diuerſitas; quidam enim latent, & terræ viſcera, ac medullas occultè excedunt: alij foras emicant. Quidam nihil in ſubiectos agros euomunt: alij cineres, arenam, ſulphur, pumices, ſaxa, & ſimilia eructant. Quidam diu, & noctu flammas exhibent: alij ſolùm noctu. Quidam perpetuò ardēt: alij per interualla, quia in his conſumitur materia, in illis durat.

Diuerſitas horũ igniũ

De Metallis.

CAP. III.

Materia metallorũ quæ.

11. Materia metallorũ, iuxta varias opiniones varia fuit: quidam enim chymicæ artis profeſſores docent eſſe ſulphur, & argentum viuum, quia hæc duo reperiuntur in venis metallorum. Secundò, quia ars chymica his vtitur ad conficiendum aurum, & argentum. Alij dicunt eſſe humorem quemdam pinguem, cùm metalla liqueſcentia in talem liquorem abeant. Alij eſſe aquam terræ admixtam. Ariſtotelica ſententia lib. 3. huius operis cap. 6. eſt materiam metallorum eſſe halitum humidum intra terræ viſcera, lapidibus potiſsimùm concluſum, & propter terræ, ac lapidũ ſiccitatem coagulatum. Cuius rei indicium eſt, quia etiam ex halitibus in ſublimé euectis gignitur aliquando ferrum, & æs; igitur iuxta ſententiam Ariſtotelis loco citato, materia metallorum proxima concreſcit ex vaporibus, ſimul, & exhalationibus inter ſe mixtis, ita vt præualeat humiditas vaporis. Vnde aſſerit metalla partim eſſe aquam, partim non aquam. Cuius etiam indicium eſt, quòd metalla igneſcunt propter ſiccam exhalationem, & liqueſcunt propter humidum vaporẽ.

Variæ ſententiæ.

Ariſtotelica.

Cauſa efficiens metallorum quæ.

12. De cauſa efficiente metallorum, putant aliqui fuiſſe Deum, qui initio mundi omnia metalla condiderit. Dicendum tamen, verum quidem eſſe Deum ab initio mundi aliquam metallorum copiam produxiſſe: dediſſe tamen cauſis ſecundis virtutem, vt metallorum generationes cõtinuaſſent, vt docet ipſa experientia, qua experimur augeri indies metalla in matricibus. Aſtrologi igitur aſſerunt principales cauſas metallorum eſſe planetas, & ideo ſingulis metallis ſingulos aſsignant planetas: *Auro Solem, argento Lunam, ferro Martem, plumbo Saturnum, ſtanno Iouem, argẽto viuo Mercurium, æri Venerem.* Aſſerendum tamen eſt metalla effici virtute ſyderum, præſertim Solis, cuius influxus latiſsimè funditur. Cauſa verò inſtrumentalis eſt partim calor, partim frigus: nam calor decoquit, frigus addenſat, & congregat.

Locus.

13. Locus, in quo gignũtur metalla eſt terræ gremium, vt ibi eſſet materia auaritiæ, vbi maximè lateret, & non niſi cũ maximo labore poſſet inueniri. Neque obſtat, quòd aliqua ramenta auri in fluminibus reperiãtur; non enim in illis generatur aurum, ſed è terra, & montibus, quos radunt, illud eruunt, ac ſecum deferunt. Primus metallorum foſſor dicitur fuiſſe Tubalcaim. Non tamẽ omnis tellus fert metalla, quia non omnis habet qualitates requiſitas, neque aſpectum Solis neceſſarium. Terræ igitur montoſæ, vel etiam ſyluoſæ, & nemoroſæ metallorum ſunt feraces, præſertim montes Dalmatiæ auri fertiles dicuntur apud Poetas. Item Pyrenæi in Hiſpania: Carpatus in Germania, &c.

Primus metallorũ foſſor.

Quæ tellus præſertim ferat metalla.

Species metallorum.

14. Species metallorum communiter numerantur ab aliquibus ſeptem, nempe *Aurum, Argentum, Æs, Ferrum, Plumbum, Argentum viuum*, & *Stannum*. Alij excludunt ſtannum, dicuntque eſſe mixtum ex argento, & plumbo. Reliqua verò metalla ad aliquod ex prædictis reducuntur, & ſolùm accidentaliter ab illo differunt, vel ſunt mixta ex iſtis, vt *electrum*, quod ex auri, & argenti mixtione conſtat. Inueniuntur autem in venis aliquando pura, & ſyncera, aliquando inter ſe permixta, vel cum terra, & aqua. Omnia ſolida ſunt, excepto argento viuo. Omnia liqueſcunt igne, quædam faciliùs, alia difficiliùs. Omnia ductilia ſunt, ſed ea magis, quæ craſſiora, & mollia. Omnia ponderoſa ſunt ob materiæ compactionem, ſed aurum præ cæteris.

DOCTRINA PHILOSOPHICA

TRACTATVS V.

De Anima.

PROŒMIVM.



Huius ſciẽtiæ de Anima vtilitas

SCientia de Anima ità eſt vtilis, vt abſque illa non bene aliquis ſe ipſum nouerit. Iuuat etiam maximè ad moralem diſciplinam, quæ naturalem animæ, illiuſque proprietatum cognitionem præſupponit, vt inſurgentes animi motus rationi ſubijciat, & attemperet. Tertiò viam mu-

nit ad Metaphyſicam ſcientiam comparandam, dum ex cognitione animæ, præſertim rationalis, attollitur mens ad contemplandas ſubſtantias ſeparatas, ac Deum ipſum. Eſt etiam animæ doctrina veluti quoddam rerum humanarum, diuinarumque compendium, noſque ad omnem aliã veritatis cognitionem præparat.

2. *Nullum opus Ariſtotelicum extat, in quo ille ingenij ſui vim, & ſublimitatem perinde manifeſtauerit atque in hoc, vt Themiſtius atteſtatur lib. 3. huius operis cap. 39. ſuæ paraphraſis, & alij complures, qui videri poſſunt in curſu Conimbricenſi in proœmio de Anima. Sequitur autem hæc doctrina proximè poſt doctrinam Meteororũ, cùm ſit principium cognitionis, quæ haberi poteſt de rebus animatis. De ſubiecto autem huius operis variæ ſunt ſententiæ. Quidam putant eſſe corpus animatum. Alij dicunt eſſe animam. Vt tamen rem componamus, aduertendum eſt hoc opus vel poſſe ſumi per ſe, ac ſeorſim, vel poſſe ſumi prout etiam inuoluit doctrinam de paruis naturalibus, quæ eſt veluti appendix doctrinæ de Anima. Si ſumatur primo modo, ſubiectum huius operis eſt* Anima *Si ſecundo, eſt* Corpus animatum, *quia in his tribus libris de Anima ſolùm explicatur animæ natura, ac proprietates. In doctrina verò de paruis naturalibus explicatur anima, & illius proprietates prout iam corpori, & illius organis accommodatur.*

Quem locũ habeat inter partes philoſophiæ.

Subiectum operis.

DE NATVRA, ET ESSENTIA Animæ.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Anima, & quomodo diuidatur?

CAP. I.

Probatur dari animã.

3. DAri animam in rebus viuẽtibus, ita certum eſt, vt probatione non egeat: cùm enim in rebus viuentibus expe-

riamur vitales actiones, quæ non poſſunt oriri à materia, cùm ſit eiuſdem ſpeciei in omnibus cōpoſitis phyſicis ſublunaribus, neceſſe eſt vt oriantur à forma vitali, & vitaliter operante. Deinde probatur, quia forma ſubſtantialis in communi adæquatè diuiditur in viuentem, & non viuentem, ſed forma viuens ſubſtantialis idem eſt, atque anima; ergo datur anima; idque non vna tantùm in vniuerſo, vt aliqui putarunt, ſed tot, quot ſunt indiuidua compoſita, quæ viuere dicuntur.

Opinio Democritis circa animam.

4. Hac igitur veritate ſuppoſita dubitatur primò, quid ſit anima? Democritus, apud quē nihil eſt, quod atomorum turba nō cōficiat, exiſtimauit animam eſſe cōflatum quoddā ex corpuſculis inſectilibus, & rotundis, quæ perēni motu agitantur. Et hanc ſententiam maxima ex parte ſecuti ſunt Pytagoræi. Anaxagoras putabat animā eſſe fontē totius motus. Quam ſententiam plures alij ſunt ſecuti, & ex motu cæleſtium orbium perpetuo credebant animam eſſe immortalem

Opinio Anaxagoræ.

Platonis.

5. Plato in Phædro, & lib. 10. de legibus fecit animā numerū quēdam ſe mouenrem, & circulum. Heraclitus exhalationem quamdā calidā eſſe voluit. Alij eſſe aerem: alij humorem: alij ſanguinē: alij harmoniam quamdam, & tēperiem elemētorum. Hipocrates aſſerebat animā eſſe ſpiritū quēdam tenuem per totum corpus diffuſum. Quæ ſententia pluribus placuit ex veteribus Philoſophis. Quos tamē omnes meritò confutat, ac reijcit Ariſt. lib. 1. de anima per totum, in lōga & prolixa diſputatione. Gallenus etiā lib. 3. de locis affectis c. 6. varijſq; in locis, & aliqui hæretici putarunt animā eſſe primarū quatuor qualitatum temperiem. Qui error etiā in philoſophia intolerabilis eſt: nā tēpetamentum eſt accidens: imo & aggregatum accidentium; anima verò eſt forma ſubſtantialis, & principium vitalium actionum; in homine verò eſt principium actionum ſpiritualium, & aliarum maximè nobilium, quæ non poſſunt oriri ab accidente tamquam á principio principali, ergo anima non eſt temperamētum.

Heracliti & aliorum.

Sententia Galeni reijcitur.

Qui ſolam materiam agnoſcebant in rebus phyſicis confutantur.

6. Alij nihil aliud in rebus phyſicis agnoſcebant, niſi ſolam materiam primam. Hi tamen ex eo refelluntur, quia in rebus naturalibus experimur diuerſas proprietates, diuerſos effectus, & inclinationes, ſed iſta diuerſitas nō poteſt prouenire à ſola materia, cùm ſit eiuſdem ſpeciei in omnibus; ergo á forma aliqua, quæ ſit diuerſa à materia. Deinde, quia materia in generatione, & ortu cuiuſque viuentis debet antecedere, tamquā illud, quod diſponitur; ergo diſponitur ad formam ventuiā; ergo anima non eſt materia. Alij dicebāt animā eſſe corpus quoddam. Qui tamen inde confutantur, quia ſi anima eſſet corpus, cùm illa in totam materiam quātitare propria affectam ſe inſinuet, iam duo corpora naturaliter eſſent in eodē loco Secundò, ſi eſſet corpus, vel eſſet cęleſte, vel ſublunare: nō cæleſte, non ſublunare;

Anima non eſt corpus.

nare; ergo non eſt corpus. Idem etiam probatur ex anima intellectiua, quæ non poteſt eſſe corpus: de quibus omnibus opinionibus latè ſcripſit M. Tullius 1. Tuſcu. quæſt. Auicena 6. Natur. 1. part. c. 2. Plutarchus 4. de placitis. c. 2. & 3. Macrobius in 1. lib. de ſomnio Scipionis. D. Gregorius Nyſſenus in diſp. de Anima, & alij complures.

Vera ſententia proponitur & probatur primò.

7. Dicendum ergo eſt, animam eſſe ſubſtantiam quamdam incōpleram, quæ ſimul cum materia efficit vnum compoſitum phyſicum animatum per ſe. Ratio eſt, quia viuens phyſicum eſt compoſitum quoddam ſubſtantiale: ergo conſtat ex partibus ſubſtantialibus: non conſtat autem ex ſola materia; ergo conſtat ex anima ſubſtantiali; alioqui iā materia cohæreret ſine forma ſubſtantiali. *Secundò.* Deinde, forma viuentis eſt nobilior, quàm illius materia; ſed materia eſt ſubſtantia: ergo à fortiori anima erit ſubſtantia. *Tertiò.* Tertiò. In compoſito viuente debet dari aliquod principium ſubſtantiale vitalium functionum, ſed hoc non eſt materia; ergo eſt forma, ſeu anima. *Vltimò.* Tandem, quia anima rationalis eſt ſubſtantia; ergo etiam reliquæ formæ viuentium erunt ſubſtantiæ ſaltem materiales.

Definitio animæ, & illius explicatio.

8. Definitur verò anima ab Ariſtotele lib. 2. de Anima cap. 1. *Actus primus ſubſtantialis corporis organici potentia vitam habentis.* Dicitur *actus*, ad excludendam materiam, *primus*, ad excludendos actus ſecundos, *ſubſtantialis*, vt reijciantur potentiæ reſpectu ſuorum actuum, quæ dicuntur actus primi, ſed non ſubſtantiales. Dicitur *Actus corporis organici*, id eſt, *materiæ primæ rectè diſpoſita, & organizata*, ſeu *apta ad recipiendam animam, & cum anima potentias vitales ipſius in certis locis, cū talibus, vel talibus diſpoſitionibus*. Et per hanc partē definitionis excludūtur Angeli, qui ſunt tantū actus, ſeu formæ aſsiſtētes corporibus cæleſtibus, vel ijs, quæ ex aere, vel aqua aſſumūt: nō tamē ſunt actus informātes. Reijciūtur etiā formæ rerū non viuentiū quæ licet ſint actus informātes, nō tamen ſunt actus corporis organici. *Solutio tacitæ obiectionis.* Forma verò cadaueris, ſi videtur habere organa, nō illa habet ratione ſui, ſed tantùm per accidens, & ratione formæ præcedentis: & ideo propriè non ſunt organa.

9. Atque hæc definitio optimè declarat eſſentiam animæ, & vel eſt eſſentialis, vel ſaltem proximè accedit ad eſſentialem. *In quo ſenſu dicatur anima ab Ariſtotele Endelechia.* Quando autem Ariſtoteles loco citato vocauit animam *Endelechiam*, nō voluit animam eſſe perpetuam motionē, vt ipſum Tullius interpretatur, ſed cùm illud nomē Græcū etiam ſignificet actum perfectū, in hoc ſenſu illud accepit Philoſophus, quando animam vocauit *Endelechiam*.

Altera animæ definitio explicatur.

10. Aliam definitionem animæ attulit Philoſophus in hunc modum. *Anima eſt id, quo viuimus, ſentimus, loco mouemur, & intelligimus.* Quæ definitio, ita eſt intelligenda, vt anima dicatur id, quo viuimus, tamquam per principium vitæ internū, & eſſentiale, vt ita excludatur Deus, qui,

licet per intimum illapſum ſit præſens rebus omnibus, illaſque in ſuo eſſe conſeruet, & tribuat vitam effectiuè animantibus, tamen non eſt principium formale vitæ, quod res ipſas viuentes eſſentialiter componat. Similiter illæ particulæ, *Viuimus, ſentimus, mouemur, & intelligimus*, vt definitio conueniat omni animæ, debent ſumi cum proportione: non enim per omnes animas fit intellectio, neque per omnes fit motus localis. Sunt igitur ita explicandæ, vt dicamus, animam eſſe id, quo viuimus, aut etiam ſentimus, aut etiam loco mouemur, aut etiam intelligimus.

Diuiſio animæ in cõmuni.

11. Diuiditur anima in communi in animam vegetantem tantũ, quæ conuenit plantis, & herbis, & in animam vegetantem ſimul, & ſentientem tantùm, qualis eſt anima brutorũ, & in animam vegetantem ſimul, & ſentientem, & intelligentem; quæ aliter dicitur anima intellectiua, & conuenit ſolis hominibus. Priora duo mẽbra diuidentia animam in communi ſunt genera, quæ ſub ſe continent varias ſpecies animarum.

Anima rationalis eſt ſpecies infima.

Anima intellectiua in communi eſt ſpecies infima, vt magis infra patebit.

Vnde colligatur triplex animarũ varietas.

Colligitur autem hæc triplex animarum varietas ex modo operandi; nam arbores, & herbæ creſcunt, & non ſentiunt: animantes creſcunt, & ſentiunt, non tamen intelligunt; homines creſcunt; ſentiunt, & intelligunt, non quòd habeant vnam animã vegetantem, aliam ſentientem, & tertiam intellectiuam, ſed quia anima intellectiua, cùm ſit vna, & eadem maximè perfecta, & continens animam vegetantem tantùm, & ſentientem, poteſt ex ſe producere potentias, per quas formaliter vegetet, & per quas formaliter ſentiat. Et pari ratione dici poteſt de anima ſenſitiua tantùm, ſi comparetur cum vegetatiua tantùm.

Vtrùm omnes animæ per ſe ſubſiſtant?

CAP. II.

Ratio dubitandi.

12. Diximus animam eſſe ſubſtantiam quãdam, & nõ accidens. Cùm autem de ratione ſubſtantiæ videatur eſſe, quòd ſit ens per ſe exiſtens, & de ratione plurium, quòd ſint per ſe ſubſiſtentes, eſt dubium, vtrùm omnis anima ſit ſubſtantia per ſe ſubſiſtẽs?

Subſiſtere dicitur tripliciter.

Aduertendum igitur eſt *ſubſiſtere* dici tripliciter. Primò dicitur ſubſiſtere illud, quod non pendet à ſubiecto inhæſionis. Secundò dicitur ſubſiſtere illud, quod neque in ſuo fieri, neque in ſuo conſeruari pendet à ſubiecto. Tertiò dicitur ſubſiſtere illud, quod exiſtit per ſe completè, & independenter à quouis alio tamquam à ſubiecto, vt ſunt omnes primæ ſubſtantiæ.

In quo ſenſu omnes animæ per ſe ſubſiſtãt: & in quo animæ materiales nõ ſubſiſtant

13. Hoc poſito. Omnes animæ ſubſiſtũt per ſe primo modo, quia cùm non ſint accidentia, ſed ſubſtantiæ, non pendent ab alio, tamquam à ſubiecto inhæſionis. Nulla tamen anima tantùm vegetãs, vel ſentiens tantùm ſubſiſtit ſe-

cundo

cundo modo, quia omnes pendẽt in ſuo fieri,& in ſuo conſeruari à materia. Anima verò intellectiua ſubſiſtit per ſe etiam ſecundo modo, quia fit per creationẽ à Deo, & non pendet ſimpliciter à materia,neque in fieri, neque in cõſeruari. Tertio autem modo nulla anima ſubſiſtit, quia omnes ſunt ſubſtantiæ quædam incompleræ. Quamuis Origenes lib.1. περὶ ἀρχῶν cap.5.& 8.& lib.2.c.8. fallò exiſtimauerit animas rationales eſſe entia complera,vt ſunt Angeli,& non eſſe veras formas corporum.

Anima materialis poteſt creari. 14. Negandum verò non eſt poſſe Deum per actionem creatiuam producere animam leonis v.g.illamque conſeruare vnitam materiæ: & tunc diceretur anima illa per ſe ſubſiſtere; verùm non ex natura ſua,ſed per miraculũm: ſicut quantitas Euchariſtiæ dicitur per ſe ſubſiſtens. Dices. Anima rationalis in ſuo intelligere,& in ſuo operari pendet à corpore, ergo etiam in ſuo exiſtere;quia vt ſe res habet ad operari,ita ad eſſe. Probatur antecedens,quia anima pro hoc ſtatu non intelligit, niſi dependenter à phantaſia, & cum recurſu ad phantaſmata; ergo in ſuo operari pendet à corpore.

Obiectio.

Solutio. Reſpondetur hanc dependentiã, quam haber intellectus animæ à phantaſia, & phantaſmatibus, nõ eſſe dependentiam ſimpliciter, & quæ comitetur animam rationalem,quatenus forma corporis eſt ſed ad ſummum comitari illam pro hoc ſtatu, in quo propter ſympathiam porentiarum, vt intelligar, opus eſt vt recurrat ad phantaſiam. Eſt ergo illa dependentia in operãdo tantùm dependentia ſecundùm quid, quæ non efficit ipſam ſubſtantiam animæ rationalis ſimpliciter dependentem. Imò in ecſthaſi, (quæ iuxta aliquos etiam naturaliter dari poteſt) non eget anima, vt intelligat, aliquo recurſu ad phantaſmata, de quo plura dicemus infra.

In quo ſenſu anima rationalis ſubſiſtat & operetur vt quod.

15. Petes, vtrùm anima rationalis poſsit dici ſubſiſtere *vt quod*, vel operari *vt quod*? Reſpõdetur ſi ſubſiſtere, & operari *vt quod*,ſit idem, atque operari, vel ſubſiſtere; vt ens completum, nõ poſſe dici animam rationalem ita ſubſiſtere,vel operari. Si autẽ ſubſiſtere *vt quod*, & operari *vt quod*, ſit idem,atque terminare actionẽ creatiuam totalem, & operari independenter à materia,tunc rectè poteſt rationalis anima dici ſubſiſtere *vt quod*, vel operari *vt quod*.

Vtrùm omnes animæ ſint diuiſibiles?

CAP. III.

Triplex diuiſio.

16. Explicata eſſentia animæ in communi, & illius diuiſione in partes ſubiectas, ſeu potentiales,proximè ſequitur videndum,an quælibet anima poſsit diuidi in partes materiales, & quaſi integrantes. Tripliciter ergo poteſt res aliqua dici diuiſibilis. Primò in partes phyſicas, nempe in materiam,& formam, vel in par-

tes

tes metaphyſicas, vt ſunt genus, & differentia. Secundò poteſt diuidi res aliqua in ſuas potentias, quæ à tali eſſentia manant. Et ita poſſunt diuidi omnes animæ, nō quidem in partes phyſicas, cùm non conſtent ex materia, & forma, ſed in partes metaphyſicas, cùm conſtent, & componantur ex genere, & differentia. Poſſunt etiam diuidi in ſuas potentias diuiſione quadam, quæ dicitur diuiſio ſubiecti in accidentia.

Senſus quæſtionis. 17. Tertia diuiſio eſt, qua res aliqua poteſt diuidi in partes quaſi integrantes. Et de hac diuiſione eſt totum dubium. In quo aliqui aſſeruut omnes animas eſſe indiuiſibiles. Alij omnes eſſe diuiſibiles, excepta rationali, quæ, cum ſit ſpiritualis, non poteſt habere partes, in quas diuidatur: quamuis hæc opinio nullam faciat exceptionem. Inter has ſententias ſunt aliæ duæ mediæ. Prima tenet, omnes formas tantùm vegetantes eſſe diuiſibiles, & extenſas, & ſimiliter omnes formas viuentium, & animalium imperfectorum: animas verò perfectorum animaliū omnes eſſe indiuiſibiles, & inextenſas. Cuius rei indicium eſt, quòd formæ imperfectorum manent in vtraque parte, quando animal ſecatur; formæ autē perfectorum non ita: ergo illæ ſunt diuiſibiles, iſtæ indiuiſibiles. Secundò, quia Ariſtoteles cap. 5. lib. 1. de ortu, & interitu differēs, docuit animal perfectum, dum nutritur, manere idem ſecundùm partes formales, non ſecundùm partes materiales: ergo ſola materia augetur; forma verò minimè, ſed ea, quæ antea erat, vnitur de nouo alteri parti materiæ.

Duæ ſententiæ extremæ.

Altera ſententia probabilis.

Ratione probatur.

18. Secunda ſententia docet ſolam animam rationalem eſſe indiuiſibilem, reliquas omnes eſſe diuiſibiles. Fundamentum eſt, quia omnes formæ materiales pendent à materia; ergo debent materiæ proportionari; ſed materia eſt diuiſibilis: ergo etiam animæ. Deinde, ſicut tota forma materialis educitur de poteſtate totius materiæ, ita pars formæ de parte materiæ; ergo ſicut materia eſt diuiſibilis, ita & forma. Tertium fundamentum eſt, quia nō bene intelligitur quomodo anima ſit indiuiſibilis & tamen ſit materialis, non verò ſpiritualis. Vnde non dabitur aliud exemplū ſimile. Atque hæc poſterior ſententia videtur probabilior. Vnde ad fundamenta alterius ſententiæ dici poteſt, ideo formas animalium imperfectorum manere in vtraque parte ſecta, quia non requirunt tot organorum apparatum. Formæ autem perfectorū animantium ideo non manent, quia materia illa, quæ diuiditur, non habere a organa, quæ requiruntur, vt ibi poſſit forma conſeruari. Ad auctoritatem Ariſtotelis reſpōdetur, in nutritione ſemper manere idem indiuiduum quoad partes formales, quia ſemper manet indiuiduum eiuſdem ſpeciei, quam Ariſtoteles ſæpe vocat formam indiuiduorum.

Secunda ſententia ſolā animā rationalem eſſe indiuiſibilem.

Fertur iudicium de prædictis opinionibus.

Soluuntur fundamēta tertiæ ſententiæ.

19. Atque iuxta hanc poſteriorem ſententiam colliges, animas vegetantes, & ſenſitiuas ita eſſe in toto corpore viuentis, vt tota forma ſit in toto, & pars in

Modus exiſtēdi formæ materialis in corpore.

parte,

Dubium.

parte; nam cū omnes partes corporis animati viuant, oportet vt in illis ſit aliquod principium internum vitæ, ſaltem partiale. Dubium tamen eſt, vtrùm in quolibet viuente vna tantùm anima, an plures totales reperiãtur? Hæc tamen quæſtio iam manet ſoluta ſupra, tractatu tertio de generatione, quæſtione ſecunda, capite 3. De partibus organicis animaliū poſſet eſſe maius dubium, vtrùm habeant diuerſas ſpecie formas, ſeu animas, quia habent diuerſas omnino operationes. Dicendum tamen omnes iſtas operationes prouenire ab vna, & eadem anima, quæ per diuerſas potentias in diuerſis organis reſidentes, operatur (quidquid in contrarium medici reclament) accedente etiam diuerſo quatuor qualitatū temperamento, quod diuerſa organa requirit. Colligitur etiam ex dictis omnes partes, quæ in viuēte informantur vna, & eadem numero anima eſſe inter ſe continuatas neruis, muſculis, aut fibris etiam tenuibus, alijſque iuncturis; quamuis aliquando ipſa ligamēta ſenſu non dignoſcantur. Vnde etiam cerebrum, quod videtur eſſe diſcontinuatum, continuatur tamen medulla dorſi. Quamuis autem partes organicæ, quæ diſſimile habent temperamentum, in ſe mutuò agant, non tamen ſe à naturali ſtatu diſturbant, dum naturalem habent temperiem. Si autem ſint prauè affectæ, tunc poſſunt quidem ſibi, & toti compoſito perniciem afferre. Hæc tamen pernicies non adſcribitur propriæ formæ, ſed illi agēti, quod partem organicam á ſuo naturali ſtatu dimouit.

Aliud dubiū de partibus organicis an habeant diſtinctas formas.

Partes omnes viuētes ſunt inter ſe continuatæ.

Solutio obiectionum.

Vngues, & capilli an informētur anima.

20. Maius dubium eſt, vtrùm anima ſiue diuiſibilis, ſiue indiuiſibilis, etiam informet capillos, & vngues? In quo dubio tres ſunt opiniones. Prima aſſerit capillos, & vnges animari eadem forma viuentis, non quoad gradū ſentiendi, cùm ſenſu careant, ſed quoad gradum vegetandi, cùm creſcant, & nutriantur, mutenturque ad mutationem temperamēti, ſaltem quoad aliqua accidentia, v.g. colorem, craſsitiem, tenuitatem, & ſimilia.

Prima opinio.

Secunda.

21. Secunda ſententia docet capillos, & vnges animari quidē anima quadam vegetatiua, hanc tamen non eſſe eamdem animā viuentis ſenſitiui, ſed aliam ſpecie, & numero diuerſam. Prima pars probatur, quia capilli, & vngues creſcunt, ſed hoc eſt proprium munus animæ vegetantis, ergo, &c. Cùm autem creſcant per totam vitam, non poſſunt informari forma viuentis, quæ habet certum terminum, ad quem poteſt extendere ipſum viuens, & non amplius. Deinde, quia abeūte forma ſenſitiua adhuc capilli videntur creſcere.

Tertia probabilior.

22. Tertia ſententia probabilior docet capillos, & vngues neque animari forma viuentis, neque forma alia vegetante, ſed informari alia forma non viuente. Et ratio eſt, quia ſi creſcunt, ſolū creſcunt per iuxtapoſitionem, vt lapides, & ignis, non verò per intusſuſceptionem, aut per verā nutritionem. Deinde quia capilli, & vngues non ſunt corpora

Ratio.

organica,

Digitized by Google

organica,ſed excrementa quædã, & exhalationes,quas natura reijcit vt inutiles ad propriam nutritionem: vngues enim ſunt *excrementa quædam neruorum,arteriarum, ac venarum*; quæ ad extremitates digitorum expellũtur,& præ craſſitudine non reſoluuntur,ſed maiorem comparant ſiccitatem. De capillis verò iam ſupra diximus, quomodò generẽtur,& fiant. Nõ tamen eſt verum capillos creſcere in immenſum; ſolùm enim creſcunt in longitudinem, dum partes,quæ ſunt ad radicem,poſſunt propellere partes externas. Si autem dicamus capillos,& vnges viuere, & informari eadem anima viuentis, hoc certius erit de vnguibus,quàm de capillis.

Non creſcunt capilli,& vngues ſine termino.

23. De partibus autem fluidis animãtis, vt ſunt omnes quatuor humores,lac,ſemen,& ſpiritus, tã vitales,quàm animales,magis certum eſt habere formas alias ſpecie diuerſas á forma viuentis, & eſſe compoſita per ſe ſubſtantialia non viuentia, & partes quaſdam ſpectantes ad perfectionem accidentalem totius viuentis, ſine quibus non poterit viuens naturaliter conſeruari, quæ ideo dicuntur partes non quidem eſſentiales, nec integrantes primariæ, ſed tantùm ſecundariæ. Quod præſertim eſt intelligendum de quatuor humoribus, & ſpiritibus vitalibus. Si autem humores creſcunt,per veram nutritionem non creſcunt, ſed tantùm per iuxta poſitionem.

Partes fluidæ nõ animantur forma viuentis ſed alijs diuerſis.

24. Peres quomodo lac conficiatur? Reſpondetur lac ferè ſemper fieri ex ſanguine menſtruo detractis fæcibus, & attracto per vim attractoriam ad vbera, quæ ſanguinem ſic attractum iterum decoquunt,illique indunt candorẽ, dulcedinem,& ſaporem,aliaſque qualitates. Huius rei ſignum eſt, quia tempore, quo fœmina lac præbet, non patitur menſtruum. Secundò, quia poſt ſecũdũ cõceptum,niſi ſanguis ad vtrumque ſufficiat,ſiccatur lac in vberibus. Dixi *ferè ſemper*,quia interdũ quibuſdam edulijs extra tempus lacteſcunt vbera, & paſtores ante partum aliquando capreis lac exprimunt. Vtrùm verò forma lactis ſpecie differat à forma ſanguinis,quæſtio eſt pro vtraque parte probabilis; probabilior pro parte affirmante, vt oſtendunt diuerſæ proprietates,& accidentia, quæ in ſanguine, & lacte conſpiciuntur,quæ non videntur poſſe oriri ab vna,& eâdem forma.

Lac quomodò fiat, & ex qua materia.

Forma lactis an differat á forma ſanguinis.

25. Atque ex dictis reijcies opiniones eorum, qui dicebãt animam non reſidere in omnibus partibus materiæ: aliqui enim illam conſtituebant in ſolo cerebro; alij in ſolo corde; alij in toto pectore. Et probant,quia anima eſt actus corporis organici, ſed in viuente dantur plures partes,quæ non ſunt organicæ, ſeu diſsimilares; ergo in his non eſt anima. Deinde, ſi anima rationalis eſſet in toto corpore,eſſet etiã in pede,ac proinde etiam ibi eſſet intellectus. Vnde iam homo intelligeret pedibus, quod eſt ridiculum. Reſpondetur tamen, licet in viuentibus dentur quædã partes ſimilares, vt ſunt omnes partes carnis,& omnes partes oſ-

Variæ opiniones de ſede animæ in corpore reijciuntur

Eorum fundamẽta

Soluuntur.

ſium.

ſium, tamen iſtas partes ordinari ad partes organicas, & ideo etiam informari anima viuentis. Ad ſecundum fundamentum reſpondetur, verum quidem eſſe animã rationalem, & intellectum, ac voluntatem eſſe in omnibus, & in ſingulis partibus corporis: non tamen dicitur homo ſcire, aut intelligere per pedem, ſed dicitur intelligere per intellectum, qui eſt in pede. Et ſimiliter in rigore philoſophico non dicitur intelligere per caput, ſed per intellectum, qui eſt in capite. Quod ſi aliquando vulgus ita aſſerit, hæc potius eſt locutio vulgaris, & fundatur in eo, quòd in capite præſertim reſideant ſenſus interni, à quibus intellectus, ſaltem pro hoc ſtatu, aliquo modo pendet in ſua intellectione.

DE ANIMABVS IN SPECIE, & de potentijs earum.

QVÆSTIO II.

De anima vegetatiua tantùm, & potentijs quas habet.

CAP. I.

1. Diximus breuiter quæſtione præcedente illa, quæ de anima in cõmuni ſub intẽta breuitate dici poſſunt. Nunc ad ſingula membra deſcendamus. Primò igitur dubitatur, vtrùm dentur aliqua viuentia, quæ conſtent ſola forma vegetatiua, quin ſimul ſit ſenſitiua? Negarunt aliqui ex Stoicis philoſophis aſſerẽtes plãtas, herbas, & arbores non viuere, quia conſtant ſola anima vegetatiua, quæ non eſt propria anima, ſed forma quædam ſubſtantialis non viuens, quia caret appetitu, & ſenſu. Alij aſſerunt plantas viuere quidem, ſed habere animã non tantùm vegetantem, ſed etiã ſentientem; habereque aliquem ſenſum, quamuis obtuſum. Fundamenta huius ſententiæ erant, quia plantæ videtur inutiles ſuccos declinare, & vtiles attrahere. Item arbores quædam, ſi pungantur, emittunt lachrymas; ergo præ dolore, qui eſt actus appetitus. Et plures alias afferunt coniecturas huius generis.

Primum dubium. *Opinio Stoicorum.* *Altera opinio extrema.* *Illius fũdamenta.*

2. Ideo contra primam opinionem dicendum primò, plantas, & herbas viuere, & habere animam aliquam. Probatur hoc ex ſacra pagina, & ex verbis Chriſti Domini, Ioan. 12. *Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*; ergo antea viuebat. Idem etiã eſt communis Philoſophorum conſenſus, Patrum, ac Theologorum.

Prima conclusio cõtra primam opinionẽ.

Ratio

Ratio. Ratio verò eſt „ quia arbores, & herbæ nutriuntur per veram, ac propriam nutritionem, conuertendo in propriam ſubſtantiam alimẽtum, quod ex terra per vim attractiuam ſugunt; ſed hæc nutritio ſolùm datur in viuentibus; ergo arbores viuunt vita ſaltem vegetatiua.

Secunda concluſio. 3. Dicendũ ſecundò, arbores, & plãtas non viuere, niſi tantũ vita vegetatiua, nec habere aliam animam, niſi purè vegetatiuam. Probatio. Probatur, quia nullum indicium oſtendunt ſentiendi, aut appetendi, ſed omnia viuentia, quæ habent animam ſenſitiuam, præbent aliquod indicium ſentiendi, vel appetendi, v.g. ſi pungantur oſtendunt dolorem ſe contrahendo, aut mouendo; arbores autem nõ habent aliquid ſimile; ergo ſolũ viuunt vita vegetatiua, & non ſenſitiua. Solutio fundamẽti oppoſiti. Neque obſtat quòd in utiles ſuccos reijciant, & vtiles attrahant; quia hoc non prouenit ex aliqua potentia ſentiendi, ſed ex potentia attractiua, quæ potens eſt attrahere illum ſuccũ, qui eſt vtilis non verò illum, qui eſt inutilis: ſicut magnes attrahit ferrum, & non attrahit aquam, aut lignum: hoc autem prouenit ex naturali ſympathia, vel antipathia, quam habet cum hac re, vel cum illa; & non ex aliqua cognitione præcedente.

Explicatur natura animæ vegetantis tantùm. 4. Certum igitur eſt dari animam vegetatiuam, & quæ reperiatur ſeparata à forma, ſeu anima ſenſitiua. Hæc autem anima vegetatiua tantùm non eſt indiuiſibilis, ſed diuiſibilis in partes quaſi integrantes, quæ ſimul cum materia per contactum phyſicum media quantitate poſſunt diuidi, & de facto diuiduntur quando arbor v.g. ſcinditur, aut herba in duas, vel plures partes, manetque in vtraque parte forma vegetatiua, & quæ antea erat vna totalis, iam modo per diuiſionẽ fit multiplex, manetque forma vegetatiua in ligno, donec comburatur, vel areſcat, aut putreſcat, tũc verò aduenit forma cadaueris.

5. Hanc animam purè vegetatiuam comitantur aliquæ potentiæ, quibus vtitur tamquam inſtrumẽtis ad ſuas vitales functiones obeundas: nam imprimis in quocumque viuente repetitur potentia illa, quam in tractatu de generatione, quæſtione 4. capite ſecundo vocauimus naturalem, & diximus habere tria munia, nimirum *alere*, ſeu *nutrire*, *augere*, & *generare*; nam augere, & nutrire ſunt actus ſubordinati, & ideo poſſunt oriri ab vna, & eadem reali potentia; nutritio autem eſt quædam partialis generatio, & ideo poteſt oriri ab eadem potentia, quæ inſeruit ad generationem alterius indiuidui ſimilis in ſpecie. Quamuis non deſint aliqui Auctores, qui non ſine magna probabilitate diſtinguant potentiam nutriendi à potentia generandi, aſſerantque eſſe duas omnino diſtinctas, & non vnam tantùm. Potentiæ comitantes animam vegetatiuã. Potentia naturalis quid.

6. Hanc potentiam naturalem comitantur aliæ minùs præcipuæ, ſiue ab ea diſtinguantur, ſiue non; vt ſunt potentia attrahens, expellens, diſtribuens, & ſecernens: quæ ſunt veluti adminiſtræ Potentiæ aliæ comitantes naturalem.

potentiæ

potentiæ nutritiuæ, vt conſtat ex his, quæ diximus loco citato de generatione.

Nutritiua an ſit aliqua ex quatuor primis qualitatibus.

7. Dubium tamen eſt adhuc, vtrùm potentia nutritiua ſit aliqua potentia diſtincta à quatuor primis qualitatibus, & earum tẽperie: vel vtrũ ſit aliqua ex prædictis qualitatibus, aut omnes ſimul attemperatæ? Auctores cõmuniter affirmant potẽtiam nutritiuam eſſe vnam é quatuor qualitatibus, quæ reperiuntur in quolibet viuente; nempe calorem natiuum, per quem præcipuè diſponitur alimentum, vt conuertatur in ſubſtantiam aliti; & quamuis reliquæ qualitates etiam concurrant, & ſuo modo diſponant, tamen, quia calor eſt magis actiuus, ideo hic potiùs dicitur potentia nutritiua, quâm alia qualitas.

Realiter diſtinguitur ab illis.

8. Probabilior tamen eſt ea opinio, quæ ponit potentiam nutritiuam realiter diſtinctam ab iſtis quatuor primis qualitatibus, & quæ ſit iſtis nobilior, vtaturque calore natiuo tamquam inſtrumento ad ſuas functiones obeundas. Hæc eſt expreſſa ſententia Ariſtotelis libro ſecundo de generatione animalium capite quarto ante medium, vbi aſſerit virtutem animæ vegetabilis, ſiue in animantibus, ſiue in plantis, efficere ex alimento incrementum, vtendo caliditate, & frigiditate vt inſtrumento. Item libro ſecundo de Anima capite quarto exemplo gubernatoris in naui, qui manu mouet clauum, & clauus totam nauim, docuit ita ſe habere animam in nutritione, quia vtitur duobus inſtrumentis, vno quidem moto à ſe, quod eſt potentia nutritiua, quæ mouet aliud inſtrumentum, nempe calorem natiuum, & reliquas primas qualitates. Hæc etiam videtur ſententia Sancti Thomæ in ſecundo, diſtinctione 18. articulo 3. & prima parte, quæſtione 78. articulo ſecundo ad 1. Alberti, Philopponi, Themiſtij, Ferrarienſis, Viguerij, & aliorum, quos ſequitur Toletus, & Rubius libro 2. de Anima cap. 4. quæſtione 1. num. 16.

Autoritate probatur.

Deinde ratione.

9. Ratio eſt, quia nutritiua potentia, & generatiua ſunt potentiæ vitales, quæ emanant immediatè ab eſſentia animæ, ſed quatuor primæ qualitates non ſunt vitales potentiæ; ergo non poſſunt eſſe potentia generatiua, aut nutritiua. Deinde. Quatuor primæ qualitates ſunt quædam accidentia, quæ comitantur omnes formas miſtorum, ſiue viuentium, ſiue non viuentium: ſed anima vegetatiua eſt forma nobilior, quàm formæ non viuentes; ergo debet habere nobiliores aliquas potentias ſibi proprias, ac peculiares: ſed non apparent aliæ niſi potentia nutriendi, & generandi; ergo hæ potentiæ ſunt diſtinctæ á quatuor primis qualitatibus, & illis præſtantiores.

Potentiæ nutriendi ſunt ſpecie diuerſæ, ex aliquorum ſententia.

10. Atque hinc vlterius addũt huius ſententiæ Auctores, potentias nutritiuas animæ vegetantis tantùm, ſentientis, & rationalis eſſe ſpecie diſtinctas, quia producunt diuerſos ſpecie actus, vt videre eſt apud Rubium ſu-

Nõ tamen opus eſt illas ita diſtinguere

pra numero 19. Hoc tamen non eſt opus ad tuendam proximè poſitam doctrinam, rectè enim poteſt potentia nutritiua eſſe eiuſdem ſpeciei in omnibus viuentibus, quia oritur ab anima ſecundùm gradum vegetandi præcisè. Non eſt tamen negandum eſſe in quibuſdam viuentibus, ſaltem accidentaliter, perfectiorem, & efficacioré, quàm in alijs. Similiter ratione diuerſarum diſpoſitionum, quibus vtitur in diuerſis viuentibus poſſe producere actiones ſpecie diuerſas, verbi gratia in arbore producit arborem, in leone leonem, in homine efficit vnionem formæ rationalis ad nouam materiam. Si quis tamen velit potentias nutritiuas variari ſpecie pro varietate ſpecifica formarum viuentium, facilè ſe tuebitur aſſerendo potentiam nutritiuam, vel generatiuam leonis non poſſe producere, vel generare equum, aut è contrà, etiam ſi potentia vnius ponatur in alio: ac proinde diuerſitatem, quæ cernitur in actibus nutritiuæ, nõ prouenire ex varietate primarũ qualitatum, ſed ex diuerſa potentia nutriendi.

Facilè quis tuebitur eſſe diuerſas ſpecie.

Nutritiua, & vitalis in plantis vbi reſideat.

11. Petes in qua nam parte arboris reſideat potentia nutriendi? Reſpondetur reſidere in omnibus partibus, quæ nutriuntur, & creſcunt. Potentia autem, quæ dicitur vitalis, ſiue à nutritiua diſtinguatur, ſiue non, præſertim reſidet in radice, ibique tãquam in ſtomacho decoquit vtiles ſuccos, & conficit quaſi ſanguinem, qui poſtea per vim attractiuam, & expulſiuam cõmunicatur ſingulis partibus pro cuiuſque partis exigentia, & poſtea per potentiam nutritiuam conuertitur in ſubſtantiam arboris.

De Anima ſenſitiua, & de illius potentijs

CAPVT II.

12. Dari animas ſenſitiuas ſolus negabit ille, qui omni ſenſu expers fuerit. Aduertendum autem, *ſenſitiuum*, vel poſſe ſumi prout eſt concretum á potentia ſentiendi; vel prout eſt differentia quædam maximè propria conſtituens animam biutorum, ſeu irrationalem, illamque diſtinguens ab anima tantùm vegetatiua. In vtroque igitur ſenſu dantur animæ ſenſitiuæ, & anima ſenſitiua eſſentialiter eſt radix, ac principium potentiarum ſentientium, vt ſtatim videbimus.

Senſitiuum dupliciter ſumitur.

Dantur animæ ſenſitiuæ.

13. Dubium tamen eſt, vtrùm anima eſſentialiter, & formaliter ſenſitiua, quales ſunt omnes animæ irrationales brutorum, ſit etiam formaliter vegetatiua? Ad cuius dubij ſolutionem aduerte, dupliciter poſſe aliquid dici continere aliud formaliter. Primò, quia eſt formaliter tale: qua ratione calor dicitur continere formaliter calorem illum, quem producit, quia in ſe eſt formaliter calor potens producere alium ſimilem. Secundò dicitur res aliqua communis cõtinere formaliter aliquẽ

Vtrùm anima ſenſitiua ſit formaliter vegetatiua.

Aliqua aduertẽda.

gradum

gradum ſuperiorẽ, quia continet formaliter in ſe gradum illum: qua ratione homo dicitur formaliter animal. Addi poteſt alius modus continendi formaliter aliud, quando ſcilicet vna res conſtituitur formaliter per eandem differẽtiam ſpecificam, per quam conſtituitur alia; qua ratione Petrus continet formaliter rationale commune, quod etiam eſt in Paulo. Si ergo loquamur de anima ſenſitiua in hoc vltimo ſenſu, nõ continet formaliter gradum vegetatiuæ animæ, quia forma ſenſitiua in communi, aut in particulari, non conſtituitur in ſua ratione ſpecifica per eamdem differentiam ſpecificam, per quam conſtituitur anima vegetatiua tantùm: cùm enim ſint ſpecies animarum diuerſæ ſub eodem genere, nempe ſub anima in communi, non poſſunt conſtitui formaliter, & intrinſecè per eamdem differentiam ſpecificam, vt patet in alijs ſpeciebus diuidentibus idem genus.

In quo ſenſu anima ſenſitiua non ſit formaliter vegetatiua.

14. Si autem *vegetatiuum* ſumatur prout eſt gradus genericus contrahens formam ſubſtantialem in communi ad formam viuentem, tũc tam anima ſenſitiua, quàm rationalis continet in ſe formaliter iſtum gradum vegetatiuum, qui in communi ſumptus indifferens eſt ad vegetatiuum ſpirituale, & ad vegetatiuum corporeum. Et ratione illius omnis anima ſenſitiua, & omnis anima rationalis dicitur formaliter, & eſſentialiter vegetatiua, non quòd formaliter includat gradum illum ſpecificum, per quem anima plantarum diſtinguitur ab anima bruti, ſed quia continet formaliter alium gradum vegetatiuum genericum ſuperiorem, qui abſtrahit ab ſpirituali, & corporeo. Et ratione huius gradus potẽs eſt quælibet forma ſẽſitiua ex ſe producere potentias vegetãdi, verbi gratia nutritiuam, augmentatiuã, &c. Quia tamen iſte gradus communis ratione differentiæ ſpecificæ, per quam anima ſenſitiua, vel rationalis contrahit animam in communi, magis perficitur, ideo potentia nutriendi in homine, & in bruto poteſt eſſe perfectior, ſaltem accidentaliter, quàm in arbore, aut planta: ſicut phantaſia hominis ſaltem accidentaliter eſt perfectior, quàm phantaſia brutorum. Dicitur etiã gradus ille ſpecificus animæ vegetatiuæ tantùm cõtineri eminẽter in ſenſitiua, ſeu in anima ſenſitiua, quatenus iſta anima eſt potẽs elicere eoſdẽ actus, & eaſdẽ potẽtias, quæ in plãtis oriũtur ratione ſui gradus vegetatiui ſpecifici: quod alij vocant *Continentiam formalem*, eo modo, quo ſubſtantia ignis dicitur continere in ſe formaliter illum calorem, quem producit in ſe ipſa ad ſuam conſeruationem, & illum, quem producit in alio ſubiecto externo.

Et in quo ſenſu ſit formaliter vegetatiua.

Gradus vegetandi quomodò cõtineatur eminenter in gradu ſentiendi.

15. Ne autem bis eadem repetamus, illud, quod nunc dicimus de anima ſenſitiua comparata cum anima tantùm vegetatiua plantarum, proportione ſeruata, accommodandum eſt animæ rationali comparatæ cum anima vegetatiua ſimul, & ſenſitiua: nam anima

Anima rationalis quomodo in ſe ſit formaliter vegetatiua, & ſenſitiua

rationalis in ſe formaliter eſt vegetatiua eo modo, quo proximè explicauim[9], & formaliter eſt ſenſitiua, nō eo gradu ſenſitiuo ſpecifico, qui formaliter, & intrinſecè, rāquā differētia ſpecifica cōſtituit animā ſenſitiuā, ſed alio gradu cōmuniori, per quē cōſtituitur animal, & contrahitur viuens in communi ad ipſum animal: vel, vt clarius loquamur, per quē forma ſubſtantialis in communi contrahitur ad formam ſenſitiuā in communi. Qui gradus, cùm ſit genericus, & ſimiliter indifferens ad ſenſitiuum ſpirituale, & ad ſenſitiuum corporeum, contrahitur ad animam ſenſitiuam tantùm per eamdem differentiam, per quam anima ſenſitiua contrahit animā in communi; ad animam verò rationalem contrahitur per eamdem differentiam, per quam anima rationalis contrahit animam in communi, & ratione huius gradus poſſunt ab anima rationali emanare potentiæ omnes ſentientes.

De ſenſitiuo accidentali.

16. De ſenſitiuo accidentali animæ ſenſitiuæ tantùm dicendum eſt nullam eſſe animam eſſentialiter & ſubſtantialiter ſenſitiuam, quæ præter potentias illas, quæ comitantur animam vegetatiuam, non habeat etiam aliquā, vel aliquas potentias ſentientes: nam omne animal ex quinque ſenſibus externis debet ſaltem habere guſtum, & tactum, vt vtilia quærat, & noxia deuitet; alioqui non poterit diù conſeruari, neque nutriri, vel accreſcere per veram nutritionem. Omne etiam animal habet aliquem motum, ſaltem imperfectum. De ſenſibus verò internis opus eſt vt habeat ſenſum communem, & appetitum, ſaltem concupiſcibilem.

Omne animal habet aliquem ſenſum externum, communē, & appetitū.

Animalia perfecta quos habeant ſenſus externos, & internos.

17. Animalia autem perfecta, præter quinque ſenſus externos, habent duos internos, phantaſiam ſcilicet, & ſenſum communem. Habent etiam appetitum iraſcibilem, & concupiſcibilem. Tertiò habent potentiam loco motiuam. Vnde fit, vt animantia ſenſitiua diuidātur diuiſione quadam accidentali in viuentia ſenſitiua tantùm, & in viuentia ſenſitiua ſimul, & loco motiua. Quæ etiam fuit ratio, quare Ariſtoteles libro ſecundo de Anima cap. 3 text. 32. cùm poſuerit tria tantùm genera animarum, poſuit tamen quatuor genera animatorū, ſeu viuentium, nimirum viuentia tantùm vegetatiua, viuentia tantùm ſenſitiua, viuentia ſenſitiua ſimul, & loco motiua, ac tandem viuentia intellectiua. Agere autem de his potentijs ſentientis, & de earum actibus, & obiectis, organis, & ſpeciebus in particulari, etiam ſpectat ad doctrinam de Anima, & ideo infra de his omnibus tractabimus.

De anima rationali, & illius potentijs

CAP. III.

Animæ intellectiuæ cognitio etiam ſpectat ad naturalem philoſophum.

18. SVppono primò vt certum, cognitionem animæ intellectiuæ ſpectare etiā ad phi-

loſophum naturalem, ne vltra metas videat exilire: nã cùm anima rationalis ſit vera forma corporis, & in eo naturales ſuas functiones, non ſolùm ſpirituales, ſed etiã materiales exerceat, ſaltem ſecundũ hanc conſiderationem ſpectat ad naturalem philoſophum: quãuis ſub alia conſideratione, quatenus ſcilicet poteſt habere ſtatum ſeparationis, ad Metaphyſicum ſpectet. Deinde explicare eſſentiam animæ rationalis etiam noſtrum eſt, quia ex ſua ratione, & natura eſt forma corporis organici, eique cõpetit definitio animæ ſupra explicata. Deinde, quia ad naturalem philoſophum ſpectat conſideratio totius phyſici, & ſuarum partium: ſed anima rationalis eſt pars phyſica cõpoſiti humani: ergo naturalis philoſophi eſt eſſentiam animæ rationalis explicare.

Anima rationalis eſt ſubſtantia incõpleta, ſimplex & ſpiritualis.

19. Eſt igitur anima rationalis, *Subſtantia quædam ſpiritualis incompleta, & phyſicè ſimplex*, ſicut ſunt reliquæ formæ materiales, quæ licet non ſint ſpirituales, tamen ſunt ſimplices, ſeu non compoſitæ ex materia, & forma: quãuis alioqui componãtur ex gradibus Metaphyſicis. Similiter habet peculiare præ cæteris, quòd ſit per ſe ſubſiſtens, & in ſuo fieri, & cõſeruari indepẽdens à materia. Vnde quando producitur fit à ſolo Deo per actionem creatiuã: reliquæ autem formæ producuntur per actionem generatiuam, & educuntur de poteſtate materiæ; anima verò rationalis minimè.

Eſt per ſe ſubſiſtens.

Probatur eſſe ſpiritualem.

20. Quòd autem anima rationalis ſit ſpiritualis, probatur primò ex illius operationibus: habet enim multas operationes abſtractas á materia, & ſupra conditionem naturæ corporeæ: intelligit enim res communes, res ſpirituales, idque per conceptus quoſdam ſpirituales; ergo eſt ſubſtantia quædam ſpiritualis. Secũdò, quia voluntas fertur in bonũ honeſtum ſub ratione honeſti, & refrenat appetitum: ſed tales actus nõ poſſunt oriri immediatè à ſubſtantia materiali: ergo oriũtur ab anima ſpirituali. Tertiò, quia anima poteſt operari independenter à materia, ſed nulla forma materialis ita poteſt operari, ergo, &c. Hæc etiam eſt communis Patrũ doctrina, colligiturque ex Sacris litteris, & Concilijs, vt magis infra parebit.

Contrariæ opiniones reijciuntur

21. Atque hinc reijcies contrarias opiniones, quarũ prima aſſerebat animã rationalem non eſſe veram formã corporis, ſed illi aſſidere, ac mouere eo modo, quo nauclerus mouet clauũ nauis. Hi tamẽ ex eo refellũtur, quia iã tũc actiones humanæ non eſſent actiones vitales; quia omnis actio vitalis debet oriri à principio interno vitæ. & quod ſit vita eſſentialis: ſed tũc omnes actiones humanæ orirentur ab anima tãquã ab extrinſeco motore; ergo, &c. Deinde, quia homo viuit, ſed non viuit per materiã, ergo per animã. Tertiò, quia homo differt eſſentialiter à lapide, ſed nõ differt per materiã; ergo per formam ratiõnalẽ. Imò iã in varijs Concilijs de fide decretũ eſt animã eſſe verã formam corporis. & cõtraria doctrina vt erronea fuit damnata.

Anima rationalis eſt vera forma corporis.

Etiam ſecũdum gradũ intelligẽdi.

22. Aduertendum autem eſt animam rationalem, non ſolùm ſecundum gradum vegetandi, & ſentiendi, ſed etiam ſecundũ gradum intelligendi eſſe veram formam corporis, vt probant rationes factæ; nam homo eſt compoſitum quoddam eſſentialiter rationale, & intellectiuum, ſed non fit tale, niſi per animam quatenus intellectiuam; ergo anima, etiam vt ſic, eſt vera forma corporis, neque in ea diſtinguuntur à parte rei gradus vegetandi, ſentiendi, & intelligendi. Eſt tamen formaliter vegetans, & formaliter ſenſitiua modo ſupra explicato, ſicut eſt formaliter intellectiua.

Obiectio aliquantũ difficilis.

23. Dices. Sicut anima rationalis ex eo, quòd ſit formaliter ſenſitiua cõfert homini, quòd ſit viuẽs ſenſitiuũ, ita etiã illi cõfert, quòd ſit ens corporeũ, ergo ſi anima rationalis eſt formaliter ſenſitiua, etiam erit formaliter corporea, & non ſpiritualis.

Solutio

Reſpondetur negata conſequentia: nam anima rationalis, quamuis ſit formaliter ſenſitiua, & vegetatiua, idque homini formaliter tribuat, tamen nõ eſt formaliter corporea, quia gradus corporis non eſt indifferens ad ſpiritum, & ad rem materialẽ. Illi autem duo gradus vegetandi, & ſentiendi, quatenus ſunt gradus quidam generici, ſunt indifferentes ad animam corpoream, & incorpoream.

Quomodo anima rationalis cõferat homini eſſe ens corporeũ.

Anima igitur rationalis tribuit homini eſſe ens corporeum, non quòd in ſe ſit formaliter corporea, ſed quia eſt vera forma corporis tribuẽs materiæ verum eſſe corporeum, quãuis ipſa in ſe non ſit formaliter corpus. Quod alij dicunt eſſe animam rationalem corpoream, *vt quo*, non verò *vt quod*, quatenus ſcilicet eſt illud, quod tribuit eſſe materiæ proportionatũ ipſi materiæ, nempe eſſe corporeũ. Hoc tamen non tollit, quominus ipſa forma rationalis in ſe ſit ens ſpirituale, quia in tribuendo eſſe accommodatur naturæ rei, cui illud confert: ſicut Deus confert eſſe creaturis, non quale in ſe habet, ſed quale exigit cuiuſq; rei natura.

Secunda opinio circa animam rationalem exploditur.

24. Secunda opinio tenuit, animam rationalem eſſe particulam quamdam diuinitatis. Quæ, quàm abſurda ſit, ex ipſis terminis patet; neque enim Deus ita eſt partibilis in plures partes: alioqui omnes homines eſſent Dij, quia quidquid eſt in Deo, eſt ipſe Deus; ergo ſi homines habent aliquid in ſe, quod aliquando fuit in Deo, proculdubio erunt Dij, quod eſt hæreticum, & impium.

Tertia opinio quæ faciebat animam rationalem Angelis æqualem etiam excluditur.

Tertia opinio fuit Originis lib. 1. περὶ ἀρχῶν cap. 5 & 8. & lib. 2. c. 8. & aliquorum exiſtimantium animas rationales eſſe ſubſtantias quaſdam completas æquales in perfectione ſubſtãtijs Angelicis. Hi tamen inde reijciuntur, quia iam anima rationalis non eſſet corporis forma. Deinde, quia anima rationalis eſt imperfectior Angelis, iuxta illud pſalmi, *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Tertiò, quia eſt ſubſtantia ſpiritualis incompleta: Angeli autem ſunt ſubſtantiæ completæ, ergo non poſſunt eſſe æqualis perfectionis.

Potentiæ animæ rationalis.

25. Quod attinet ad potentias animæ rationalis, quædam ſunt

quædam ſunt materiales, quædã ſpirituales.

materiales,& in corpore recipiũtur; aliæ ſunt ſpirituales,& in ſubſtantia eiuſdem animæ ſubiectãtur. Habet igitur homo ratione ſuæ formæ omnes potentias ſenſitiuas,quas habent animalia perfecta.Habet præterea omnes facultates vegetatiuas, nimirũ nutritiuam,generatiuam, & omnes alias,quæ comitantur animã formaliter vegetatiuam. Tertiò habet appetitum iraſcibilem, & cõcupiſcibilem;phantaſiam, ac ſenſum communem. Quartò habet potentiam loco mouendi. Deinde habet potẽtias ſpirituales tres, nempe intellectum agentem, intellectum patientem, & appetitũ rationalem, ſeu voluntatem. De quorum actibus, & modo agendi infra dicetur.

Numerantur potẽtiæ materiales.

Potentiæ ſpirituales ſunt tres.

26. Dubiũ tamẽ eſt,vtrũ in omnibus hominibus ſit vna tantùm anima rationalis,an ſinguliq̃ in ſingulis? Fuit hac in re Pytagoræorũ error,qui dicebãt animas rationales, poſtquam vnum corpus relinquebant, in aliud tranſmigrare,ſiue eſſet humanum, ſiue belluinum Et hinc ortum habuit animatum Palingeneſia apud antiquos.Hic tamen error iam exoleuit. Alius fuit error Auerrois 3. huius operis comm. 5. varijſque in locis, qui vnicum tantùm poſuit intellectum,per quem omnes homines intelligerent, & conſequenter vnam tantùm animam rationalem, quæ non eſſet vera forma hominum,ſed tantùm forma aſſiſtens,& præter hanc aſſerebat dari aliam cuiuſque hominis propriam,quam vocat formã cogitatricem,& per quam homo quilibet diſtinguitur eſſentialiter a brutis, quæ cum ipſo homine generetur,& intereat.

An vna anima ſit in omnibus hominibus.

Pytagoræorũ error.

Auerrois delirium.

27. Verùm iſte error ſatis ex dictis confutatur: non enim dantur plura genera animarum, quã tria.Deinde anima rationalis eſt vera forma corporis humani, & intrinſecè componens hominẽ; ergo non eſt tantùm forma aſſiſtens Tertiò, quia ſi eſſet forma aſſiſtens tantùm,vel eſſet vbique, vel in determinatis locis: nõ vbique,quia hoc eſt proprium Dei; ſi in loco determinato, iam homo,qui non eſſet in eo loco, non poſſet intelligere, ſed debebat expectare,vt anima,& intellectus illius mutarent locum. Vnde iam homines non intelligerent quando voluiſſent. Tandem, quia intellectio eſt actio maximè vitalis; ergo debet oriri à principio ſubſtantiali intrinſeco. Item, ſi vnus eſſet hominum intellectus,& vna anima,omnes idem, & eodẽ modo intelligerent, quod repugnat experimento.

Cõfutatur

28. Dicendum igitur eſt vnũquemque hominem habere animam rationalem indiuiduam ſibi propriam, & numero ſaltem diſtinctam ab anima alterius hominis. Fundamentum eſt,quia vnũquodque hominis indiuiduũ per ſe viuit vita ſibi propria,& intrinſeca ſubſtantiali, ſed hæc vita nihil aliud eſt,quàm ipſa anima cuiuſque indiuidui hominis; ergo vnumquodque habet propriam animam rationalem diſtinctam ab anima alterius: alioqui iam peccata vnius eſſent peccata alterius. Deinde indiuidua homi-

Vnũquodque hominis indiuiduum habet ſuam peculiarem animam.

Confirmatur.

nis

nis ſub eadẽ ſpecie hominis ſunt realiter diſtincta,& vnum non eſt aliud, & eſſentia hominis multiplicatur in ſingulis, ſed anima rationalis eſt pars eſſentiæ; ergo etiam multiplicatur. Neque hoc ampliori eget probatione,cùm ſit de fide definitum in Concilio Lateranenſi erroneam eſſe illã ſententiam de vnica anima,quia anima rationalis eſt vera corporis forma,ac immortalis, & pro corporum, quibus infunditur,multitudine ſingulariter multiplicatur, & eſt multiplicabilis, multiplicata,& multiplicanda,vt ipſum Cõcilium definit ſeſsione 8. Et contra eumdem errorem ſcripſere varij Patres,ac Theologi.

Eſt doctrina de fide.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa animam rationalem.

CAPVT IIII.

29. Primum dubium eſt, ſuppoſito quòd animæ rationales multiplicentur ad numerũ hominum,vtrùm omnes ſint eiuſdem perfectionis? In quo dubio, primò certum eſt omnes animas rationales, quæ de facto dantur, eſſe eiuſdem perfectionis eſſentialis communis, ſeu inter ſe non differre ſpecie,ſed animam rationalem in communi eſſe ſpeciem infimam:ſicut homo in communi eſt ſpecies quædam infima.Totum ergo dubium eſt, vtrùm animæ rationales ſint inæquales in perfectione indiuiduali:ita vt hæc differentia indiuiduans, quæ cõtrahit animam rationalem in cõmuni ad animam Petri v.g. ſit de ſe perfectior, quàm alia differentia indiuiduans,per quam contrahitur ad animam Pauli, & ſic de reliquis.

Omnes animæ rationales de facto ſunt eiuſdẽ perfectionis eſſentialis.

Dubium an ſint æqualis perfectionis indiuidualis?

30. Atque in hoc ſenſu duæ ſũt celebriores ſententiæ. Prima tenet animas rationales eſſe inæqualis perfectionis indiuidualis; & hinc prouenire illam diſparitatem in opinionibus,in iudicijs, in affectionibus, & inclinationibus, quam quotidie experimur in hominibus. Hinc etiam originem ducere hebes,aut acutum ingenium,& illam diuerſitatem in intelligendo vnum, & idem obiectum, quod ab aliquibus faciliùs, ab alijs difficiliùs cognoſcitur. Probant verò hanc ſententiam primò,quia animæ proportionãtur corporibus, ſed corpora ſunt quædam alijs perfectiora; ergo etiam animæ. Secundò, quia genera contrahuntur per differentias inæqualis perfectionis: ergo etiam ſpecies infimæ contrahentur per differentias indiuiduales inæquales. Tandem, quia anima Chriſti Domini fuit maioris perfectionis, ſaltem indiuidualis,quã anima Iudæ,ergo,&c.

Prima opinio negans.

Rationibus probatur.

31. Hæc ſententia ita explicata eſt admodùm probabilis, neque meretur illam notam temeritatis, qua aliqui Recentiores eam notant. Imò in articulis Pariſienſibus habet proprium locum, ex quibus vnus ita inquit. *Si quis dicit omnes animas ab origine eſſe æquales errat.* Eſt etiam ſententia Magiſtri in ſecundo, diſtinctione 17. vbi

Eſt ſentẽtia probabilis & nõ temeraria.

plures

plures interpretes. Bonauentura, Richardus q. 1. circa 4. principale. Ægidius q. 3. Sanctus Thomas, qui etiam 1. part. quæſt. 85. art. 7. eandem ſententiam docet; vbi etiam Banhes, & Caetanus.

Probabilior tamen oppoſita.

32. Quãuis ergo prædicta ſententia ſit maximè probabilis, probabilior videtur oppoſita, quæ aſſerit omnes animas rationales, etiam quoad perfectionem indiuidualem, eſſe æquales, neque vnã animam poſſe elicere operationes magis perfectas, quàm aliam, ſi remoueantur impedimenta extrinſeca. Vnde anima ruſtici poterit tam perfectè intelligere, ſicut intelligebat anima Ariſtotelis, ſi habeat phantaſiam, & phantaſmata, organa, & temperamentum eodem modo diſpoſita, & ordinata. Fundamentum primũ eſt, quia ſi admittamus hanc inæqualitatem perfectionis indiuidualis in hominibus, pari ratione admittetur in reliquis indiuiduis cuiuſcumque ſpeciei infimæ, ſed hoc eſt falſum, ergo & illud vnde ſequitur. Maior patet, Minor probatur, quia iam omnia indiuidua degenerarent â ſuis cauſis, neque darentur aliqui effectus vniuoci, neque vnum genitum poſſet eſſe perfectius ſuo generante: quod tamen repugnat experientiæ.

Oſtenditur rationibus. Primò.

Secundò.

33. Secundum, quia ex inæqualitate operationis non rectè colligitur inæqualitas in animabus, nam idem homo dum eſt puer operatur imperfectiùs, quàm dũ eſt iuuenis: & ſæpè ille, qui in adoleſcentia erat rudis, in iuuentute fit ingenioſus, & tamen eadem anima perſeuerat: ergo ex inæqualitate in operando non rectè colligitur inæqualitas formarum rationalium: prouenit enim iſta inæqualitas operationum ex varia diſpoſitione organorum, & ex vario temperamento, & ex alijs cauſis extrinſecis. Species autem infimæ contrahuntur per differentias æquales, quæ tamen inter ſe ſunt primò diuerſæ, & nõ conueniunt in aliquo vniuoco. Sunt autem æquales, quia vltimò determinant omnes naturas cõmunes ſuperiores, quæ in eodem indiuiduo includuntur.

Differentiæ indiuiduãtes ſunt æquales & primò diuerſæ.

Secundum dubium.

34. Secundum dubium eſt de cauſa productiua animarum, & de tempore, quo producũtur. Quod attinet ad primam partem dubij de cauſa productiua animarũ rationalium, certum eſt eſſe ſolum Deum: quia cùm fiant per creationem, & ſolus Deus poſsit creare, inde fit, vt animæ rationales à ſolo Deo producantur. Vnde reijcitur error illorum, qui aſſerebant animas propagari per vim ſeminalem, & produci à generãte. Quem errorem vocat hæreticũ Sanctus Thomas, quia ex illo ſequitur animam rationalem eſſe mortalem. Ratio autem cur à ſolo Deo creentur eſt, quia ſunt ſubſtantiæ quædã ſpirituales, quæ non continentur in virtute materiæ corporeæ, nec de illius potẽtia educi poſſunt: agẽs verò creatum ſolùm poteſt operari illud, quod educitur de poteſtate materiæ, propter ſuam limitatã virtutem in operando.

Cauſa productiua animarum rationaliũ eſt ſolus Deus.

Error contrarius.

Fundamentum veræ ſententiæ.

35. Quod attinet ad tempus, in quo creatur vnaquæque anima rationalis, certum eſt primò po

Tempus in quo creatur vnaquæque anima rationalis, quale.

Digitized by Google

tuiſſe eas animas rationales creari à Deo ante omnem materiam, quia cùm non pendeat in ſuo fieri, & conſeruari à materia, nulla potuit eſſe repugnantia in eo, quód omnes animæ crearentur ante materiam. Certum ſecundò eſt animas rationales de facto nō fuiſſe creatas ante omnem materiam, neque antequam vnaquæque materia ſit diſpoſita ad formam rationalem recipiendam.

Ratio.

Fundamentum eſt, quia vnicuique formæ naturale eſt ſuo corpori vniri; ergo ſi ante corpora crearentur eſſent in ſtatu quodā non naturali. Deus verò creauit omnia in ſtatu ſuo naturali; ergo non erat cur animas creauerit ante corpus. Deinde ſi ante corpora crearentur, haberent aliquā ſciētiam, & non eſſent otioſæ; haberent etiam meritum, vel demeritum, ſed hoc eſt omnino falſum. ergo & illud Vnde reijcitur error Origenis, vt cōſtat ex primo eius libro περὶ ἀρχῶν, & aliquotū hæreticorum aſſerentium, animas antequam corporibus vniantur, habuiſſe alium ſtatū, in quo meruerunt, vel demeruerunt.

Error Origenis & aliorum reijcitur.

Reijcitur etiam aliquorum error aſſerentium, omnes animas ab initio fuiſſe creatas, ne concederēt Deū aliquid de nouo creare cuius oppoſitum videtur colligi ex illo Geneſis. *Et requieuit Deus die ſeptimo ab omni opere, quod patrarat.* Reſpondetur tamen ibi ſolùm ſignificari Deum quieuiſſe à nouis rerum ſpeciebus condendis.

Aliorum error.

Sed in quonam puncto temporis vnaquæq; anima rationalis creatur, & corpori infunditur? Omnes autores conueniunt in eo, quòd aſſerant animam rationalem creari, & infundi corpori in eo inſtāti, in quo materia fœtus in vtero vltimò, & perfectè cenſetur diſpoſita, & organizata accommodatè ad recipiendam tam nobilē animam.

In quo inſtanti anima creetur

Quod materia poteſt obtinere, etiamſi non ſit ſub maiori quantitate, quàm ſit quantitas formicæ grandioris, vel apis, iuxta Ariſtotelem. Conueniunt etiam in hoc, quòd corpus fœminæ, propter defectum caloris, tardiùs perficiatur, & organizetur.

Lib. 7. de hiſt. anim. cap. 3.

36. Diſcordant tamen in numero dierum, quibus perficiatur hæc materiæ diſpoſitio, & organizatio. Communior verò ſententia eſt, in maribus abſolui circa quadrageſimum diem, in fœminis circa octogeſimum; & ideo Deum in Veteri lege præcepiſſe, vt mulier, quæ maſculum peperiſſet, quadraginta diebus ſe domi contineret; illa autem, quæ fœminam, octoginta. In corpore tamen Chriſti Domini aliter res euenit, quia in eodem inſtanti eſt formatum ſufficienter ad animā rationalem recipiendam, & in eodem inſtanti illam accepit, ſupplente ibi diuina virtute illam moram, qua egent reliqua corpora puerorum, vt rectè efformētur & effigientur.

Quot dies exigantur vt organizentur humana corpora.

Corpus Chriſti Domini in vno fuit organizatum.

37. Petes vtrùm ante aduentū animæ rationalis informetur materia fœtus aliqua alia forma viuētis? Circa hoc fuerunt variæ opiniones, quibus omiſsis, aſſerendū eſt, materiam fœtus exuendo formam ſanguinis, aut ſeminis, informari primò anima quadam

Quibus formis informetur materia fœtus antequā adueniat rationalis.

vegetatiua

vegetatiua ſimili animæ plantarum. Deinde exuere hanc, & informari alia ſenſitiua, quæ dicitur forma embryonis. Tandē exuta hac informatur anima rationali, quæ eminenter continet vtramque, vt iam ſupra declarauimus. Quòd autem anima rationalis non ſtatim á prima conceptione informet materiam fætus, oſtendunt multa ſigna, de quibus tractant Medici. Idem etiam colligi poteſt ex iure Canonico decernente non committi homicidium ab eo, qui fætum in vtero occidit ante certum numerum dierum; quia quamuis ille fætus ſit viuens, non poteſt tamen dici homo ante infuſionem animæ rationalis, quæ non aduenit ſtatim in prima conceptione. Aduenit tamen in conceptione Chriſti Domini, propter rationem proximè factam.

Embrio quid.

38. Tertium dubium eſt de modo, quo anima rationalis informat corpus? Reſpondetur breuiter, ſi anima rationalis ſumatur quoad ſubſtātiam, vel quoad potentias ſibi peculiares, & ſpirituales, totam eſſe in toto cōrpore, & totam in qualibet eius parte, quia cùm totum corpus viuat, & quælibet eius pars, neceſſe eſt, vt totùm, & ſingulæ partes habeant formam, per quam viuant. Forma autem rationalis, cùm ſit ſpiritualis, non habet partes ad hoc, vt ſecundùm vnam partem ſit in vna parte materiæ, & ſecundùm aliam ſit in alia parte materiæ; ergo tota anima rationalis eſt in toto corpore, & tota in qualibet eius parte, quæ propriè viuit; nā humores, & alia ſimilia, licèt ſint partes aliquo modo ſpectantes ad integritatem, & perfectionem hominis exiſtentis, tamen non ſunt partes viuentes, nec partes corporis primariæ, ſed tantùm ſecundariæ. Si autem anima rationalis ſumatur quoad potentias materiales, non eſt in toto corpore, ſed in ijs partibus tantùm, in quibus ſunt potentiæ materiales: nam auditus non eſt in pede, & ita anima prout eſt auditiua non eſt in pede, & ſic de reliquis potentijs materialibus, quæ toto corpore non diffunduntur.

Modus, quo anima rationalis informat corpus.

Potentiæ material. animæ non ſunt in to corpor.

39. De reliquis animabus ſenſitiuis eſt dubium, vtrùm in ea opinione, quæ illas omnes facit diuiſibiles, conſtent partibus omogenijs, ſeu ſimilaribus, vel partibus eterogenijs, ſeu diſsimilaribus: nam cùm ſint formæ informantes corpus organicum, & diſſimilare, etiam ipſæ animæ diuiſibiles debent cōſtare partibus diſſimilaribus; ita vt ea pars, quæ informat caput non poſsit informare pedes, neque è contra: & ita ſentiunt aliqui probabiliter. Probabilius tamen eſt oppoſitum: nam habere partes ſimilares, vel diſsimilares ſolùm conuenit ſubſtantijs ratione quantitatis, & figuræ externæ, & ratione diuerſarum qualitatum; ergo tales partes non reperiuntur in formis diuiſibilibus, cùm non habeant quantitatem ſibi propriam.

Probabilius eſt formas materiales non habere partes diſsimilares.

(∴)

Vtrùm

Vtrùm potentiæ oriantur effectiuè, & immediatè à ſubſtantia animæ, & in eadem recipiantur?

CAP. V.

40. DOctrina huius capitis ex alibi dictis, præſertim tractatu primo colligi poſſet. Ne tamen huic doctrinæ de Anima, quæ in Philoſophia eſt præcipua, aliquid deeſſe videatur, breuiter quæſtioni reſpondebimus. Supponendum ergo priùs eſt tamquam certum, vel ſaltem probabilius, potentias animæ realiter diſtingui à ſubſtãtia animæ, quia ſolùm in hac ſuppoſitione procedit quæſtio; ſi enim quis affirmet potentias animæ non diſtingui, niſi tantùm virtualiter ab ipſa, non eſt quid quærat aliquam cauſam effectiuam potentiarum diuerſam ab ea, quæ producit ipſam animam, vt apparet in alijs entitatibus creatis, quæ tantùm virtualiter diſtinguuntur ab alijs. Quando ergo quærimus, vtrùm potentiæ animæ oriantur immediatè, & effectiuè ab anima, ſupponimus diſtingui à ſubſtantia animæ realiter, vel ſaltem ex natura rei.

Potentiæ realiter diſtinguuntur ab anima & in hoc ſenſu procedit quæſtio.

Rationibus oſtenditur.

41. Et ratio eſt, quia omnes proprietates reales realiter diſtinguuntur, vel ſaltem ex natura rei à ſubiectis, quorum ſunt proprietates, ſed hæ potentiæ ſunt proprietates reales animæ; ergo diſtinguuntur ab illa realiter. Deinde potentiæ materiales, vt nutritiua, auditus, viſus, & ſimiles, ſunt potentiæ quædam materiales, quæ recipiuntur in materia, & non recipiuntur in anima rationali, & tamen ſunt proprietates illius; ergo diſtinguuntur ab illa realiter, & conſequenter etiam ab alijs formis ſubſtantialibus materialibus. Tertiò probatur, quia potentiæ ſunt qualitates reales, anima verò eſt ſubſtantia; ergo realiter diſtinguuntur. Quartò. Anima de ſe eſt indifferens ad plures actus: verbi gratia videndi, vel audiendi; ergo debet determinari ad actus audiendi per auditũ, ad actus videndi per viſum, & ſic de reliquis. Tandem, quia iſtæ potentiæ poſſunt, ſaltem diuinitùs, ſeparari quoad exiſtentiam á ſuis formis, quarũ ſunt proprietates, & à ſubiectis. quidquid in contrarium velit Caietanus, & alij; ergo diſtinguuntur á parte rei.

42. Hoc poſito iam ad primã partem quæſtionis reſpondetur omnes iſtas potentias, quas ſupra diximus comitari animam vegetatiuam, ſenſitiuam, & rationalem, oriri immediatè, & effectiuè ab ipſa ſubſtantia animæ per naturales quaſdam emanationes, tãquam à principio *quo*, & principali ſubſtantiali. Hæc eſt probabilior ſententia, quæ aſſerit omnes proprietates oriri effectiuè immediatè á ſubſtantia, cuius ſunt proprietates, ſed iſtæ potentiæ ſunt proprietates animæ; ergo ab anima oriuntur vt á principio *quo*. Dixi *vt à principio quo*, nam præcipua cauſa efficiens, ac totalis proprietatum realium, vel eſt

Potentiæ oriuntur immediatè, & effectiue ab anima.

torum compoſitum phyſicum, vel eſt generans, cui tribuuntur illæ actiones tanquam cauſæ principali, vt patet ex alibi dictis.

Subiectum immediatũ potentiarũ quale ſit.

43. Secundum punctum quæſtionis petit, quod nam ſit ſubiectum immediatum harum potẽtiarũ? Reſpondetur breuiter quãdo potentiæ ſunt materiales non recipi immediatè in anima, ſed in materia mediante quantitate, vt patet in potentijs materialibus hominis, quæ non poſſunt recipi immediatè in anima rationali, cũ ſit ſpiritualis, quamuis ab ea effectiuè oriantur: ſed eadem eſt ratio de ijſdem potentijs materialibus in alijs compoſitis; quamuis enim cætera compoſita habeant formas materiales, tamen modus, quo recipiuntur, & fiunt eſt ſimilis illi, quo recipiuntur, & fiunt potentiæ compoſiti humani: ergo ſi iſtæ potentiæ in compoſito humano recipiuntur in materia, etiam in reliquis compoſitis ita recipientur.

Potentiæ ſpirituales recipiuntur immediatè in anima rationali.

44. Quando autem potentiæ ſunt ſpirituales, vt eſt intellectus agens, intellectus patiens, & voluntas, tunc recipiuntur immediatè in ſubſtantia animæ rationalis, quia non poſſunt naturaliter recipi in ſubiecto corporeo. Atque hinc colliges illas actiones, per quas potentiæ materiales emanant ab anima, non eſſe actiones immanentes, ſed tranſeuntes, quia non recipiuntur immediatè in eo principio effectiuo, & proximo, à quo egrediuntur. Emanationes verò, per quas emanant potentiæ ſpirituales, ſunt immanentes, quia recipiuntur in eodẽ principio, à quo fiunt. Potentiæ autẽ materiales non comitantur animam rationalem á corpore exeuntem, quia recipiuntur in organis corporeis, & nõ in ipſa ſubſtantia animæ.

Per quæ principia diſtinguamus in rebus viuẽtibus tot genera potentiarum.

45. Petes quod nam ſit principium, per quod diſtinguamus in rebus viuentibus tot genera potentiarum? Reſpõdetur hanc diuerſitatem potentiarum diſtingui á nobis per varia obiecta formalia primò diuerſa, tamquam per cauſas externas ſpecificantes varias potẽtias, & varios actus; quia potentia, cùm de ſe ordinetur ad actum, & actus ad obiectum, inde fit, vt pro varietate actuum, & obiectorum formalium diſtinguantur etiam variæ potentiæ. Dubiũ tamen eſt, vnde nam intelligendum ſit illam rationem formalẽ, ſub qua attingitur obiectum ab aliqua potentia, eſſe vnam ſpecie, & primò diuerſam ab alijs? Reſpondetur, id eſſe intelligendum ex modo, quo obiectum immutat potentiam: qui modus ſi ſit vnus ſpecie, potentia etiam erit vna; verbi gratia obiectum viſibile, quatenus tale eodem modo immutat potentiam, & ideo viſibilitas eſt vna ratio ſpecifica, & ſpecificans vnam ſpecie potentiam. Similiter intellectus humanus eſt vnus tantùm ſpecie, quia eodem modo immutatur ab obiecto quatenus intelligibili dependenter à phantaſmatibus, & ſpeciebus intelligibilibus.

Vnde colligatur diuerſa ratio formalis ſpecificans

(✠)

DE POTENTIA SENTIENDI IN communi, & de Speciebus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ſenſus ſit potentia actiua, an tantùm paſſiua?

CAP. I.

1. DE potentijs intelligendi nihil eſt quod de nouo addatur, & ideo in præſẽti agemus de potẽtia ſentiẽdi. Prima opinio ponit in quolibet organo ſenſus duplicẽ potentiã ſenſitiuã; paſſiuã vnã, quæ ab obiecto recipiat ſpecies: & alterã actiuã, quæ per ſpecies ita receptas effectiuè eliciat ſenſationẽ. Et probatur primò, quia datur intellectus duplex in anima, nẽpe intellectus agens, & patiẽs; ergo debet dari ſenſus agens, & ſenſus patiens. Reſpondetur tamen negata cõſequẽtia, quia intellectus agẽs nõ ponitur ab Ariſt. vt effectiuè intelligat, ſed tantũ vt cõficiat ſpecies intelligibiles, per quas intellectus poſsibilis intelligat, vt infra dicetur, ſenſus verò cùm ab obiecto recipiat ſpecies proportionatas, nõ eget alio ſenſu, qui ſpecies accõmodet. Secũdò, quia cuilibet potentiæ actiuæ reſpõdet alia paſſiua; ergo ſi in organo ſenſus datur potẽtia quædã actiua, debet dari alia paſſiua Reſpondetur tamẽ in potentijs, quæ operãtur immanenter, eãdẽ eſſe potentiam actiuam, & paſsiuam. Deinde, ſi potentia ſentiendi ſumatur quatenus recipit ſpecies ab obiecto, dicetur paſsiua, & ex parte obiecti illi reſpondet alia potentia actiua ſpecierum.

Sententia ponens duas potẽtias in quouis organo.

Fundamentum primũ.

Euertitur.

Secundum fundamentum.

Demolitur.

2. Altera opinio docet in quolibet organo ſentiendi vnã tantũ dari potentiam, & hãc eſſe purè paſsiuã, & nihil omnino efficere, ſed tantũ recipere ſenſationẽ ab alio factã: & eatenùs dici ſentire, quatenus illam recipit cum aduertentia. Probatur, quia Ariſtot. lib. 2. cap. 5. text. 52. docuit ſenſum eſſe potentiam paſsiuam, & reduci ad actum ab obiecto externo; ergo ſentit Ariſtoteles obiectũ externum eſſe cauſam effectiuã ſenſationis, potentiam verò ſentiendi reſpectu ſpeciei impreſſæ, quã recipit, ſolũ paſsiuè habere. Reſpondetur tamen Ariſtotelem ſolùm voluiſſe potentiam ſentiendi reſpectu ſpeciei impreſſæ, quam recipit ab obiecto, ſolùm ſe habere vt potentiam paſſiuam, obiectum verò vt agens. De ſenſatione autem, quæ ſequitur in ſenſu poſt receptam ab obiecto ſpeciem, aliter ſentit, vt ſtatim videbimus. Alij affirmant ſolam animam efficere ſenſationẽ, & ſenſum illam recipere. Hoc tamen eſt contra Ariſtotelem, qui in libro de ſomno, & vigilia, cap. 1.

Secunda ſententia tenens quẽlibet ſenſum eſſe potentiam porè paſſiuam.

Probatur auctoritate Ariſtotelis.

Reſponſio

Senſatio non oritur immediatè à ſola anima.

docet ſenſationẽ non eſſe animæ ſolius, neque corporis, id eſt organi, nec potentiæ corporeæ, ſed vtriuſque. Deinde eſt cõtra rationẽ: nã potentiæ datæ ſunt á natura tãquam animæ inſtrumenta naturalia, ſed inſtrumenta concurrunt effectiuè; ergo, &c. Deinde. Potentiæ vegetatrices concurrunt effectiuè ad ſuos actus: ergo à fortiori ſenſitiuæ, cùm ſint nobiliores.

Proponitur, & probatur vera ſententia.

3. Vera igitur ſententia docet potentiã ſentiendi, ſi comparetur cũ ſpecie, quã recipit ab obiecto, eſſe tantùm potentiam paſsiuã: ſi autẽ comparetur cũ actu proprio ſentiendi, eſſe ſimul potentiam actiuam, & paſsiuam. Hæc probatur per excluſionem aliarum opinionum. Deinde quoad primam partem oſtenditur, quia potentia ſenſitiua in recipienda ſpecie ab obiecto externo ſolùm ſe habet paſsiuè: ergo vt ſic eſt rãtùm potẽtia paſsiua: in quo ſenſu vocauit Ariſtoteles ſenſum potẽtiam paſsiuã. Quoad ſecundã partem probatur, quia ſenſus in eliciẽda ſua ſenſatione operatur immanẽter, ſed de ratione potentiæ operãris immanenter eſt, vt ſimul operetur, & recipiat: ergo ſimul eſt potentia operans, & patiens.

Vtrùm dentur ſpecies ſenſibus impreſſæ.

4. Sed eſt ne verum, quod hactenus ſuppoſuimus, ſcilicet potẽtiã ſentiendi recipere ſpecies aliquas ab obiectis externis? Aliqui ſimpliciter negant tales ſpecies impreſſas. Alij quãuis eas admittãt in medio productas, & in organo, nõ tamẽ illas admittũt productas in ipſa potẽtia ſentiẽdi. Vera tamen ſententia admittit veras

Pars affirmans verior.

ſpecies impreſſas, quæ producãtur ab obiectis exiſtentibus, & recipiantur in potentia ſentiendi. Quam ſententiam tenent multi ex ſanctis Patribus. D. Aug. lib. 10. confeſsionũ c. 10. & c. 15. & lib. 12. ſuper Geneſ. c. 10. & lib. 11. de Trinitate cap. 2. alijſque in locis D. Anſelmus in Monologio c. 36. D. Damaſc. lib. 2 fidei orth. c. 20. & alij. S. Thomas 1. p. q. 55. art. 1. & 3. contra gentes c. 49. alijſque in locis. Alẽſis 2. p. ſuæ ſummæ à quæſt. 22. vſque ad 26. Albert. 2. p. ſummæ de homine tract. 4. q. 14. & de quatuor coæuis q. 5. D. Bonauent. in 2. diſt. 3 ar. 4. q. 1. Scotus q. 10. & 11. Fundamentũ eſt, quia potentia quælibet ſenſitiua de ſe eſt indifferẽs ad percipiendũ potiùs hoc obiectũ, quã aliud; ergo debet determinari per aliquid; ſed nõ apparet aliud, per quod determinetur, niſi per ſpecies; ergo dãtur tales ſpecies; præſertim quia obiectũ non poteſt determinare potentiã per ſe ipſum immediatè, cũ longè diſtet, vel de ſe non ſit proportionatũ; ergo determinat potẽtiam ſenſitiuã per ſpeciẽ ſui.

Fundamentum.

5. Idem etiam probatur varijs experimentis, præſertim in potentia videndi. nã aliqui ex eo per inſpicilia cõcaua meliꝰ vidẽt, quia in eo medio fiunt ſpecies aptiores. Secũdò. Oculus eſt ſibi maximè præſens, & tamẽ non videt ſe ipſum, niſi ei apponatur ſpeculũ, ex quo ſpecies reflectat. Tertiò. Actus memorãdi nõ fiũt, niſi per ſpecies; ergo dãtur ſpecies impreſſæ. Neq; oportet, quòd iſtę ſpecies priꝰ cognoſcãtur à põa, vt per illas poſsit cognoſci obiectũ, quia cum

Aliæ rationes pro eadem ſententia.

Solutio obiectionũ

ſint ſigna formalia, & de ratione ſigni formalis non ſit quòd prius cognoſcatur, imò ſit quòd non priùs cognitũ nos ducat in cognitionẽ rei repræſentatæ, ideo nõ eſt opus, vt tales ſpecies priùs cognoſcãtur. Deinde nõ eſt opus, vt tales ſpecies ſint ſimiles obiectis in eſſendo, id eſt quòd ſint eiuſdẽ naturæ, ſed ſufficit quòd ſint ſimiles in repræſentando. Vnde iſtæ ſpecies ſunt qualitates, obiecta verò ſunt ſubſtãtiæ, vel qualitates alterius ſpeciei, aut quantitates, &c. Non ſunt etiam inter ſe contrariæ: nam ſpecies albi, & ſpecies nigri poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto naturaliter.

Species ſenſuum non ſunt immateriales.

6. Petes, vtrùm ſpecies iſtæ ſint immateriales? Reſpondetur ſpecies ſenſuũ nõ eſſe immateriales, ſed materiales, ſicut ſunt ipſæ potentiæ, in quibus recipiuntur. Quãdo autẽ iſtæ ſpecies dicuntur ab Ariſt. lib. 3. de Anima cap. 4. text. 16. immateriales, non vult Philoſophus illas eſſe accidentia corporea. Imò cũ iſtę ſpecies producantur ab obiectis vt á cauſa principali æquiuoca, inde fit, vt tales ſpecies ſẽper ſint in entitate minꝰ perfectæ, quã obiecta, à quibus oriũtur. Itẽ ſi dicũtur immateriales, idẽ eſt immateriale, ac intẽtionale, quatenus ſcilicet in eſſe materiali, ſeu inter res materiales habent ſpecies quoddam eſſe materiale diminutum.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa ſpecies ſenſibus impreſſas.

CAPVT II.

Quomodo ſpecies cõcurrant ad actum cum potentia.

7. PRimum dubium eſt de modo, quo ſpecies ſẽſibus impreſſæ cõcurrant cũ potentia ſentiendi ad actum ſuum eliciendũ. Prima opinio affirmat ſpeciem cõcurrere tantùm diſpoſitiuè, & quaſi materialiter, quatenùs diſponit potentiã, vt ſe ſola producat ſuũ actũ; ſine qua diſpoſitione illũ non poſſet producere, nec excitari ad illũ eliciendũ: nã ſentire eſt propria operatio animæ, & potentiæ vitalis; ſpecies autẽ non ſunt potẽtiæ vitales, ergo nõ poſſunt concurrere effectiuè.

Verior ſententia.

8. Verius tamen eſt, quòd ſpecies cõcurrant effectiuè ſimul cũ potẽtia ad actũ ſentiendi, ita vt ex vtraque fiat vnũ totale principiũ effectiuũ ſenſationis. Ita S. Thomas 1.p.q.56. art.1. & lib.1. cõtra gentes c. 51. 52. 53. & quodlibet 7.artic. 1. Scotus in 1. diſtinc.3.q. 7.& in quodlibet. q.15. Magnus Albertus 2. p. ſummæ de homine, in tractatu de ſenſibus animæ. Capreol. in 1.diſ.35.q.1.ar.1.& alij. Et probatur, quia potẽtia de ſe eſt indifferens ad varia obiecta percipienda, & de ſe nõ eſt ſufficiẽter cõſtituta in actu primo ad cognoſcendũ potiùs hoc, quàm illud, ſed determinatur ab ſpecie; hæc autẽ determinatio non poteſt fieri, niſi in genere cauſæ effectiuæ: ergo ſpecies concurrit ſimul cum potentia effectiuè, illamque perficit, vt in actu primo ſit potens elicere actum ſentiendi: ita vt nec ſola potentia ſine ſpecie ſit ſufficiens ad actũ eliciendũ, nec ſpecies ſine

potentia.

Quid requiratur, & ſufficiat vt actus ſit vitalis.

potentia. Ad actum verò vitalem ſimpliciter non eſt opus, vt omnis cauſa effectiua, quæ ad illum concurrit, ſit vitalis, ſed ſatis eſt quòd procedat ab anima mediãte aliqua potẽtia vitali. Vnde ſoluitur fũdamẽtũ primæ opinionis.

Species an concurrant principaliter, vel inſtrumẽtaliter.

9. Secundum dubiũ eſt, vtrùm ſpecies concurrant tamquã principium, & cauſa partialis principalis, an ſolùm cõcurrãt vt inſtrumentum? Quidam affirmant concurrere vt cauſam partialem. Alij ſolùm vt cauſam inſtrumentalem. Tertiò dicunt aliqui tam potentiam, quàm ſpeciem concurrere vt animæ inſtrumenta, ipſam verò animam concurrere vt principium principale *Quo*, & vti ſpecie, & potentia tãquam inſtrumentis ſibi coniunctis ad productionem ſenſationis. Omnes hæ tres ſententiæ ſuam habẽt probabilitatẽ, ſed prima ſententia videtur habere maiorem probabilitatẽ, iuxta ea, quæ diximus ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta de cauſa efficiente, capite ſecundo.

Concurrit etiã ſpecies formaliter.

10. Aduertendũ tamen eſt præter hanc cauſalitatem actiuã, quã habet ſpecies ſimul cum potẽtia, habere etiam aliam formalem, & veluti ſpecificam, quatenus determinat potentiam ad hanc potiùs ſpeciem actus, quàm ad aliã, & quatenus vnit potentiam cum obiecto in ratione cognoſcibilis actualiter. Quod etiam conuenit ſpeciebus intelligibilibus reſpectu intellectus.

An ſint ſpecies formales ſimilitudines

11. Tertium dubium eſt, an iſtæ ſpecies ſint formales ſimilitudines obiectorum, quæ obiecta repræſentent per modũ imaginis?

Pars affirmans.

Affirmat Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia, capite primo, vbi comparat ſpecies impreſſas obiectorum figuræ, quæ à ſigillo imprimitur. Quo etiã exẽplo vtitur S. Thomas 1. p. q. 89 art. 4 & q. 19. de veritate artic. 2. & q. vnica de anima, art. 20. varijſque in locis, & plures alij interpretes Ariſtotelis. Ratio eſt, quia potentia ad hoc vt cognoſcat obiectũ, debet ei fieri ſimilis in actu primo; ſed in actu primo non fit ſimilis, niſi per ſpeciem impreſſã; ergo ſpecies impreſſa eſt vera imago, & ſimilitudo intentionalis ſui obiecti. Nihilominus alij Recentiores afferunt ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginem obiecti, ſed tantùm virtualem, quatenus ſcilicet iuuat ad formandam perfectam ſimilitudinem, & imaginẽ expreſſã obiecti. Et ratio eſt, quia ſi ſpecies impreſſa eſſet ſimilitudo formalis, vbi primùm potentiã informaret, eã redderet perfectè ſimilem, ac proinde non egeret imagine, & ſimilitudine expreſſa, quod tamen eſt falſum. Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior. Vnde ad hoc fundamentum ſecundæ reſpondetur potentiam reddi perfectè ſimilem in actu primo per ſpeciẽ impreſſam; per expreſſam verò reddi formaliter ſimilem in actu ſecundo, quod eſt longè diuerſũ. Vnde ſpecies impreſſa ſub ea ratione, qua repræſentat potentiæ obiectum, quaſi obiectum ipſum eſſe cenſetur; & ipſa potentia per ſpeciem informata dicitur quodammodo eſſe ipſum obiectum.

Opinio alia Recentiorum.

Ratio.

Prima ſententia probabilior.

Digitized by Google

ſint ſigna formalia, & de ratione ſigni formalis non ſit quòd prius cognoſcatur, imò ſit quòd non priùs cognitũ nos ducat in cognitionẽ rei repræſentatæ, ideo nõ eſt opus, vt tales ſpecies priùs cognoſcãtur. Deinde nõ eſt opus, vt tales ſpecies ſint ſimiles obiectis in eſſendo, id eſt quòd ſint eiuſdẽ naturæ, ſed ſufficit quòd ſint ſimiles in repræſentando. Vnde iſtæ ſpecies ſunt qualitates, obiecta verò ſunt ſubſtãtiæ, vel qualitates alterius ſpeciei, aut quantitates, &c. Non ſunt etiam inter ſe contrariæ: nam ſpecies albi, & ſpecies nigri poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto naturaliter.

Species ſenſuum non ſunt immateriales. 6. Petes, vtrùm ſpecies iſtæ ſint immateriales? Reſpondetur ſpecies ſenſuũ nõ eſſe immateriales, ſed materiales, ſicut ſunt ipſæ potentiæ, in quibus recipiuntur. Quãdo autẽ iſtæ ſpecies dicuntur ab Ariſt. lib. 3. de Anima cap. 4. text. 16. immateriales, non vult Philoſophus illas eſſe accidentia corporea. Imò cũ iſtę ſpecies producantur ab obiectis vt á cauſa principali æquiuoca, inde fit, vt tales ſpecies ſẽper ſint in entitate minꝰ perfectæ, quã obiecta, à quibus oriũtur. Itẽ ſi dicũtur immateriales, idẽ eſt immateriale, ac intẽtionale, quatenus ſcilicet in eſſe materiali, ſeu inter res materiales habent ſpecies quoddam eſſe materiale diminutum.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa ſpecies ſenſibus impreſſas.

CAPVT II.

Quomodo ſpecies cõcurrant ad actum cum potentia. 7. Primum dubium eſt de modo, quo ſpecies ſẽſibus impreſſæ cõcurrant cũ potentia ſentiendi ad actum ſuum eliciendũ. Prima opinio affirmat ſpeciem cõcurrere tantùm diſpoſitiuè, & quaſi materialiter, quatenùs diſponit potentiã, vt ſe ſola producat ſuũ actũ; ſine qua diſpoſitione illũ non poſſet producere, nec excitari ad illũ eliciendũ: nã ſentire eſt propria operatio animæ, & potentiæ vitalis; ſpecies autẽ non ſunt potẽtiæ vitales, ergo nõ poſſunt concurrere effectiuè.

Verior ſententia. 8. Verius tamen eſt, quòd ſpecies cõcurrant effectiuè ſimul cũ potẽtia ad actũ ſentiendi, ita vt ex vtraque fiat vnũ totale principiũ effectiuũ ſenſationis. Ita S. Thomas 1. p. q. 56. art. 1. & lib. 1. cõtra gentes c. 51. 52. 53. & quodlibet 7. artic. 1. Scotus in 1. diſtinc. 3. q. 7. & in quodlibet. q. 15. Magnus Albertus 2. p. ſummæ de homine, in tractatu de ſenſibus animæ. Capreol. in 1. diſ. 35 q. 1. ar. 1. & alij. Et probatur, quia potẽtia de ſe eſt indifferens ad varia obiecta percipienda, & de ſe nõ eſt ſufficiẽter cõſtituta in actu primo ad cognoſcendũ potiùs hoc, quàm illud, ſed determinatur à ſpecie; hæc autẽ determinatio non poteſt fieri, niſi in genere cauſæ effectiuæ: ergo ſpecies concurrit ſimul cum potentia effectiuè, illamque perficit, vt in actu primo ſit potens elicere actum ſentiendi: ita vt nec ſola potentia ſine ſpecie ſit ſufficiens ad actũ eliciendũ, nec ſpecies ſine

potentia.

Quid requiratur, & ſufficiat vt actus ſit vitalis.

potentia. Ad actum verò vitalem ſimpliciter non eſt opus, vt omnis cauſa effectiua, quæ ad illum concurrit, ſit vitalis, ſed ſatis eſt quòd procedat ab anima mediãte aliqua potẽtia vitali. Vnde ſoluitur fũdamẽtũ primæ opinionis.

Species an concurrant principaliter, vel inſtrumẽtaliter.

9. Secundum dubiũ eſt, vtrùm ſpecies concurrant tamquã principium, & cauſa partialis principalis, an ſolùm cõcurrãt vt inſtrumentum? Quidam affirmant concurrere vt cauſam partialem. Alij ſolúm vt cauſam inſtrumentalem. Tertiò dicunt aliqui tam potentiam, quàm ſpeciem concurrere vt animæ inſtrumenta, ipſam verò animam concurrere vt principium principale *Quo*, & vti ſpecie, & potentia tãquam inſtrumentis ſibi coniunctis ad productionem ſenſationis. Omnes hæ tres ſententiæ ſuam habẽt probabilitatẽ, ſed prima ſententia videtur habere maiorem probabilitatẽ, iuxta ea, quæ diximus ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta de cauſa efficiente, capite ſecundo.

Concurrit etiã ſpecies formaliter.

10. Aduertendũ tamen eſt præter hanc cauſalitatem actiuã, quã habet ſpecies ſimul cum potẽtia, habere etiam aliam formalem, & veluti ſpecificam, quatenus determinat potentiam ad hanc potiùs ſpeciem actus, quàm ad aliã, & quatenus vnit potentiam cum obiecto in ratione cognoſcibilis actualiter. Quod etiam conuenit ſpeciebus intelligibilibus reſpectu intellectus.

An ſint ſpecies formales ſimilitudines.

11. Tertium dubium eſt, an iſtæ ſpecies ſint formales ſimilitudines obiectorum, quæ obiecta repræſentent per modũ imaginis? Affirmat Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia, capite primo, vbi comparat ſpecies impreſſas obiectorum figuræ, quæ à ſigillo imprimitur. Quo etiã exẽplo vtitur S. Thomas 1. p. q. 89 art. 4. & q. 19. de veritate artic. 2. & q. vnica de anima, art. 20. varijſque in locis, & plures alij interpretes Ariſtotelis. Ratio eſt, quia potentia ad hoc vt cognoſcat obiectũ, debet ei fieri ſimilis in actu primo; ſed in actu primo non fit ſimilis, niſi per ſpeciem impreſsã; ergo ſpecies impreſſa eſt vera imago, & ſimilitudo intentionalis ſui obiecti. Nihilominus alij Recentiores aſſerunt ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginem obiecti, ſed tantùm virtualem, quatenus ſcilicet iuuat ad formandam perfectam ſimilitudinem, & imaginẽ expreſsã obiecti. Et ratio eſt, quia ſi ſpecies impreſſa eſſet ſimilitudo formalis, vbi primùm potentiã informaret, eã redderet perfectè ſimilem, ac proinde non egeret imagine, & ſimilitudine expreſſa, quod tamen eſt falſum. Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior. Vnde ad hoc fundamentum ſecundæ reſpondetur potentiam reddi perfectè ſimilem in actu primo per ſpeciẽ impreſſam; per expreſſam verò reddi formaliter ſimilem in actu ſecundo, quod eſt longè diuerſũ. Vnde ſpecies impreſſa ſub ea ratione, qua repræſentat potentiæ obiectum, quaſi obiectum ipſum eſſe cenſetur, & ipſa potentia per ſpeciem informata dicitur quodammodo eſſe ipſum obiectum.

Pars affirmans.

Opinio alia Recentiorum.

Ratio.

Prima ſententia probabilior.

ſint ſigna formalia, & de ratione ſigni formalis non ſit quòd prius cognoſcatur, imò ſit quòd non priùs cognitũ nos ducat in cognitionẽ rei repræſentatæ, ideo nõ eſt opus, vt tales ſpecies priùs cognoſcãtur. Deinde nõ eſt opus, vt tales ſpecies ſint ſimiles obiectis in eſſendo, id eſt quòd ſint eiuſdẽ naturæ, ſed ſufficit quòd ſint ſimiles in repræſentando. Vnde iſtæ ſpecies ſunt qualitates, obiecta verò ſunt ſubſtãtiæ, vel qualitates alterius ſpeciei, aut quantitates, &c. Non ſunt etiam inter ſe contrariæ: nam ſpecies albi, & ſpecies nigri poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto naturaliter.

Species ſenſuum non ſunt immateriales.

6. Petes, vtrùm ſpecies iſtæ ſint immateriales? Reſpondetur ſpecies ſenſuũ nõ eſſe immateriales, ſed materiales, ſicut ſunt ipſæ potentiæ, in quibus recipiuntur. Quãdo autẽ iſtæ ſpecies dicuntur ab Ariſt. lib. 3. de Anima cap. 4. text. 16. immateriales, non vult Philoſophus illas eſſe accidentia corporea. Imò cũ iſtę ſpecies producantur ab obiectis vt á cauſa principali æquiuoca, inde fit, vt tales ſpecies ſẽper ſint in entitate min⁹ perfectæ, quã obiecta, à quibus oriũtur. Itẽ ſi dicũtur immateriales, idẽ eſt immateriale, ac intẽtionale, quatenus ſcilicet in eſſe materiali, ſeu inter res materiales habent ſpecies quoddam eſſe materiale diminutum.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa ſpecies ſenſibus impreſſas.

CAPVT II.

Quomodo ſpecies cõcurrant ad actum cum potentia.

7. Primum dubium eſt de modo, quo ſpecies ſẽſibus impreſſæ cõcurrant cũ potentia ſentiendi ad actum ſuum eliciendũ. Prima opinio affirmat ſpeciem cõcurrere rantùm diſpoſitiuè, & quaſi materialiter, quatenùs diſponit potentiã, vt ſe ſola producat ſuũ actũ; ſine qua diſpoſitione illũ non poſſet producere, nec excitari ad illũ eliciendũ: nã ſentire eſt propria operatio animæ, & potentiæ vitalis; ſpecies autẽ non ſunt potẽtiæ vitales, ergo nõ poſſunt concurrere effectiuè.

Verior ſententia.

8. Verius tamen eſt, quòd ſpecies cõcurrant effectiuè ſimul cũ potẽtia ad actũ ſentiendi, ita vt ex vtraque fiat vnũ totale principiũ effectiuũ ſenſationis. Ita S. Thomas 1. p. q. 56. art. 1. & lib. 1. cõtra gentes c. 51. 52. 53. & quodlibet 7. artic. 1. Scotus in 1. diſtinc. 3. q. 7. & in quodlibet. q. 15. Magnus Albertus 2. p. ſummæ de homine, in tractatu de ſenſibus animæ. Capreol. in 1. diſ. 35. q. 1. ar. 1. & alij. Et probatur, quia potẽtia de ſe eſt indifferens ad varia obiecta percipienda, & de ſe nõ eſt ſufficiẽter cõſtituta in actu primo ad cognoſcendũ potiùs hoc, quàm illud, ſed determinatur à ſpecie; hæc autẽ determinatio non poteſt fieri, niſi in genere cauſæ effectiuæ: ergo ſpecies concurrit ſimul cum potentia effectiuè, illamque perficit, vt in actu primo ſit potens elicere actum ſentiendi: ita vt nec ſola potentia ſine ſpecie ſit ſufficiens ad actũ eliciendũ, nec ſpecies ſine

potentia.

potentia. Ad actum verò vitalem ſimpliciter non eſt opus, vt omnis cauſa effectiua, quæ ad illum concurrit, ſit vitalis, ſed ſatis eſt quòd procedat ab anima mediāte aliqua potētia vitali. Vnde ſoluitur fūdamētū primæ opinionis.

Quid requiratur, & ſufficiat vt actus ſit vitalis.

9. Secundum dubiū eſt, vtrùm ſpecies concurrant tamquā principium, & cauſa partialis principalis, an ſolùm cōcurrāt vt inſtrumentum? Quidam affirmant concurrere vt cauſam partialem. Alij ſolùm vt cauſam inſtrumentalem. Tertiò dicunt aliqui tam potentiam, quàm ſpeciem concurrere vt animæ inſtrumenta, ipſam vetó animam concurrere vt principium principale *Quo*, & vti ſpecie, & potentia tāquam inſtrumentis ſibi coniunctis ad productionem ſenſationis. Omnes hæ tres ſententiæ ſuam habēt probabilitatē, ſed prima ſententia videtur habere maiorem probabilitatē, iuxta ea, quæ diximus ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta de cauſa efficiente, capite ſecundo.

Species an concurrant principaliter, vel inſtrumētaliter.

10. Aduertendū tamen eſt præter hanc cauſalitatem actiuā, quā habet ſpecies ſimul cum potētia, habere etiam aliam formalem, & veluti ſpecificam, quatenus determinat potentiam ad hanc potiùs ſpeciem actus, quàm ad aliā, & quatenus vnit potentiam cum obiecto in ratione cognoſcibilis actualiter. Quod etiam conuenit ſpeciebus intelligibilibus reſpectu intellectus.

Concurrit etiā ſpecies formaliter.

11. Tertium dubium eſt, an iſtæ ſpecies ſint formales ſimilitudines obiectorum, quæ obiecta repræſentent per modū imaginis? Affirmat Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia, capite primo, vbi comparat ſpecies impreſſas obiectorum figuræ, quæ à ſigillo imprimitur. Quo etiā exēplo vtitur S. Thomas 1. p. q. 89 art. 4. & q. 19. de veritate artic. 2. & q. vnica de anima, art. 20. varijſque in locis, & plures alij interpretes Ariſtotelis. Ratio eſt, quia potentia ad hoc vt cognoſcat obiectū, debet ei fieri ſimilis in actu primo; ſed in actu primo non fit ſimilis, niſi per ſpeciem impreſſā; ergo ſpecies impreſſa eſt vera imago, & ſimilitudo intentionalis ſui obiecti. Nihilominus alij Recentiores aſſerunt ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginem obiecti, ſed tantùm virtualem, quatenus ſcilicet iuuat ad formandam perfectam ſimilitudinem, & imaginē expreſſā obiecti. Et ratio eſt, quia ſi ſpecies impreſſa eſſet ſimilitudo formalis, vbi primùm potentiā informaret, eā redderet perfectè ſimilem, ac proinde non egeret imagine, & ſimilitudine expreſſa, quod tamen eſt falſum. Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior. Vnde ad hoc fundamentum ſecundæ reſpondetur potentiam reddi perfectè ſimilem in actu primo per ſpeciē impreſſam; per expreſſam verò reddi formaliter ſimilem in actu ſecundo, quod eſt longè diuerſū. Vnde ſpecies impreſſa ſub ea ratione, qua repræſentat potentiæ obiectum, quaſi obiectum ipſum eſſe cenſetur, & ipſa potentia per ſpeciem informata dicitur quo dammodo eſſe ipſum obiectum.

An ſint ſpecies formales ſimilitudines.

Pars affirmans.

Opinio alia Recentiorum.

Ratio.

Prima ſententia probabilior.

ſint ſigna formalia, & de ratione ſigni formalis non ſit quòd prius cognoſcatur, imò ſit quòd non priùs cognitũ nos ducat in cognitionẽ rei repræſentatæ, ideo nõ eſt opus, vt tales ſpecies priùs cognoſcãtur. Deinde nõ eſt opus, vt tales ſpecies ſint ſimiles obiectis in eſſendo, id eſt quòd ſint eiuſdẽ naturæ, ſed ſufficit quòd ſint ſimiles in repræſentando. Vnde iſtæ ſpecies ſunt qualitates, obiecta verò ſunt ſubſtãtiæ, vel qualitates alterius ſpeciei, aut quantitates, &c. Non ſunt etiam inter ſe contrariæ: nam ſpecies albi, & ſpecies nigri poſſunt eſſe ſimul in eodem ſubiecto naturaliter.

Species ſenſuum non ſunt immateriales.

6. Petes, vtrùm ſpecies iſtæ ſint immateriales? Reſpondetur ſpecies ſenſuũ nõ eſſe immateriales, ſed materiales, ſicut ſunt ipſæ potentiæ, in quibus recipiuntur. Quãdo autẽ iſtæ ſpecies dicuntur ab Ariſt. lib. 3. de Anima cap. 4. text. 16. immateriales, non vult Philoſophus illas eſſe accidentia corporea. Imò cũ iſtę ſpecies producantur ab obiectis vt á cauſa principali æquiuoca, inde fit, vt tales ſpecies ſępe ſint in entitate minꝰ perfectæ, quã obiecta, à quibus oriũtur. Itẽ ſi dicũtur immateriales, idẽ eſt immateriale, ac intẽtionale, quatenus ſcilicet in eſſe materiali, ſeu inter res materiales habent ſpecies quoddam eſſe materiale diminutum.

Proponuntur, & ſoluuntur aliqua dubia circa ſpecies ſenſibus impreſſas.

CAPVT II.

Quomodo ſpecies cõcurrant ad actum cum potentia.

7. PRimum dubium eſt de modo, quo ſpecies ſẽſibus impreſſæ cõcurrant cũ potentia ſentiendi ad actum ſuum eliciendũ. Prima opinio affirmat ſpeciem cõcurrere tantùm diſpoſitiuè, & quaſi materialiter, quatenùs diſponit potentiã, vt ſe ſola producat ſuũ actũ; ſine qua diſpoſitione illũ non poſſet producere, nec excitari ad illũ eliciendũ: nã ſentire eſt propria operatio animæ, & potentiæ vitalis; ſpecies autẽ non ſunt potẽtiæ vitales, ergo nõ poſſunt concurrere effectiuè.

Verior ſententia.

8. Verius tamen eſt, quòd ſpecies cõcurrant effectiuè ſimul cũ potẽtia ad actũ ſentiendi, ita vt ex vtraque fiat vnũ totale principiũ effectiuũ ſenſationis. Ita S. Thomas 1. p. q. 56. art. 1. & lib. 1. cõtra gentes c. 51. 52. 53. & quodlibet 7. artic. 1. Scotus in 1. diſtinc. 3. q. 7. & in quodlibet. q. 15. Magnus Albertus 2. p. ſummæ de homine, in tractatu de ſenſibus animæ. Capreol. in 1. diſ. 35. q. 1. at. 1. & alij. Et probatur, quia potẽtia de ſe eſt indifferens ad varia obiecta percipienda, & de ſe nõ eſt ſufficiẽter cõſtituta in actu primo ad cognoſcendũ potiùs hoc, quàm illud, ſed determinatur ab ſpecie; hæc autẽ determinatio non poteſt fieri, niſi in genere cauſæ effectiuæ: ergo ſpecies concurrit ſimul cum potentia effectiuè, illamque perficit, vt in actu primo ſit potens elicere actum ſentiendi: ita vt nec ſola potentia ſine ſpecie ſit ſufficiens ad actũ eliciendũ, nec ſpecies ſine

potentia.

potentia. Ad actum verò vitalem ſimpliciter non eſt opus, vt omnis cauſa effectiua, quæ ad illum concurrit, ſit vitalis, ſed ſatis eſt quòd procedat ab anima mediãte aliqua potẽtia vitali. Vnde ſoluitur fũdamẽtũ primæ opinionis.

Quid requiratur, & ſufficiat vt actus ſit vitalis.

9. Secundum dubiũ eſt, vtrùm ſpecies concurrant tamquã principium, & cauſa partialis principalis, an ſolùm cõcurrãt vt inſtrumentum? Quidam affirmant concurrere vt cauſam partialem. Alij ſolùm vt cauſam inſtrumentalem. Tertiò dicunt aliqui tam potentiam, quàm ſpeciem concurrere vt animæ inſtrumenta, ipſam verò animam concurrere vt principium principale *Quo*, & vti ſpecie, & potentia tãquam inſtrumentis ſibi coniunctis ad productionem ſenſationis. Omnes hæ tres ſententiæ ſuam habẽt probabilitatẽ, ſed prima ſententia videtur habere maiorem probabilitatẽ, iuxta ea quæ diximus ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta de cauſa efficiente, capite ſecundo.

Species an concurrant principaliter, vel inſtrumẽtaliter.

10. Aduertendũ tamen eſt præter hanc cauſalitatem actiuã, quã habet ſpecies ſimul cum potẽtia, habere etiam aliam formalem, & veluti ſpecificam, quatenus determinat potentiam ad hanc potiùs ſpeciem actus, quàm ad aliã, & quatenus vnit potentiam cum obiecto in ratione cognoſcibilis actualiter. Quod etiam conuenit ſpeciebus intelligibilibus reſpectu intellectus.

Concurrit etiã ſpecies formaliter.

11. Tertium dubium eſt, an iſtæ ſpecies ſint formales ſimilitudines obiectorum, quæ obiecta repræſentent per modũ imaginis? Affirmat Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia, capite primo, vbi comparat ſpecies impreſſas obiectorum figuræ, quæ à ſigillo imprimitur. Quo etiã exẽplo vtitur S. Thomas 1. p. q. 89 art. 4. & q. 19. de veritate artic. 2. & q. vnica de anima, art. 20. varijſque in locis, & plures alij interpretes Ariſtotelis. Ratio eſt, quia potentia ad hoc vt cognoſcat obiectũ, debet ei fieri ſimilis in actu primo; ſed in actu primo non fit ſimilis, niſi per ſpeciem impreſſã; ergo ſpecies impreſſa eſt vera imago, & ſimilitudo intentionalis ſui obiecti. Nihilominus alij Recentiores aſſerunt ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginem obiecti, ſed tantùm virtualem, quatenus ſcilicet iuuat ad formandam perfectam ſimilitudinem, & imaginẽ expreſsã obiecti. Et ratio eſt, quia ſi ſpecies impreſſa eſſet ſimilitudo formalis, vbi primùm potentiã informaret, eã redderet perfectè ſimilem, ac proinde non egeret imagine, & ſimilitudine expreſſa, quod tamen eſt falſum. Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior. Vnde ad hoc fundamentum ſecundæ reſpondetur potentiam reddi perfectè ſimilem in actu primo per ſpeciẽ impreſſam; per expreſſam verò reddi formaliter ſimilem in actu ſecundo, quod eſt longè diuerſũ. Vnde ſpecies impreſſa ſub ea ratione, qua repræſentat potentiæ obiectum, quaſi obiectum ipſum eſſe cenſetur, & ipſa potentia per ſpeciem informata dicitur quodammodo eſſe ipſum obiectum.

An ſint ſpecies formales ſimilitudines

Pars affirmans.

Opinio alia Recentiorum.

Ratio.

Prima ſententia probabilior.

DE POTENTIA SENTIENDI IN communi, & de Speciebus.

QVÆSTIO III.

Vtrùm ſenſus ſit potentia actiua, an tantùm paſsiua?

CAP. I.

1. De potentijs in telligendi nihil eſt quod de nouo addatur, & ideo in præſeti agemus de potētia ſentiēdi. Prima opinio ponit in quolibet organo ſenſus duplicē potentiā ſenſitiuā; paſsiuā vnā, quæ ab obiecto recipiat ſpecies: & alterā actiuā, quæ per ſpecies ita receptas effectiuè eliciat ſenſationē. Et probatur primò, quia datur intellectus duplex in anima, nēpe intellectus agens, & patiēs; ergo debet dari ſenſus agens, & ſenſus patiens. Reſpondetur tamen negata cōſequētia, quia intellectus agēs nō ponitur ab Ariſt. vt effectiuè intelligat, ſed tantū vt cōficiat ſpecies intelligibiles, per quas intellectus poſsibilis intelligat, vt infra dicetur, ſenſus verò cùm ab obiecto recipiat ſpecies proportionatas, nō eget alio ſenſu, qui ſpecies accōmodet. Secūdò, quia cuilibet potentiæ actiuæ reſpōdet alia paſsiua; ergo ſi in organo ſenſus datur potētia quædā actiua, debet dari alia paſsiua Reſpondetur tamē in potentijs, quæ operātur immanenter, eādē eſſe potentiam actiuam, & paſsiuam. Deinde, ſi potentia ſentiendi ſumatur quatenus recipit ſpecies ab obiecto, dicetur paſsiua, & ex parte obiecti illi reſpondet alia potentia actiua ſpecierum.

ententia ponens luas potē ias in quo iis organo.

Fundamentum primū.

Euertitur.

Secundum fundamentum.

Demolitur.

2. Altera opinio docet in quolibet organo ſentiendi vnā tantū dari potentiam, & hāc eſſe purè paſsiuā, & nihil omnino efficere, ſed tantū recipere ſenſationē ab alio factā: & eatenùs dici ſentire, quatenus illam recipit cum aduertentia. Probatur, quia Ariſtot. lib. 2. cap. 5. text. 52. docuit ſenſum eſſe potentiam paſsiuam, & reduci ad actum ab obiecto externo; ergo ſentit Ariſtoteles obiectū externum eſſe cauſam effectiuā ſenſationis, potentiam verò ſentiendi reſpectu ſpeciei impreſſæ, quā recipit, ſolū paſsiuè habere. Reſpondetur tamen Ariſtotelem ſolùm voluiſſe potentiam ſentiendi reſpectu ſpeciei impreſſæ, quam recipit ab obiecto, ſolùm ſe habere vt potentiam paſſiuam, obiectum verò vt agens. De ſenſatione autem, quæ ſequitur in ſenſu poſt receptam ab obiecto ſpeciem, aliter ſentit, vt ſtatim videbimus. Alij affirmant ſolam animam efficere ſenſationē, & ſenſum illam recipere. Hoc tamen eſt contra Ariſtotelem, qui in libro de ſomno, & vigilia, cap. 1.

Secunda ſententia tenens quēlibet ſenſum eſſe potentiam purè paſsiuam.

Probatur auctoritate Ariſtotelis

Reſponſio

Senſatio non oritur immediatè à ſola anima.

docet ſenſationẽ non eſſe animæ ſolius, neque corporis, id eſt organi, nec potentiæ corporeæ, ſed vtriuſque. Deinde eſt cõtra rationẽ: nã potentiæ datæ ſunt á natura tãquam animæ inſtrumenta naturalia, ſed inſtrumenta concurrunt effectiuè; ergo, &c. Deinde. Potentiæ vegetatrices concurrunt effectiuè ad ſuos actus: ergo à fortiori ſenſitiuæ, cùm ſint nobiliores.

Proponitur, & probatur vera ſententia.

3. Vera igitur ſententia docet potentiã ſentiendi, ſi compararetur cũ ſpecie, quã recipit ab obiecto, eſſe tantùm potentiam paſsiuã: ſi autẽ compararetur cũ actu proprio ſentiendi, eſſe ſimul potentiam actiuam, & paſsiuam. Hæc probatur per excluſionem aliarum opinionum. Deinde quoad primam partem oſtenditur, quia potentia ſenſitiua in recipienda ſpecie ab obiecto externo ſolùm ſe habet paſsiuè: ergo vt ſic eſt tãtùm potẽtia paſsiua: in quo ſenſu vocauit Ariſtoteles ſenſum potẽtiam paſsiuã. Quoad ſecundã partem probatur, quia ſenſus in eliciẽda ſua ſenſatione operatur immanẽter, ſed de ratione potentiæ operãtis immanenter eſt, vt ſimul operetur, & recipiat: ergo ſimul eſt potentia operans, & patiens.

Vtrùm dentur ſpecies ſenſibus impreſſæ.

4. Sed eſt ne verum, quod hactenus ſuppoſuimus, ſcilicet potẽtiã ſentiendi recipere ſpecies aliquas ab obiectis externis? Aliqui ſimpliciter negant tales ſpecies impreſſas. Alij quãuis eas admittãt in medio productas, & in organo, nõ tamẽ illas admittũt productas in ipſa potẽtia ſentiẽdi. Vera tamen ſententia admittit veras

Pars affirmans verior.

ſpecies impreſſas, quæ producãtur ab obiectis exiſtentibus, & recipiantur in potentia ſentiendi. Quam ſententiam tenent multi ex ſanctis Patribus. D. Aug. lib. 10. confeſsionũ c. 10. & c. 15. & lib. 12. ſuper Geneſ. c. 10. & lib. 11. de Trinitate cap. 2. alijſque in locis D. Anſelmus in Monologio c. 36. D. Damaſc. lib. 2. fidei orth. c. 20. & alij. S. Thomas 1. p. q. 55. art. 1. & 3. contra gentes c. 49. alijſque in locis. Alẽſis 2. p. ſuæ ſummæ à quæſt. 22. vſque ad 26. Albert. 2. p. ſummæ de homine tract. 4. q. 14. & de quatuor coæuis q. 5. D. Bonauent. in 2. diſt. 3 ar. 4. q. 1. Scotus q. 10. & 11. Fundamentũ eſt, quia potentia quælibet ſenſitiua de ſe eſt indifferẽs ad percipiendũ potiùs hoc obiectũ, quã aliud; ergo debet determinari per aliquid; ſed nõ apparet aliud, per quod determinetur, niſi per ſpecies; ergo dãtur tales ſpecies; præſertim quia obiectũ non poteſt determinare potentiã per ſe ipſum immediatè, cũ longè diſtet, vel de ſe non ſit proportionatũ; ergo determinat potẽtiam ſenſitiuã per ſpeciẽ ſui.

Fundamentum.

5. Idem etiam probatur varijs experimentis, præſertim in potentia videndi. nã aliqui ex eo per inſpicilia cõcaua meli⁹ vidẽt, quia in eo medio fiunt ſpecies aptiores. Secũdò. Oculus eſt ſibi maximè præſens, & tamẽ non videt ſe ipſum, niſi ei apponatur ſpeculũ, ex quo ſpecies reflectat. Tertiò. Actus memorãdi nõ fiũt, niſi per ſpecies; ergo dãtur ſpecies impreſſæ. Neq; oportet, quòd iſtę ſpecies pri⁹ cognoſcãtur á põa, vt per illas poſsit cognoſci obiectũ, quia cum

Aliæ rationes pro eadem ſententia.

Solutio obiectionũ

Quid requiratur, & ſufficiat vt actus ſit vitalis.

potentia. Ad actum verò vitalem ſimpliciter non eſt opus, vt omnis cauſa effectiua, quæ ad illum concurrit, ſit vitalis, ſed ſatis eſt quòd procedat ab anima mediãte aliqua potẽtia vitali. Vnde ſoluitur fũdamẽtũ primæ opinionis.

Species an concurrant principaliter, vel instrumẽtaliter.

9. Secundum dubiũ eſt, vtrùm ſpecies concurrant tamquã principium, & cauſa partialis principalis, an ſolùm cõcurrãt vt inſtrumentum? Quidam affirmant concurrere vt cauſam partialem. Alij ſolúm vt cauſam inſtrumentalem. Tertiò dicunt aliqui tam potentiam, quàm ſpeciem concurrere vt animæ inſtrumenta, ipſam verò animam concurrere vt principium principale *Quo*, & vti ſpecie, & potentia tãquam inſtrumentis ſibi coniunctis ad productionem ſenſationis. Omnes hæ tres ſententiæ ſuam habẽt probabilitatẽ, ſed prima ſententia videtur habere maiorem probabilitatẽ, iuxta ea, quæ diximus ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta de cauſa efficiente, capite ſecundo.

Concurrit etiã ſpecies formaliter.

10. Aduertendũ tamen eſt præter hanc cauſalitatem actiuã, quã habet ſpecies ſimul cum potẽtia, habere etiam aliam formalem, & veluti ſpecificam, quatenus determinat potentiam ad hanc potiùs ſpeciem actus, quàm ad aliã, & quatenus vnit potentiam cum obiecto in ratione cognoſcibilis actualiter. Quod etiam conuenit ſpeciebus intelligibilibus reſpectu intellectus.

An ſint ſpecies formales ſimilitudines.

11. Tertium dubium eſt, an iſtæ ſpecies ſint formales ſimilitudines obiectorum, quæ obiecta repræſentent per modũ imaginis? Affirmat Ariſtoteles libro de memoria, & reminiſcentia, capite primo, vbi comparat ſpecies impreſſas obiectorum figuræ, quæ à ſigillo imprimitur. Quo etiã exẽplo vtitur S. Thomas 1. p. q. 89. art. 4. & q. 19. de veritate artic. 2. & q. vnica de anima, art. 20. varijſque in locis, & plures alij interpretes Ariſtotelis. Ratio eſt, quia potentia ad hoc vt cognoſcat obiectũ, debet ei fieri ſimilis in actu primo; ſed in actu primo non fit ſimilis, niſi per ſpeciem impreſsã; ergo ſpecies impreſſa eſt vera imago, & ſimilitudo intentionalis ſui obiecti. Nihilominus alij Recentiores aſſerunt ſpeciem impreſſam non eſſe formalem ſimilitudinem, & imaginem obiecti, ſed tantùm virtualem, quatenus ſcilicet iuuat ad formandam perfectam ſimilitudinem, & imaginẽ expreſsã obiecti. Et ratio eſt, quia ſi ſpecies impreſſa eſſet ſimilitudo formalis, vbi primùm potentiã informaret, eã redderet perfectè ſimilem, ac proinde non egeret imagine, & ſimilitudine expreſſa, quod tamen eſt falſum. Vtraque ſententia eſt probabilis, ſed prima probabilior. Vnde ad hoc fundamentum ſecundæ reſpondetur potentiam reddi perfectè ſimilem in actu primo per ſpeciẽ impreſſam; per expreſſam verò reddi formaliter ſimilem in actu ſecundo, quod eſt longè diuerſũ. Vnde ſpecies impreſſa ſub ea ratione, qua repræſentat potentiæ obiectum, quaſi obiectum ipſum eſſe cenſetur, & ipſa potentia per ſpeciem informata dicitur quodammodo eſſe ipſum obiectum.

Pars affirmans.

Opinio alia Recentiorum.

Ratio.

Prima ſententia probabilior.

12. Quartum dubium eſt, quo modo ſpecies repræſentet obiectum, ſuppoſito quòd ſit imago illius, & ſuppoſito quòd ſit diuiſibilis, & diuiſibiliter recipiatur in ſubiecto diuiſibili, quale eſt medium, v.g. aër, vel etiam potentia videndi, aut quæuis alia materialis: nam ſicut reliqua accidentia corporea, quæ naturali modo recipiuntur in quantitate diuiſibili, ſunt diuiſibilia, ita etiam ſpecies impreſſæ materiales debent eſſe eodem modo diuiſibiles. Quo poſito dubitatur, vtrùm ſpecies obiecti diuiſibilis illud etiam repræſentet diuiſibiliter, ita vt vna pars ſpeciei repræſentet partem obiecti, & altera pars repræſentet aliam partem obiecti, & tota ſpecies totum obiectum; an potius ita ſe habeat ſpecies, vt tota repræſentet totum obiectum, & ſingulæ partes ſpeciei ſimiliter repræſentent totum obiectum?

Modus quo ſpecies repræſentat obiectum.

An qualibet pars ſpeciei repræſentet totũ obiectum.

13. Hoc poſterius aſſeruit Toletus libro ſecundo de Anima, quæſtione trigeſima quarta, & Curſus Conimbricenſis ibidem, quæſtione ſecunda, articulo ſecũdo, & alij Recẽtiores. Et probant, quia tota hæc ſpecies producitur à toto obiecto; ergo tota illa repræſentat totum obiectum. Similiter. Quælibet pars huius ſpeciei producitur à toto obiecto; ſicut quælibet pars caloris producitur à toto igne: ergo quælibet pars ſpeciei repræſentat totum illud, à quo producitur: ſed producitur à toto obiecto; ergo totum repræſentat. Secundò, quia videmus multa grana arenarum à longe, quæ ſingula non poſſemus videre & tamen quando coniungũtur omnia videntur à nobis; ſed hoc non poteſt aliundè prouenire, niſi quia omnes illæ partes minutiſsimæ mutuò ſe iuuant ad producendam vnam ſpeciẽ, quæ totum repræſentet, & ſingulæ eius partes ſimiliter totum; ergo, &c.

Opinio Toleti, & aliorum.

14. Alij Recentiores tribuunt ſpeciebus impreſsis materialibus repræſentationem diuiſibilem ex parte obiecti, ita vt tota ſpecies repræſentet totum obiectum, & ſingulæ partes ſingulas partes obiecti. Ita Rubius libro ſecundo de Anima, capite quinto, quæſtione 8. numero 80. Fundamentum eſt, quia ſi obiecto albo addatur noua pars albedinis cum noua parte quantitatis, ſpecies, quæ antea producebatur, non repræſentat illam nouam partem albedinis; ergo hæc repræſentatur per nouam partem ſpeciei, quam per ſe producit, & ſic de reliquis partibus obiecti colorati, vel alterius ſimilis. Dices in eo euentu produci aliam ſpeciẽ totalem de nouo, quia fit aliud obiectũ totale. Verũ hæc reſpõſio nõ videtur ſatisfacere, quia hinc ſequitur, quãdiu obiectũ ſucceſsiuè accreſcit, corrumpi infinitas ſpecies, & produci de nouo alias ſimiliter infinitas, quod non eſt dicendũ; neque enim eſt cur iſtæ ſpecies ita ſine neceſsitate multiplicentur.

Aliorum opinio.

Ratio.

15. Aduertendum tamen eſt, quòd quælibet pars organi, ad quam obiectum poteſt mittere per lineam rectam ſui ſpeciem, immutatur ab obiecto, & à parte illius, quæ ex ſe mittit ſpeciem,

Aduertuntur aliqua ad ſolutionem dubij.

& hinc

& hinc fit, vt ex qualiber parte organi poſſit videri totum illud, quod per ſuas partes mittit ſpeciem ſui per lineam rectam ad partem oculi v. g. vel ad vnum tantùm oculum, vt teſtatur experientia. Aduertendum ſecundò, totam hanc ſpeciem totius obiecti, & ſingulas eius partes extendi per totum ſubiectum in quo extenſiuè recipiuntur. Vnde etiã fit, vt quælibet pars oculi v.g. videat totum obiectum detractis impedimentis, quia ſcilicet omnes partes obiecti mittunt ex ſe partiales ſpecies, quæ extendũtur in qualibet parte organi.

Verior ſententia.

16. Atque hæc ſententia ſic expoſita eſt maximè probabilis, & fortaſſe verior. Vnde ad fundamentum primæ dicendum eſt totum calorem, & quamlibet eius partem procedere à toto igne: non ita tamen in ſpeciebus, quæ procedunt per modum imaginis, & ideo hæc pars, quæ repręſentat caput v.g. taliter figuratum, non poteſt repræſentare pedem, & ſic de reliquis partibus ſpeciei, præſertim quæ in repræſentando ſint heterogeniæ. Ad ſecũdum reſpõdetur, ideo plura grana tritici v.g. vel arenæ cõiuncta videri à longe (cùm tamen ſingula ſeorſim videri non poſſint) quia producũt ſimul plures ſpecies eiuſdem extenſionis, & ita multitudo ſpecierum ſupplet defectum ſingularũ, & viſus immutatur multò fortiùs per plures, quàm per vnã tantùm. Cùm autem hoc accidat, nõ ſolũ quando à lõgè videmus multitudinem aliquam homogeniam, ſed etiã heterogeniam, & in hac ſpecies, quæ repræſentat v.g. viride non poſſit oriri ab albo, certum eſt etiam in prædicto experiméto vnumquodque granum tritici v. g. vel arenæ mittere ex ſe peculiarem ſui ſpeciem ad oculum videntis, & non oriri vnam tantùm à toto aceruo, vt volebat prima ſententia.

Fundaméta primæ ſententiæ ſoluuntur.

17. Quintũ dubium eſt, vtrùm ſpecies ſenſibiles ſint capaces intẽſionis, & remiſsionis gradualis? Reſpondetur affirmatiuè. Quæ intenſio gradualis in ſpeciebus dupliciter poteſt contingere. Primò, quia illa qualitas, quam repræſentant, verbi gratia albedo maiorem acquiſiuit intenſionem gradualem, ideo etiam ſpecies eadem, quæ iam antea erat producta, acquiſiuit modo intenſionem gradualem, veluti ratione ſui obiecti, quod repræſentat. Secundò poteſt ſpecies habere maiorem, vel minorem intenſionem gradualem ratione ſui, quia ſcilicet quamuis obiectum repræſentatũ nullam habeat intenſionem gradualem, tamen ſpecies poteſt in ſe eſſe magis, vel minùs intenſa, vt oſtendit experientia: nam perſeuerante eodem obiecto, immutato tamen è propinquo videtur meliùs, quàm è remoto. Item per hoc medium apparet meliùs, non ita verò per aliud medium; ſed hoc non poteſt prouenire, niſi ex maiori, vel minori intenſione graduali ſpeciei: ergo, &c.

Species ſũt capaces intenſionis, & remiſsionis, & quomodo.

(∵)

De ſenſibilibus communibus

CAP. III.

18. QVamuis ſenſus externi nihil cōmune poſsint percipere, cùm ſolùm ferantur in res præſentes, & exiſtentes propria exiſtentia; & in hoc ſenſu non poſsint habere obiectum ſenſibile commune; tamen in alio ſenſu quærunt Philoſophi, vtrùm dentur aliqua ſenſibilia communia, id eſt, quæ quāuis ſint ſingularia, & vt talia percipiantur, tamen non percipiantur ab vno tantùm ſenſu, ſed ab omnibus, vel ſaltem à pluribus? Et hic eſt ſenſus quæſtionis.

In quo ſenſu externi ſenſus habeant ſenſibile communė.

Reſoluitur quæſtio affirmatiuė.

19. Cui reſpondetur affirmatiuè, nempe dari quinque ſenſibilia communia in genere, & præcipua. Hæc autē ſunt *Motus, quies, numerus, figura, & magnitudo*, nam iſta omnia percipiuntur per plures ſenſus, verbi gratia motus percipitur viſu, tactu, auditu, & guſtu; quies verò percipitur per eoſdem ſenſus, ſaltem negatiuè. Et idem patebit de reliquis ſenſibilibus communibus. Diſtantia verò, vel indiſtantia poſſunt reduci ad magnitudinem, & ſimiliter ſitus. Aſperitas, aut curuitas ad figuram poſſunt reuocari.

Numerus ſenſibilium cōmuniū.

20. Dubium tamen eſt, vtrùm hæc ſēſibilia cōmunia nō cognoſcantur per propriam ſpeciem, quam ex ſe mittant: ſed per ſpeciem proprij ſenſibilis? Reſpondetur non cognoſci per ſpeciem, quam ex ſe emittant, ſed per ſpeciem proprij ſenſibilis, verbi gratia colorati, quam determinant, aut modificant ſenſibilia cōmunia: v. g. hoc album mittit ex ſe ſpeciem, ſed aliter eam mittit, quando eſt figuræ quadratæ, aliter quando eſt rotundæ. Deinde. Albedo non videtur in abſtracto, ſed in concreto: ergo ſpecies albedinis, quæ fertur ad oculum, repræſentat illam in concreto, ac proinde in aliqua magnitudine, ſeu quantitate, & conſequenter in aliqua figura, & per modum vnius. Quamuis autem vtrumque ſenſibile ſit per ſe ſenſibile, tamē ſenſibile proprium eſt ſenſibile per ſe primò; commune autem eſt ſenſibile per ſe ſecundò, quia nō poteſt percipi, niſi per ſpeciē proprij ſenſibilis.

Cognoſcuntur per ſpeciem proprij ſenſibilis.

Soluitur obiectio.

21. Petes, vtrùm proprium ſenſibile poſitū in indiuiſibili poſsit naturaliter, vel ſaltem diuinitùs ſenſu externo percipi, & ex ſe mittere ſpeciem: v. g. vtrùm corpus Chriſti Domini exiſtentis in Eucharistia indiuiſibili modo poſſit oculo corporeo videri? Et quidem ſi loquamur naturaliter, certum eſt non poſſe ita videri obiectum indiuiſibiliter exiſtens, nec ſpeciem ſenſibilem ex ſe emittere: alioqui corpus Chriſti Domini in Euchariſtia poſſet à nobis naturaliter videri, quod repugnat experiētiæ. Deinde ratio eſt, quia obiectum non mittit ex ſe ſpeciem, niſi ſit conuenienter diſpoſitum: ſed in indiuiſibili non eſt conuenienter diſpoſitum; ergo non poteſt naturaliter producere

Obiectum ſēſus poſitū in indiuiſibili non poteſt naturaliter videri.

15. REquiri lumen ad hoc, vt oculus eliciat viſionem, docet ipſa experientia; nam ſtantibus obiectis, & potentia vt antea, ſi auferatur lucerna, & fiant tenebræ, nihil omnino videmus; ergo ad viſionem requiritur lumen, ita vt ſine illo non poſsit fieri. Dubium tamen eſt, vtrùm lumen requiratur ſolùm ex parte obiecti videndi, an ex parte medij tantũ, an ex parte vtriuſque? Et quidẽ ex parte obiecti videndi non eſt dubium requiri lumen, nam ſi obiectum nullam prorſus habuerit lucem non poterit videri. Similiter ſi obiectum ſit ex parte illuminatum, & ex altera parte carẽs luce, videbitur ex ea parte, qua eſt illuminatum, non ita verò ex alia

Tã ex parte obiecti.

Quam ex parte medij.

Ariſt. lib. 2. de Anima. cap. 7. text. 68

16. Deinde ex parte medij etiã non eſt dubium requiri aliquam lucem, ad hoc vt obiectum mittat ſui ſpecies ad oculum, vt ipſa experientia docet. Idem etiã probatur ex definitione, qua Ariſtoteles perſpicuũ definiuit. Docuit etiam ideo obiectum viſibile ſupra oculum non ſentiri per viſum, quia oportet obiectum alterare prius medium actu illuſtratum. Ratio verò eſt, quia lux medij, & obiecti concurrit cum eodẽ obiecto tamquam cauſa partialis ad

Ratio.

productionem, & multiplicationem ſpecierum viſibilium; ergo non poterit obiectum per ſe abſque luce producere tales ſpecies. Aduertendum tamen eſt maiorẽ lucem requiri in obiecto,quàm in medio,ad hoc vt obiectum poſſit videri.

Viſio nõ fit per radios ab oculo emiſſos vt aliqui volebant.

17. De modo,quo fit viſio fuere apud veteres diuerſæ opiniones: quidam enim aſſerebant viſionem fieri emiſſis ab oculo radijs quibuſdam ad obiectum, per quos veluti manu apprehendatur obiectum viſibile,& inde reflectere illos radios ad oculum, & efficere obiectum viſum actualiter.

Sed receptis ab obiecto ſpeciebus.

Sententia tamen peripatetica eſt viſionem fieri receptis ab obiecto ſpeciebus. Quòd non fiant per aliquam emiſſionem radiorum, ex eo probatur, quia tantilla pupilla non poteſt in tam longam diſtantiam radios extendere ea vi, vt ad ſe iterum reflectant. Deinde, ſi viſio ita fieret, etiam in tenebris poſſemus rem intueri, quod repugnat experientiæ.Cùm ergo viſio non fiat hoc modo, nullus alius modus reſtat, quo fiat, niſi receptis ab obiecto imaginibus: vt ſi ante potentiam videndi, & obiectum apponatur corpus aliquod craſſum,per quod ſpecies non poſſint tranſmitti,iam oculus non cerneret talẽ obiectum.

Pupilla habet aliquid lucis.

Non etiam eſt negãdum pupillã habere ex ſe aliquid lucis, ratione cuius recipiat ſpecies extrinſecùs aduenientes.Imò aliqua animalia ex oculis aliquam lucem emittunt,per quam proxima obiecta redduntur viſibilia ab ijſdem; qualia ſunt ea, quæ noctu venantur.

Aliqua aduertenda.

Aduertendum deinde illa obiecta, quæ ſunt propè oculos in diſtãtia proportionata,minorem lucem requirere, vt poſſint videri, quàm illa, quæ fuit in loco remotiori. Quæ eſt ratio cur in nebula videamus ea obiecta, quæ ſunt nobis proxima,non autem ea,quæ ſunt remota. Aduertendum tertiò in ſpeculo non videri imaginem, ſed videri obiectum,quod à tergo eſt per imaginem quamdam impreſſam, quæ reflectitur ab ſpeculo ad oculum videntis, vt alibi ſolet latiùs explicari.

Viſio fit in humore cryſtallino.

18. Quod attinet ad partem oculi, in qua fit viſio, relictis opinionibus, aſſerimus fieri in cryſtalloide,ſeu in humore cryſtallino, quia ibi, iuxta probabiliorem ſententiam, reſidet potentia videndi,& eo humore læſo ſtatim deperditur potentia videndi, & viſio actualis. Vnde reliquæ oculi partes ad hanc vnam tuendam videntur à natura inſtitutæ.

Aquileges non vident ſub terris aquam.

19. Petes vtrùm illi, qui aquarum inſpectores vulgò dicuntur, & habentur,& qui Aquileges vocantur,re vera ſub terris aquam videant. Affirmant ipſi tantùm, vel potiùs mentiuntur. Vnde pro certo habendum eſt ſtando in rationibus philoſophicis non poſſe videri aquam ſub terra latentẽ, ſicut nõ poteſt videri quæuis alia res viſibilis,ſi inter potentiam videndi, & ipſam rem apponatur corpus opacum,quale eſt corpus terræ. Accedit etiam,quia aqua ſub terra latens non eſt illuminata,ſed in tenebris, nos verò non poſſe videre obiectum niſi in ſe ſit

illuminatum, iam ſupra concluſimus, ergo &c. Vnde ſi iſti homines aquam aliquando monſtrant, id ex aliquibus ſignis deprehendunt. Sunt autem hæc ſigna naturalia. Dulcis humor in terra, iuncus aquatilis, canna leuis, rubus in vallibus, ſalix lenta, populus virens, & alia ſimilia. Poteſt etiam iſta diuinatio fieri ex pacto dæmonis, qui optimè nouit aquam in terra latentem. Quòd verò aquam non videant illud argumentum eſt, quòd ſæpè nos decipiant, & aliquando fateantur ſe non videre aquam ſub terra, ſolùmque eam artem lucri gratia venditaſſe.

Signa aquæ ſub terra latentis.

Soluuntur aliqua dubia ad viſum ſpectantia.

CAPVT IIII.

Oculi poſtremò formantur in fætu.

20. IN primis oculi in fætu poſtremò efformantur, quia ad initium natura fætus eſt maximè humida, oculi autē habent aliquas partes, quæ egent maxima cōcoctione, & ideo paulatim diſponuntur. Non ſunt autem oculi naturæ igneæ, vt volebat Plato, & alij, ſed potiùs ſunt aqueæ naturæ. Hoc tamen non tollit, quo minùs de ſe habeant aliquam lucem. Eſt autem pupilla aqueæ naturæ, & nō aeriæ, quia aër facilè diſsipatur, & ideo non eſt idoneus ad ſpecies conſeruādas. His poſitis

Oculi piſcium cur immoti, & mobiles in alijs animātibus.

21. Primum dubium eſt cur piſces maiori ex parte habeāt oculos immotos? Reſpondetur, quia cùm verſentur in aqua, vbi non habent multa, quæ nocere poſſint, ideo non fuit opus, vt eos haberent mobiles. Secundum, cur oculi in reliquis animantibus ſint admodùm mobiles? Reſpōdetur, quia habent multos muſculos, vt patet ex dictis, & quia ad oculos confluit maxima copia ſpirituū. Tertium, cur qui geminas in oculo pupillas habent effaſcinandi vi pollent? Reſpondetur, quia ſicut gemina pupilla vitio naturæ accidit, ita etiam virus illud, quod per oculos effunditur. Quartum, cur oculi indices animæ nuncupantur? Quia nulla pars corporis magis prodit ea, quæ in animo latent, quàm oculi, vt qui ad exhibenda iudicia multiformes exiſtunt, truces, torui, flagrantes, graues, ſubmiſsi, blandi, ardent, arrident, rident, derident, pauēt, iraſcuntur, comminātur, promittūt, &c. ac tandem apud medicos primum ad præſagiendum habent locum, quia maximè inter membra mutātur, præſertim ab intrinſeco agente.

Cur vis faſcinandi detur in illis qui geminas habent pupillas.

Oculi ſunt animi indices.

Quæ oculorū compoſitio, & color ſit aptior ad viſum.

22. Quintum dubium eſt, quænam oculorum compoſitio, & color ad videndum ſit aptior? Reſpondetur inter colores optimū iudicari caprinum, qui cernitur in oculis caprarum, medius inter glaucum, & nigrum. Deinde, quoad ſitum oculi magis reconditi, cæteris paribus, acutiùs vident, quia recipiunt ſpecies magis vnitas, & ſpiritus vitales, & animales non ita effluunt. Quæ eſt ratio, cur quando aliquid melius videre volumus aliquantulum oculos

claudimus, vel vnum tantùm, vt tota ſpirituum copia ad aliũ confluat. Senes autem obtusè vident ob inopiam ſpirituum,& quia defectu caloris incipit oculorum cutis corrugari. Vt autem benè fiat viſio, neceſſe eſt vt oculi membrana ſit lenis.

Cur ſenes vt videant, remouent ab oculo obiectum, & luſci approximent.

23. Sed cur ſenes, vt meliùs videant, remouent ab oculo obiectum? Quia cum iam parum interni lucidi in oculis habeant, egent externo lumine, & ideo remouent obiectum, vt magis illuſtretur. Luſci autem è contrà, approximant oculis obiectũ quia habent multum lucis in oculo, & ſufficiens, vt cum paruo externo poſsit obiectum ſufficienter illuſtrari, ne præ nimia luce offendatur potentia videndi. Sextũ dubium, cur in tenebroſo loco exiſtentes videmus in luce obiecta, v. g. in altis puteis ſtellas in media luce? Reſpondetur, quando locus omnino eſt tenebroſus, nihil à nobis videri: quando autem habet ſufficientem lucem, vt ſpecies poſsint transmitti, tunc in tenebroſo loco videmus obiectũ benè illuſtratum, quia radij viſorij non aliò diuertunt, neque lux ſtellarũ in eo loco ab alia luce abſorbetur.

Cur ſtellæ videantur in puteis præaltis etiã interdiu.

Quando autẽ ſumus in luce ideo non videmus, quæ ſunt in tenebroſo loco, quia ex parte obiecti non datur lux ſufficiens, vt poſsit videri.

Experrecti è ſomno cur in tenebris videãt.

24. Septimum dubium, cur aliqui in tenebris experrecti ita clarè vident, ac ſi lux eſſet? Reſpondetur hoc prouenire ex maxima ſpirituum vitalium, vel animalium copia, qui cum ſint tranſlucidi illuminant proximum aërem. Octauum, cur in ſpeculis cõuexis & rotundis appareant res minores, quàm ſint, quod non contingit in planis? Reſpondetur, quia à maiori ſuperficie fit reflexio in planis; in concauis autẽ radij reflectentes magis diſgregantur. Tandem dubitatur, vtrũ videndi facultas ſemel amiſsa poſsit per vires naturæ redire? Reſpõdetur negariuè, vt ipſa experientia docet; quamuis aliqui auctores ferant aliquorum animalium oculos, ſi ſemel eruantur, renaſci iterum. Oculorum tamen fabrica adeo eſt operoſa, & delicata, ac tenera, vt ſi ſemel diſſoluatur totaliter non poſsit iterum naturaliter redire. Vnde dictum illud inter fabulas eſt recenſendum.

In ſpeculis rotundis cur appareant res minores.

Potentia videndi ſemel amiſſa non redit naturaliter.

DE SENSV auditus.

QVÆSTIO V.

De obiecto huius ſenſus, quod eſt ſonus

CAP. I.

1\. Secundum dignitatis locum inter ſenſus externos obtinuit auditus. Illius obiectũ eſt ſonus, quia ſolus ſonus eſt audibilis. Dubium tamen eſt, quid ſit ſonus, & quæ illius cauſa efficiens. Ad cuius rei declarationẽ notandum eſt ad generationem ſoni concurrere tria, vel ſaltẽ duo corpora ſe mutuò collidentia. Vnde poteſt ibi conſiderari primò ipſa ſubſtantia corporum. Secundò motus ille, quo mouetur. Tertiò contactus, ſeu colliſio ipſa talium corporum. Hoc ſuppoſito, conſtat in primis ſonum non eſſe motum talium corporũ, quia ſonus eſt qualitas quædam, motus verò minimè. Deinde, quia mot⁹ eſt ſenſibile commune, ſonus autem eſt ſenſibile proprium. Vnde fit, vt generatio ſoni non ſit ipſa latio, ſeu motus localis. Certũ ſecundò eſt motum non eſſe ipſum contactum, ſeu colliſionem corporum duorum inter ſe: nam duo corpora poterunt collidi in vacuo, & nullum ſonum edent. Certum tertiò eſt ſonum ſequi ex colliſione corporum inter ſe Magis tamen proximè ſequitur ex fractione aëris, qui per colliſionẽ corporum frangitur, & ex illa fractione reſultat alia actio, per quã immediatè fit ſonus, & appellari poteſt ſonatio.

Dignitas & obiectum auditus.

Sonus quomodo generetur.

Sonus non eſt motus.

Non etiam eſt ipſa colliſio corporum, ſed ex ipſa reſultat.

2\. Definitur autẽ ſonus prout eſt obiectum auditus, *Qualitas ſenſibilis, quæ auditu percipi poteſt.* Dubitatur tamen, vtrùm ſit qualitas ſucceſsiua, an permanens? Quidã affirmant eſſe tantùm ens ſucceſſiuum, & incipere, ac deſinere cum motu. Alij dicunt eſſe ens permanens. Dicendum tamẽ ſonum eſſe qualitatem quamdam veluti mediam inter ens ſucceſſiuum, & ens permanens, quatenus ſcilicet incipit, & fit per actionem ſucceſsiuam, non tamen deſinit cum illa, ſed aliquandiu perſeuerat, licet ad breue tempus, & ideo non dicitur ens ſimpliciter permanens.

Definitio ſoni.

Sonus an ſit ens ſucceſſiuum, vel permanẽs.

3\. Cauſa autem effectiua ſoni ſunt corpora ſonantia, & ſe collidentia, quem efficiunt mediante aliquo impulſu ipſis corporibus impreſſo, & quatenus aërem per illum faciunt reſilire, & frangi. Vnde aër non eſt cauſa effectiua ſoni, ſed ad ſummũ eſt cauſa ſubiectiua, in qua recipitur ſonus factus à corporibus ſe collidẽtibus, & frangentibus aerem. Vnde pro diuerſitatẽ corporum ſe collidẽtium diuerſus fit ſonus, nunc grauis, nunc acutus, &c. Vnde ſi corpora ſunt ſolida, dura, & magis aeria, redditur maior ſonus, & ita vaſa inania magis ſonant, quám plena. Non fit autem ſonus tantũ ex refractione aeris, ſed etiam ex refractione aquæ, vt patet experimento in nubibus, & in aqua maris. Et ideo etiam per aquã multiplicatur ſonus, vt aliquibus placet, tamquam per medium, & ideo

Cauſa efficiens ſoni.

Varietas ſoni vnde.

Multiplicatur etiam per aquam.

piſces ſub aquis audiunt, & homines illi, quos dicimus Vrinatores, vulgò *Mergulhadores*.

4. Dubium tamen eſt, vtrùm ſonus ſemper deueniat ad auditum realiter, ſeu per ſuum eſſe reale, an aliquando deueniat tantùm per ſpecies? Reſpondetur, quamuis ſonus aliquando deueniat ad aures per ſuum eſſe reale, tamen non percipi, niſi per ſuum eſſe intentionale, ſeu per ſpecies, & ideo vbi primùm ſonus fit, ſtatim mittit ſui ſpecies ad omnes partes, cum non ſit maior ratio, cur incipiat potius ab hac parte, quàm ab alia. Vnde ſi ſonus perciperetur ſecundum ſuum eſſe reale, nō perciperetur totus, quia non totum eſſe reale ſoni ingreditur ad aures. Cùm igitur ſonus percipiatur ſecundum ſe totum, propriè ſolùm percipitur per ſpecies intentionales. Negandum tamē nō eſt per aliquas partes medij multiplicari ſonum tam realiter, quā intentionaliter; per alias verò ſolùm multiplicari intentionaliter; neque enim eſt probabile, quando quis clamat, totum illum aerem, in quo auditur frangi, ac moueri. Deinde, quando duo homines è regione vociferantur, iā idem aer duobus motibus cōtrarijs moueretur ſimul; quod tamē naturaliter fieri repugnat. Tandem, quia ſonus breuiſsimo tempore in maximo ſpatio auditur, ſed non poteſt tam breuiter multiplicari realiter: ergo ſaltem in aliquibus partibus ſolùm multiplicatur intentionaliter.

Sonus non percipitur niſi per ſuas ſpecies.

Sonus & realiter, & intentionaliter multiplicatur.

Quomodo in nobis, & in alijs animantibus vocalibus formetur vox.

CAPVT II.

5. INter ſonos, quos auditu percipimus, non tenet vltimum locum vox quoddam viuentium perfectorum, & præſertim vox humana dearticulata. Definitur ergo. *Vox eſt ictus aeris reſpiratione attracti, qui ab anima in pulmonibus exiſtente cum quadam imaginatione efficitur.* Dicitur *ictus aeris*, nō quòd vox ſit ipſe ictus aeris, ſed quia ex illo ictu reſultat. Datur ergo in nobis duæ viæ ab ore ad pectus. Prima eſt ea, per quam ex ore mittitur cibus ad ſtomachum, & hæc vocatur gula. Alia eſt, per quam ad pulmones ducitur aer, & hæc vocatur arteria vocalis, ſeu aſpera, quia eſt naturæ oſſeæ, & habet prominentias quaſdā cauſantes aſperitatem.

Definitio vocis explicatur.

Canales ab ore ad pectus duo

6. Pulmones igitur comprimē do ſe attrahunt aerem per hanc viam, quæ in ſuperiori parte habet lingulam quamdam per modum tympani, quod os arterię cō tegit, ne aliquid cibi tranſmittatur ad pulmonem. Aer igitur receptus in pulmonibus, & ibi cō preſſus per muſculos intercoſtales, & thoracis, iterum aſcēdit per hanc arteriam, impingitque in illud tympanum, illudque attollit, quouſque deueniat ad ſuperiorē partem oris, ibique refrangitur ad fauces, præſertim in caruncula

Quomodo formetur vox.

quadam, quæ ex ſuperiori capitis parte pendet, & dicitur gargario, vulgò *gorgomillo*, & multum inſeruit ad diſtinguendum, & modulandum ſonum, & ad formandam vocem. Ad illam autem dearticulandam magis inſeruit lingua, dentes, palatum, ac tandem labia. Inſeruit etiam maximè phãtaſia dirigendo, & appetitus, aut voluntas imperando linguæ, & alijs partibus illum motum, qui immediatè exercetur á potentia motiua prout appetitus, vel voluntas imperat: voluntas autem, & appetitus imperat prout dirigitur ab intellectu, vel à phantaſia.

Quæ animalia vocẽ edant.

7. Vnde colliges vocem edere ſolùm eſſe illorum animaliũ, quæ pulmones habent, & arteriam vocalem, & quæ reſpiranr. Vox eſt aliquid commune ad vocem hominis, & brutorum. Vox autem dearticulata eſt propria ſolius hominis, præſertim ſi ei addatur impoſitio ad aliquid ſignificandum, quia ita fit ſermo, & per illam aperiuntur animi ſenſa, & interni conceptus, quod non datur in brutis. Vnde, licèt formare vocem dearticulatam poſsint aliquæ animantes, tamen non eã formant hac intentione.

De organo potentiæ audiendi, & alijs ad ſonum ſpectantibus.

CAPVT III.

Ex quibus partibus cõponatur organum auditus.

8. Potentia audiendi reſidet in aure tam quam in organo, quod multis conſtat. Primò occurrit cartilago iſta externa in modum labyrinthi efformata, vt ibi priùs in varijs partibus refrangatur aër. Eſt autẽ cartilago, vt ſit ſemper erecta. Deinde, ſequitur foramen quoddam ad modum cocleæ, vt aër paulatim ingrediatur, & per illam moram caleſiat, ne, ſi frigidus ingrediatur, potentiam lædat. In extremo foramine eſt tympanũ quoddam, quod eſt veluti oſtium, & aliquando attollitur, aliquando deprimitur.

In quo reſideat immediatè potẽtia audiẽdi, & vbi fiat auditio.

9. Deinde ſequitur cauitas quędam, in qua ſunt tria oſsicula diuerſæ figuræ: nam primum repræſentat figuram incudis. Secundũ maleoli cuiuſdam. Tertium ſtapedæ. In medio horum oſsiũ eſt membrana quædam orbicularis, intra quam aſſeruatur ſubſtantia quædam tenuiſsima per modum ſubſtantiæ aeriæ, quæ ideo dicitur aer congenitus: & in hac ſubiectatur potentia audiendi, & hìc fit auditio, quidquid aliqui contradicant. Sicut autem auris duplex eſt, ita & potentia audiendi duplex. Hinc autem ad cerebrũ excurrit neruus quidam, per quẽ deſcendunt ſpiritus animales, & aſcendunt ſpecies auditus ad ſenſum communem, & ad phantaſiam.

In quibus animãtibus ſit potentia audiendi.

10. Quamuis autem hæc ita ſe habeant in hominibus, tamen in animantibus eſt aliqua varietas: quædam enim nullo pollent auditu; aliæ quamuis auditu pol-

leant,non conſtat tamen locus in quo ſit. Aliæ habent quidem auditum ,ſed non in capite. Imò , vt narrat Plinius lib. 6. nat hiſt. cap.5.& lib.4.c.13. apud Sambros omnia quadrupedia, etiam elephantus,ſunt ſine auribus. Refert etiam aliquos eſſe homines, qui corpora nuda aurium cartilagine contegant, & ipſa vtantur pro ſtramentis.

Vnde oriātur varij ſoni in auribus ægrotantium.

11. Petes vnde oriantur in auribus ægrotantium aliquando varij ſoni? Reſpondetur naſci ex agitatione humorum, & ex diuerſitate illorum,ac vario impulſu,quo ad aures, & ad partes organi refranguntur. Indicant autem aures etiam mores, teſte Ariſtotele lib.1.de hiſt. animal. cap. 11. nam aures mediocres optimorũ notæ ſunt morum:magnæ verò,& vltra modum arrectæ ſtultitiæ, & loquacitatis ſunt indices. Illud tamen eſt,quod hìc parentes moneamus, ne filios in tenera ætate ingenti cædant alapa: ſæpè enim ex hoc ictu tenera adhuc ſubſtantia illa auditus diſsipatur, & effluit, puerique efficiuntur ſurdaſtri.

Signa ex auribus ſũpta.

Cur ſurdi per nares vocẽ edant.

12. Rogabis ſecundò, cur ſurdi ab ortu per nares vocem reddũt? Quia , qui ſurdus eſt etiam mutus, vel ad mutum accedit: muti autem,quia compreſſo ſunt ore, ſpiritum ad nares impellunt,quæ ita fiunt laxiores, & facilem præbent exitum voci. Rogabis tertiò,cur in pudore rubeſcant aures? Quia cùm ſint in aperto accurrit natura cum ſuo velamine ſanguineo ad illas operiendas. Si aqua in aures illabatur præſtat in fundere oleum,quod aquam ſecũ trahat. Petes quartò, cur magis audiendo, quàm legendo delectemur? Variæ afferuntur rationes hac de re. Illa videtur optima, quia audiendo minùs fatigamur, quàm legendo. Deinde, quia vox loquens meliùs rem explicat,quã muta,& ideo audita magis hærẽt animo,quàm lecta.

Cur in pudore rubeſcant aures.

Magis audiendo quã legendo delectamur.

13. Sunt tamen adhuc aliqua dubia,præſertim circa illum ſonum, quem vocem appellamus. Primum eſt,vnde proueniat gracilitas,aut grauitas vocis, & diuerſitas,ac varietas earum? Reſpondetur prouenire ex varia refractione aëris; ſi enim exiguus aer refrangatur,fit vox exilis,vt accidit in pueris,fœminis, & ſenibus; item in metuentibus, quia confluente calore ad interiora,multũ aeris,qui per arteriam vocalem emittendus erat , minuitur? Quæ etiam eſt ratio, cur in metu frequentior ſit reſpiratio.Iuuat etiã ad hanc diuerſitatem vocum atteriæ amplitudo,vel anguſtia. Itẽ modus,quo aer expellitur lentè, aut celeriter ; quando enim aer multus eſt, lentiùs mouetur, & craſsiorem edit ſonum, vt apparet in chordis,& in fiſtulis.

Vnde proueniat diuerſitas vocum.

14. Secundum dubium eſt, cur *echo* fiat in aliquibus corporibus, & locis, in alijs verò minimè? Quia corporum , & locorum diſ poſitio talis eſt, vt totum ſonum reddat abſque vlla diſperſione, & ideo fit ille ſonus reflexus,quẽ vocamus *echo*. Alia verò corpora, & loca, quia non ſunt ita dura, ſed mollia,hiatibus plena,aſpera, humida, & inæqualia, ideo aerẽ

Echo cur fiat in vno loco,& non in alio.

allifum

allitum diſpergunt, nec reddunt *echo*. Tertium dubium, vnde pro-ueniat in aliquibus hominibus loquentibus hæſitatio? Reſpondetur prouenire ex nimio frigore, quod attonitum, & quaſi ſtupidum reddit locutionis organum. Vnde fit etiam in animantibus, vei bi gratia in ſturnis, vt loquaciores euadant ſi offam vino madefactam vorent, aut alijs rebus calidis iuuentur.

Hæſitatio vnde proueniat.

15. Plura alia dubia hìc poſſent fieri, quæ tamen ad cantores ſpectant. Cur ſcilicet illi, qui in eodem tono cantant, poſsint in eodem nunc dimiſsè, nunc altiùs cantare? Cur ſuauiùs audiunt illi, qui cantilenam norunt? Quare illi qui cantant graui voce, ſi diſſonant faciliùs deprehenduntur, quàm illi, qui cantant acuta voce? Cur multi ſimùl cantantes meliùs ſeruare poſsint harmonicos numeros, quàm ſi cantent pauci? De quibus omnibus latè agit Curſus Conimbricenſis in libro de Anima, ad finem. ſect. 3. problematum de ſono, & voce.

Dubia ad cantores ſpectantia.

DE RELIQVIS TRIBVS SENSIBVS externis, & eorum obiectis.

QVÆSTIO VI.

De ſenſu Odorandi, illius obiecto, & organo.

CAPVT I.

1. SEnſus hic in naribus reſidet, habetque pro obiecto odores, qui ſunt qualitates quædam reſultantes ex temperamento quatuor primatum qualitatũ, quæ in mixtis dantur. Vnde elementa in ſuo naturali ſtatu nullum ex ſe emittunt odorem. Aliqui tamen voluerunt odorẽ eſſe *ſubſtantiam quamdam fumeam, quæ ex corporibus odoriferis exhalatur*. Qui tamen ex eo refelluntur, quia ſubſtantia non eſt per ſe ſenſibilis, ſed per ſpecies accidẽtium; odor autem eſt ſenſibile per ſe proprium. Negandum tamen non eſt odorem aliquando exhalari á rebus odoriferis ſimul cum aliquibus partibus eiuſdem rei odoriferæ, v. g. pomi; & mediante hac ſubſtantia dicuntur odores aliqui nutrire, lædere, proficere cerebro, quia hæc ſubſtantia ſecum defert tales qualitates, quæ iuuent cerebri temperiem, vel illam diſturbent.

Sedes, & obiectum odoratus.

Odor quid ſit.

Odor aliquando ſimul cum ſubſtantia odorifera exhalatur.

2. Generantur verò odores ex permixtione quatuor qualitatum prædominãre ſicco, & calido, & calore humidũ decoquẽte. Ex his ſiccitas eſt magis cognata odori,

Quomodo generentur odores.

& veluti materia eius. Vnde, quæ impenſè olent communiter ſicca ſunt; & regiones ſiccæ ſunt odorum feraciſsimæ. Vnde etiam prouenit, quòd res nimium humectatæ parùm oleant: & quòd organum odorandi, ſi ſit etiam humore pituitoso infectũ, nõ ſentiat odores.

Odorum ſpecies.

3. Odorum ſpecies variæ ſũt; nobis tamen ignotæ propter hebetudinẽ huius ſenſus in diſcernendo ſuo obiecto. Ideo autem flores aliqui, & ſuffimenta è propinquo non ita benè olent, quia in principio exhalatur odor cum terreis cõcretionibus permixtus; poſtea verò exuit paulatim illas fæces, & redditur purior. Contingit etiam aliquando, vt eadem res ſapida ſit, & odorifera, quia in eadem re ſunt aliquæ partes habẽtes illam temperiẽ quatuor qualitatum, quæ requiritur ad odorem; aliæ autem partes habent qualitatum temperiem requiſitam ad ſaporẽ. Quia tamen iſtæ partes ſunt inter ſe permixtæ, ideo non facilè diſcernuntur à ſenſibus.

Solutio obiectionum.

Tria maximè odorifera explicantur.

4. Inter res odoriferas tres ſunt maximè celebres, nempe *Moſchus, Zibettum,* & *Ambarum*. *Moſchus* vulgò dicitur *Almiſcar*, & fit ex ſanguine cuiuſdam feræ: qui ſanguis poſtquam in folliculis incluſus exſiccatur, reddit illum optimum odorem, quem experimur. *Zibettum*, vulgò dicitur *Algalia*, & communiter creditur gigni ex ſudore quorumdam fellium. *Ambarum* autem dicunt aliqui eſſe aliquid in balenarum viſceribus genitum, & quòd aliquando in ipſarum ſtomacho reperitur. Alij dicunt eſſe fungi marini ſpeciem è profundo, vel è ſaxis auulſam, & pelagi æſtuantis vi ad littora delatam. Et hoc vltimum videtur probabilius. Si autem in ſtomacho balenarum repericur eſt, quia ambarum deuorant àuidiſsimè, ſicut etiam multa animalia terreſtria ad littora accurrunt illius odore, vel ſapore attracta; vt ferunt, qui regionem Braſilicam incoluere, in qua multoties reperitur ambarum, & vix à volucribus, & animantibus defenditur.

Moſchus quid.

Zibettum.

Ambarum.

Odor quomodo diffundatur.

5. De odoris diffuſione eodem modo nobis eſt philoſophandum, quo de ſono: nam odor aliquando diffunditur per partes aliquas medij realiter ſimùl, & intentionaliter; aliquando per partes remotiores diffunditur ſolùm intentionaliter. Habet tamẽ etiam alium modum ſe diffundendi, quando ſcilicet cum odore reali exhalantur è re odorifera partes quædam ſubſtantiales tenuiſsimæ, in quibus tamquam in proprio ſubiecto defertur odor, & aliquando per nares ingreditur ad cerebrum ſimùl cum partibus illis ſubſtantiæ odoriferæ, vt iam ſupra diximus. Medium autem, per quod odor diffunditur, eſt aër, & aqua. Vnde etiam piſces odorantur: quamuis enim non reſpirent, habent tamẽ ſenſum odorandi, quia potentia odorandi aquatilium non eſt in occulto, ſed ſupra labra, & in aperto. Quòd autem etiam aquatilia habeant ſenſum odorandi conſtat experimento: accurrunt

Medium per quod diffunditur.

enim

enim ad carnem, & ad ſimiles eſcas per olfactum.

Structura organi odoratus.

6. Organum potentiæ odorandi ita conficitur. Occurrunt primò nares, quæ ſunt duo foramina, per quæ attrahitur aer, partim ad cerebrum, partim ad cor; & per quæ effluit muſcoſa eluuies á capite: & per quæ ſpecies odorum ad potentiam odorandi deferuntur. Nares igitur cartaligine quadam, quaſi tegumento, operiuntur, quæ aliter dicitur naſus. In extrema parte narium eminent duo tubercula carnea, quibus ſubijcitur os quoddam perforatum ad modum cribri habens duo foramina maiora, quæ reſpondent naribus. Potentia igitur odorandi reſidet in illis tuberculis carneis, & ibi fit odoratio: quidquid aliqui contradicāt aſſerētes potētiā olfaciendi reſidere in cerebri ventriculis. Alij aſſerebant eſſe in neruo per nares expanſo.

Vbi fiat odoratio.

Olfactus hominis quomodo ſe habeat ad olfactũ brutorum.

7. Petes, vtrũ potētia odorādi in hominibus ſit hebetior, quā in alijs animātibus? Reſpōdetur potentiā olfaciēdi in hominibus eſſe accidētaliter ſaltē perfectiorē, quā ſit in multis brutis: ab alijs tamen brutis ſuperari, vtà uulture, cane, & ſimilibus, quæ plures ſpecies odorum percipiunt, & è remotiori loco. Petes ſecūdò, cur Æthiopes reſinato ſint naſo? Reſpondetur, quia naſus cartilago quædā eſt, quæ naturā oſsis imitatur: in calidioribus autē, vt in Æthiope, & in pueris materia craſsior, & minùs vtilis, qualis eſt materia cartilaginis, vertitur in oſſa, & ideo in his, & ſimilibus minùs creſcit naſus, & manet quaſi ſimiæ naſus,

8. Petes vltimò, quæ ſit cauſa ſternutandi; Reſpō detur eſſe halitus quoſdā ex humorib⁹ per vim caloris excitatos, & è capite volētes egredi, & ideo vim expultricē, vt caput exoneret, efficere illū motū ſternutationis. Vnde inter dormiendum non ſternutamus, quia adigitur calor intus. Similiter ſi oculos perfricamus, quia humor ille; qui per nares erat egreſſurus, per oculos exit. Sternutamus autem ad Solem aſpicientes, vel nares penna laceſſentes, quia nares tunc faciliùs incaleſcunt.

Quæ cauſa ſternutādi.

De Guſtu, & Tactu, eorumque obiectis, & organis.

CAPVT II.

9. Gvſtus eſt potētia, quæ verſatur circa ſapores. Sapor autem etiā eſt qualitas ſecunda reſultans ex varia permixtione quatuor primarum qualitatum. Definitur autem ab Ariſtot. in lib. de ſenſu, & ſenſibili c. 4. *Sapor eſt affectio in humido aqueo facta á ſicco terreſtri, & calore decoquente guſtatum, qui in potentia eſt ad actum per alterationem deducens.* Ex qua definitione colligitur primò tria potiſsimùm cōcurrere ad generandum ſaporem: concurrit enim ſiccitas terreſtris, ſeu in materia denſiori; humiditas aquea, ſcilicet in materia etiam magis denſa, quàm ſit aër, & concurrit etiā calor decoquēs. Colliges ſecundò hæc, quæ diximus nō obſtare, quominùs ſapores etiam

Sapor quid.

Quæ concurrant ad generādum ſaporem.

Solutio obiectionis.

reperiantur in rebus, quæ habent plus ſicciratis, quã humiditatis, vt eſt piper, & gingiber; ſolùm enim dicimus in tali re ſemper oriri ex humido, & ſicco per calorem decoctis.

Subiectum ſaporis, & guſtus quale.

10. Subiectum ſaporis eſt res ipſa quæ dicitur ſapida; potentia autem, quæ percipit iſtos ſapores, eſt potentia guſtandi, quæ reſidet in lingua tamquã in ſuo proprio organo, præſertimque inſidet in illius cuſpide. Eſt autẽ lingua naturæ ſpongioſæ, & raræ ad imbibendos humores. Ad radicem latior eſt, & faucibus hæret: oſſe valido nititur veluti baſi: nouem conſtat muſculis, quos media linea ad dextram, & ſiniſtrã diuidit, ita vt quatuor maneant ex hac parte, quatuor ex alia, & vnus ad radicẽ. Inſeruiunt autem, vt per illos facilè lingua moueatur. Conſtat etiã varijs venis, & præſertim duobus muſculis. Habet etiam aliquos neruos, per quos ad ſenſum communem mittuntur ſpecies ad ſapores dignoſcendos, & mediantibus quibus è capite deſcendunt ad linguam ſpiritus animales.

Linguæ cõpoſitio.

11. Ad radicẽ linguæ ſunt duæ glandulæ corneæ quas *tonſillas* vocant, & inſeruiunt ad ſaliuam generandam. Species ſaporũ numerãtur octo ab Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſili cap. 4. nimirum *Dulcis, amarus, pinguis, ſalſus, acer, acerbus, & acidus.* Ex his duæ extremæ ſpecies ſunt *dulcis, & amarus.*

De ſenſu Tactus, qui toto corpore diffunditur.

12. De tactu dicendum eſt eſſe potentiam quãdam ſenſitiuã, quæ toto corpore diffũditur, & habet pro obiecto res tangibiles. Vnde non ſunt audiendi illi, qui tactum ponebant in ſolo corde, vel in ſola carne, aut in ſolis neruis; alioqui iam reliquæ partes ſine vllo ſenſu ſe vti paterentur, quod tamen eſt contra experientiam. Negandum tamen non eſt in aliquibus partibus habere tactum operationes aliquas perfectiores, & acutiùs ſentire propter meliores diſpoſitiones. Vnde cutis extrema meliùs ſentit, vt ita animal poſſit ſibi prouidere. Vnde in manus vola eſt ſenſus acutior, quia manus eſt commune inſtrumentũ, & in alijs ſimilibus partibus, vbi plures nerui coniunguntur, & cutis eſt delicatior; tamen cæteris paribus videtur tactus eſſe acutior, ac delicatior in neruis.

De medio tactus.

13. De medio tactus dicendum eſt nullum eſſe, quia tactus ſolùm percipit ſua obiecta approximata realiter, & per phyſicũ contactum. Dubium tamen eſt, vtrùm tactus ſit vna tantùm potentia, an plures? Et ratio dubitandi eſt, quia illæ qualitates, quæ tactu percipiuntur, ſunt inter ſe maximè diuerſæ, & inter ſe contrariæ: verbi gratia molle, & durum, lene, & aſperum, graue, & leue. Dicendum tamen vnam tantùm eſſe potentiam tactus, quia licèt omnes illæ qualitates ſint materialiter diuerſæ, tamen conueniunt in hoc, quòd ſint tangibiles: & ſub hac formali ratione ſpecificant vnam ſpecie potentiam, quia habent vnum tantùm modum immutandi potentiam. Negandum tamen non eſt etiam iſtas qualitates appeti, vel odio haberi ab appetitu ſenſitiuo, ſed ſub alia ratione, quatenus ſcilicet

Tactus an ſit vna tãtũ potentia.

Occurritur obiectionibus.

ſunt

ſunt commodæ, vel incommodæ proprio ſuppoſito. Similiter dolor, & volupras ſub diuerſa ratione pertinẽt ad apperitum ſenſitiuũ, & ad tactum: nã reſpectu appetitus ſunt proprij actus, at verò reſpectu tactus ſolùm ab eo percipitur ſciſsio illa, vel cõtuſio, ex qua oritur dolor. Qua etiã ratione ſentit tactus famem, & ſitim.

An guſtus, & tactus ſint potẽtiæ diuerſæ.

14. Dubiũ ſecundò eſt, vtrùm guſtus, & tactus ſint potentiæ diuerſæ, an vna tantùm, & eadẽ, ita vt guſtus in lingua nihil aliud ſit, quã potẽtia tãgendi prout in ea parte reſidet. Ad ſolutionẽ huius dubij aduerte tactum ſumi dupliciter.

Tactus ſumitur dupliciter.

Primò latè, pro quauis potentia, quæ non ſentit ſuum obiectum, niſi per contactum phyſicũ. Secũdò ſumitur preſsè, & magis propriè, pro eo ſenſu tactus, qui toto corpore diffunditur. Guſtus igitur poterit dici tactus primo modo nõ tamẽ ſecũdo, quia ſunt diuerſæ potẽtiæ realiter diſtinctæ, & habent diuerſa obiecta, quãuis ad guſtũ ſupponatur tactus. Habent etiam diuerſa organa.

Solutio quæſtionis.

Dices aqua nullum habet ſaporẽ, & tamen guſtu percipitur; ergo guſtus non differt à tactu? Reſpondetur aquã dũ eſt in ſuo ſtatu naturali nullũ habere ſaporem, & ſub hac ratione non percipi guſtu, ſicut etiam non percipitur aër.

15. Dubitatur tertiò, cur ſenſus tangendi, & guſtandi percipiant obiectum poſitum ſupra organũ ſentiendi? Aliqui abſolutè negãt de omnibus ſenſibus externis, aſſeruntque nullum ſenſum externum percipere obiectum ſibi impoſitum, quod videtur docuiſſe

Vtrum aliquis ſenſus percipiat obiectum poſitum ſupra ſenſiterum.

Philoſophus, Sanctus Thomas, & alij. Fundamentum eſt, quia inter potentiam, & obiectũ debet dati propoitio: ſed ſpecies quãdo exit ab obiecto in ſuo primo ortu exit nimiũ craſſa: ergo debet dari aliquod medium, per quod attenuetur. Si aurẽ aliquando intra oculum apparet aliquis humor lucidus, iſte diſtat à cryſtalloide ſufficiẽter, vt ex ſe poſsit mittere ſpeciẽ cõuenientẽ. Similiter quãdo in aure auditur bõbus quidã non excitat ſupra potentiã, ſed in partibus vicinis. Item odor, quando diffunditur realiter vſque ad nares, non ſentitur ſecundum eas partes, quæ proximè inhærent in ruberculis, ſed ſecundum partes remotiores.

Pars negans proponitur. Ariſt. lib. 2. de Anim. cap. 6. text. 75. & cap. 8. text. 98. D. Thom. hoc loco cum alijs & 1. p. q. 78. artic 3. varijsque in locis.

16. Quãuis autẽ hæc in tribus primis ſenſibus rectè ſe habeant, tamẽ in guſtu, & tactu nõ videtur negandũ poſſe percipi obiectum poſitũ ſupra ſenſiteriũ. Er diuerſa ratio ſumitur ex diuerſo modo, quo iſti duo ſenſus exigũt ſua obiecta applicata: nõ enim illa poſſũt percipere per ſolas ſpecies intẽtionales abſque phyſico cõtactu: ergo rectè poſsũt percipere ſuũ obiectũ ſupra ſenſiteriũ. Neq; obſtat, quód ſpecies initio mittantur craſsiores: nam iſti ſenſus, cũ ſint maximè craſsi, etiã poſſunt percipere ſua obiecta per ſpecies craſſiores: neq; enim poteſt dici, quòd manus nõ ſentiat prunã, quã in ſe haber. Aſſerendum igitur eſt hos duos ſẽſus, ad hoc vt percipiãt ſua obiecta, debere immutari ab illis, tam realiter, quam intentionaliter, ſaltem ſi loquamur de modo naturali; nam diuinitus fieri

Probabilior ſentẽtia.

A a 3 poteſt

poteſt, vt guſtus percipiat per ſpeciem obiectum, quod á parte rei non exiſtit, vel abſens eſt, vt ſupra diximus.

Quomodo ſenſus læditur à vehementi ſenſibili.

17. Petes, vtrùm ſenſus lædatur à vehementi ſenſibili? Reſpondetur lædi aliquando veluti per accidens, quatenus ſcilicet cum vehementi ſenſibili producuntur in organo ſenſus illæ qualitates, quæ ſoluunt temperiem, & diſpoſitionem requiſitam ad organum ſenſus: qua ratione Sol producendo in oculo multam lucem, & mediante luce multum caloris, ſoluit temperiem oculorum; res nimis calida producendo in lingua multum caloris ſimiliter perturbat temperiẽ requiſitã ad conſeruationẽ guſt⁹; & ſic de reliquis potẽtijs ſẽtiẽdi. Sicut autẽ aliqua obiecta ſenſibilia lædunt hoc modo potentias, ita ſunt alia, quæ tales potentias mirificè recreant ob contrarias rationes.

Cur pueri, & prægnãtes cibos appetant inſuaues.

18. Petes ſecundò, quæ ſit ratio cur pueri, & quæ vterum geſtant, præſertim ad tertium vſque menſem cibos appetant inſuaues, vt carbones, coctos lateres, & id genus fictile? Reſpondetur hoc ex eo fieri, quia vitioſa qualitas aliqua ad os ventriculi accedens cognatæ qualitatis appetentiam excitat. Vnde ſi ventriculus infeſtatur atrabili, excitat appetentiam carbonum, vel laterũ, aut ſimiliũ; ſi acida pituita, ſapores appetit acidos, v.g. virides fructus, &c. Petes tertiò, cur dulcibus ſaturemur citiùs, quàm acribus? Quia dulcia tota fermè ſunt alibilia: acria autẽ non ita. Petes vltimò, cur illi, qui in flagranti pugna, vel rixa feriuntur, nõ ſtatim dolorem ſentiunt? Reſpondetur hoc fieri ex eo quòd anima tunc tota ſit intẽta alijs rebus, & phantaſia ſimiliter; & ideo non proponit appetitui illud malum.

Cur dulcibus ſaturemur citiùs, quàm acribus.

DE SENSIBVS INTERNIS, ET DE ijs, quæ ad eos ſpectant.

QVÆSTIO VII.

De numero, & ſede ſenſuum internorum.

CAPVT I.

Senſus cõmunis datur in omnibus animantibus.

1. IN primis certum eſt apud omnes Philoſophos dari in omnibus animantibus, tam perfectis, quam imperfectis interdum quemdam ſenſum, qui vulgò dicitur *ſenſus communis*, non quòd communia obiecta percipiat, ſed quia percipit ea omnia ſingularia, quæ percipiuntur ſenſibus externis; & ad quem, veluti ad communem arbitrem externorum ſenſuum, ipſi mittant ſuas ſpecies, vt ipſe communis ſenſus

Eius munus.

iudicet de obiectis. Imò iſte ſenſus communis eſt ille, cuius arbitrio diſtribuuntur ſpiritus animales ad omnes potentias ſentientes.

2. Præter hunc ſenſum internum, qui datur in omnibus animantibus, admittitur alius ſenſus internus ſpecie diuerſus, qui *Phātaſia* nominatur, reperiturque ſaltem in animantibus magis perfectis, vt eſt homo, elephas, equus, & alia ſimilia. Tertiò addunt alij alios ſenſus internos pro varietate diuerſarum actionum, quas experimur in cognitione animantium: nam præter hos duos conſtituunt æſtimatiuam, vt etiam res non ſenſatas percipiat, & conferat cum ſenſatis. Addunt quartò memoriam ſenſitiuam, quæ ſit veluti theſaurus ſpecierum. Ponunt etiam imaginatricem potentiam, & aliqui illam diſtinguunt á phantaſia; alij cum phantaſia confundunt.

Phantaſia reperitur in animātibus magis perfectis.

Plures alij ſenſus interni cōſtituuntur ab aliquibus.

3. Aſſerendum tamen eſt duas tantùm eſſe potentias ſenſitiuas internas, nimirum ſenſum communem, & phātaſiam. Ex quibus ſenſus communis percipit omnia obiecta ſingularia, & præſentia, quæ per ſenſus externos cognoſcuntur: percipit enim ſenſatum per viſum non eſſe ſenſatum per auditũ, & ſic de reliquis. Et in animalibus imperfectis, quæ habent ſolùm ſenſum communem, & nõ habent phantaſiam diſtinctam, percipit etiam ſenſus communis aliquo modo conuenientiam, vel diſconuenientiam materialem obiectorum ſingularium, quæ per ſenſus externos percipiuntur, vt ita poſsint vitari vt noxia, vel amplecti vt commoda.

Duæ tamen ſunt potentiæ ſẽſitiuæ internæ, & non plures.

4. Phantaſia autem in animalibus perfectis, & præſertim in homine, habet plurima officia; primò enim percipit etiam obiecta ſenſata per externos ſenſus, & per ſenſũ communem dum ſunt præſentia, & etiam in abſentia. Deinde ex duobus obiectis ſimplicibus ſenſatis componit quoddam tertium, verbi gratia montem aureum. Et ratione huius actus dicitur phantaſia *Imaginatio*. Tertiò concipit externa ſenſata ſub noua quadam ratione cõuenientis, vel diſconuenientis, vltra eam rationem, ſub qua cognoſcuntur à ſenſu communi. Et ratione huius muneris dicitur phātaſia *Æſtimatiua*; à qua proximè mouetur appetitus. Quartò cognoſcit etiam obiecta iam à nobis primò cognita, & ſenſata, recordaturque iam aliquando ea agnouiſſe. Et ratione huius officij dicitur *Memoria ſenſitiua*. Præterea datur alius actus reminiſcentiæ, qui eſt veluti diſcurſiuus, præſertim in homine, & ratione huius actus dicitur phātaſia. *Reminiſcentia*. Tandem phantaſia etiam in homine, quādo intellectus cogitat de ſingularibus, ipſa etiam ſimiliter dicitur cogitare de iiſdẽ, & propterea appellatur *Cogitatiua*.

Phantaſiæ munera quæ ſint.

5. Atque hæ diuerſæ operationes, quas experimur, anſam præbuere Philoſophis multiplicandi potentias internas, cùm tamen omnes illæ oriantur à duplici potentia. Imò non deſunt aliqui Recentiores, qui exiſtiment maximè probabile vnum tantùm

Aliquorum ſententia admittens vnũ tantũ ſenſum internum.

dari ſenſum internum, ad quem ſpectent õnes prædictæ operationes, & qui in aliquibus ſubiectis imperfectioribus habeat paucio-res, vel imperfectiores operationes ex ſupra poſitis: in alijs verò habeat plures, vel omnes. Cuius oppoſitum fortaſſe nulla firma ratione poterit oſtendi; quãuis di uerſos videantur habere modos, quibus immutantur ab obiectis.

Sẽſus communis vbi reſideat.

6. Suppoſito tamen, quòd interni ſenſus ſint duo. Senſus communis reſidet in anteriori parte cerebri, ad quam confluunt nerui omnes ſenſuum externorum, per quos neruos deferuntur ſpecies rerum ſenſatarum ad ſenſum cõmunem. Phantaſia verò reſidet in reliquo magno cerebro, & in cerebello, vbi compoſitio organi eſt attemperata, & apta ad operationes phantaſiæ. Vnde poterit contingere, vt pars vna cerebri ſit aptior ad conſeruandas ſpecies memoratiuas, quàm alia: & ratione huius maioris aptitudinis dici poteſt memoria reſidere in ea parte. & ſic de alijs operationibus. Quòd ſi Ariſtoteles aliquibus animantibus perfectis videtur denegare phantaſiam, loquitur de phantaſia, quoad aliqua munia ex proximè poſitis, non autem quo ad omnia.

Phantaſiæ ſedes.

De modo cognoſcendi horum ſenſuum internorum.

CAPVT II.

Sẽſus communis ſolũ percipit præſentia.

7. EX dictis colligi poteſt ſenſum communẽ ſolùm percipere obiecta præſẽtia, quæ per ſenſus cognoſcuntur, vel ſaltem per ſpecies, quæ illa repræſentent vt præſentia, vt accidit in ſomnio, iuxta ea, quę infra dicemus. Phãtaſia autẽ, præſertim humana, cognoſcit nõ ſolũ obiecta pręſẽtia, ſed etiam abſentia, habet que non tãtùm notitias intuitiuas, ſed etiam abſtractiuas. Imò etiam addunt aliqui in homine diſcurrere circa ſingularia, & componere, ac diuidere: ſenſus autem communis ſolùm apprehendit per imagines quaſdam expreſſas. Hoc tamen non tollit, quominùs per hanc apprehenſionem dicatur cognoſcere res vt conuenientes, vel diſconuenientes, ſaltem materialiter. Vnde etiam actus, per quem ſenſus cõmunis apprehẽdit obiectum vt conueniens, vel diſconuenien materialiter, ab aliquibus ſolet appellari iudicium, ſaltem imperfectù. Quod à fortiori eſt verum de actu phantaſiæ: quamuis iudicium propriè, & in rigore ſit proprium intellectus; & ratione intellectus etiam communicetur phantaſiæ humanę, iuxta illam opinionem probabilem, quæ illi concedit diſcurſum circa ſingularia.

Phantaſia etiam abſentia, & ex aliquorum opinione diſcurrit.

Actus horũ ſenſuum an poſſit dici iudicium.

8. Dubium tamen eſt, vtrùm ſenſus interni operentur per ſpecies eiuſdem rationis cum ſpeciebus ſenſuùm externorum: vel à quo accipiunt ſpecies, quibus in ſuis operationibus vtuntur? Qua in re primò certum eſt ſenſus internos egere ſpeciebus intentionalibus,

Interni ſenſus etiam egent ſpeciebus.

nalibus, ſicut externos: nam ſicut oculus non poteſt videre ſine ſpeciebus, ita phantaſia, vel ſenſus communis nō poteſt cogitare de obiecto nunquā ſenſato, & de quo nunquā habuit ſpecies. Secundò certum eſt, poſtquam obiectum ſemel percipitur per ſenſus externos, & internos, manere aliquid inſenſu interno, per quod poſtea internus ſenſus recordatur de tali obiecto, etiam in abſentia, vt oſtendit ipſa experientia, non ſolùm in hominibus, ſed etiam in animātibus, quæ pollēt memoria.

Dantur etiā ſpecies memoratiuæ.

9. Tertiò certum eſt ſpecies, quæ inſeruiunt internis ſenſibus, eſſe ſpecie diuerſas ab ijs, quę in ſeruiunt externis, ſicut etiam ſpecies viſus differunt eſſentialiter ab ſpeciebus auditus: nam diuerſæ potentiæ, quæ habent diuerſum modum operandi, exigunt diuerſa principia, & diuerſas ſpecies. Incertum tamen eſt, quæ nā ſit cauſa productiua illarum ſpecierum, quibus vtitur ſenſus communis, & phantaſia. Aliqui ponunt tertium alium ſenſum internum, quem vocant *ſenſum agentem*, qui non ſit cognoſcens potentia, ſed tantùm conficiat prædictas ſpecies, ſicut infra dandus eſt intellectus agens ad fabricandas ſpecies intelligibiles, quæ inſeruiunt intellectui poſsibili. Hæc tamen ſententia ſingularis eſt, & ſine neceſsitate potentias multiplicat: nam ſenſus interni, cùm percipiant obiecta corporea, non egent, niſi ſpeciebus corporeis, quæ ab obiecto & ab alijs ſēſibus externis poſsūt fieri; quod a liter accidit in intellectu poſsibili.

Diuerſorū ſenſuum ſpecies, ſūt eſſētialiter diuerſæ.

A quo fiant ſpecies inſeruientes ſenſibus internis.

Prima opinio reijcitur.

Non datur ſenſus agens

10. Secunda opinio docet ſpecies ſenſuum internorum fieri à ſenſu externo determinato per ſpeciem obiecti, ita vt illa ſpecies ſolùm concurrat ad ſpeciem ſenſus interni tamquam conditio. Tertia opinio, & vera aſſerit prædictas ſpecies produci ſimul ab obiecto, & ab actu expreſſo, quē elicit ſenſus externus, verbi gratia ſpecies, per quam ſenſus communis percipit hoc coloratum vt viſum, producitur ab hoc colorato, & ſimul ab actu viſionis, & ideo repræſentat obiectum præſens vt viſum, quia ad productionem talis ſpeciei concurrunt illæ duæ cauſæ. Similiter ſpecies, quæ inſeruiunt phantaſię in prima ſingularium cognitione, fiunt ab ijſdem obiectis ſimul cum actu ſenſus externi, & cum actu ſenſus cōmunis, & ita repræſentant obiectum vt cognitum per vtrumque ſenſum: nihil enim aliud apparet, á quo iſtæ ſpecies producantur. Poſtquàm autem phantaſia habet ſpeciem accidentis in concreto ſingularis, etiam poterit in ſe formare, arguendo, aliam ſpeciem ſubſtantiæ intùs latentis, & ſic poterit etiam cognoſcere ſubſtantias ſingulares materiales. Relinquuntur etiam ex actibus expreſsis phantaſiæ aliæ ſpecies memoratiuæ, per quas ipſa phantaſia recordatur obiectorum, quæ priùs cognouit, & quæ in ſomno ſeruiunt ad ſomnia, vt infra dicetur.

Secunda opinio.

Vera ſententia.

Probatur.

11. Atque ex dictis colliges, quomodo phantaſia, & ſenſus communis poſsint cognoſcere etiam operationes ſenſuum infe-

Quomodo phantaſia, & ſenſus communis cognoſcan operatio nes ſenſuū externorū

riorum,

iorum, quia ſpecies, quæ in ſenſu communi, & phantaſia primò producuntur, etiam aliquo modo repræſentant actus ſenſuum externorum. Colliges ſecundò, quomodo phantaſia poſsit percipere etiam res non ſenſatas perſe; verbi gratia ſubſtãtias materiales, quia in ſe producit ſpecies talium ſubſtantiarum ex ſpeciebus accidentium ſingularium. Colliges tertiò, quomodo etiam phantaſia poſsit cognoſcere res abſentes, quarum ſpecies, vel per ſe, vel per eadem obiecta, & medijs actibus ſenſuum externorum acquiſiuit.

Alia corollaria.

12 Vtrùm verò phantaſia, & ſenſus communis cognoſcant directê, vel reflexè proprios actus eſt difficultas. Cuius partem negantem ſequuntur omnes communiter, quia hoc genus cognitionis reflexæ ſupra proprios actus eſt maximè perfecta, ideoque non conuenit potentiæ cognoſcēri materiali, ſed ſoli intellectui, qui eſt potentia nobilior, & magis abſtracta â materia.

Senſus interni non cognoſcũt proprios actus.

DE INTELLECTV AGENTE, & eius munere.

QVÆSTIO VIII.

Vtrùm detur intellectus agens, & quid ſit?

CAP. I.

Ratio affirmandi.

2. CVm obiecta materialia, & corporea de ſe non poſsint mittere, niſi ſpecies materiales per quas noſter intellect⁹ nõ poteſt res corporeas cognoſcere, (quia cum ſit ſubiectum ſpirituale, non poteſt in ſe recipere naturaliter accidẽtia corporea) & alioqui experimento conſtet nos intelligere etiam res corporeas per veros conceptus, & imagines expreſſas ſpirituales: ideo dubitarunt Philoſophi, quæ nam eſſet cauſa efficiens illarum ſpecierum, perquas intellectus noſter primò apprehendit, & cognoſcit res corporeas, ac materiales? Et vt àb hac difficultate ſe expedirent, omnes in eo conuenere, quòd ſit dandus aliquis intellectus agens, qui talis dicatur ex eo, quòd conficiat ſpecies intelligibiles ſpirituales, perquas homines poſſent intelligere res corporeas. Solus Durandus in. 1. ſent. diſt. 3. quæſt. 5. omnino negauit intellectum agẽtem, ſed immeritò, vt facta ratio conuincit.

Datur intellectus agens ex communi philoſophorũ conſenſu.

2. Quidã ergo aſſerũt, intellectũ agentem in nobis eſſe Deum, qui ſe ſolo faceret ſpecies intelligibiles rerũ corporaliũ. Alij eſſe ſubſtantiam quamdam ſeparatã. Alij conſtituebant in homine tres intellectus,

Variæ opiniones de intellectu agente.

telle ctus,quorũ primus eſſet omnino ſeparatus, & res vniuerſales perciperet. Secundus res materiales, qui propterea materialis eſſet. Tertius,qui ſemper eſſet in actu,& ſcientiarum perfectionem compararet. Omnes tamen errarunt: nam Deus licèt cum omnibus cauſis ſecundis cooperetur, tamen in nobis non efficit ſe ſolo ſpecies intelligibiles rerum materialium,vt facit in Angelis, ſed ſimul cum aliqua noſtra potentia, quæ non poteſt eſſe ſubſtãtia aliqua ſeparata à nobis,nec intellectus ſeparatus,aut materialis,producit ſpecies intelligibiles ſaltẽ pro hoc ſtatu.

ra ſẽtẽtia intel- ctu agẽte.

3. Dicendum ergo eſt intellectum agentem in nobis eſſe potentiam creatam ſpiritualem, & in ſubſtantia animæ inhærentem.

obatur.

Fundamentum eſt, quia intellectus poſsibilis ab initio ſuæ creationis in nobis eſt veluti tabula raſa, quæ nullas imagines habet depictas,ſed procedente tempore eas acquirit; non poteſt autem illas comparare mediãte ſola potentia materiali; ergo neceſſariò danda eſt aliqua potẽtia ſpiritualis, quæ conficiat ſpecies rerum materialium, illaſque tribuat intellectui patienti. Hic autem intellectus agens non eſt vnus in omnibus, ſed in quolibet homine datur ſuus.

Probabilius eſt eſſe potentiam diſtinctam ab intellectu patiente.

4. Dubitatur tamen primò, vtrùm hic intellectus agens ſit potentia realiter diſtincta ab intellectu patiente? Reſpondetur probabiliùs affirmatiuè; nam agens, & patiens quantum fieri poteſt debẽt realiter diſtingui; ſed intellect⁹ poſsibilis dicitur patiẽs,quia recipit ſpecies ab intellectu agente: intellectus verò agens dicitur talis,quia ſpecies cauſat; ergo inter ſe realiter diſtinguuntur. Dubitatur ſecundò,vtrùm hic intellectus ſit potentia etiam cognoſcens? Reſpondetur negatiuè: ſolùm enim habet pro munere cõficere ſpecies intelligibiles rerum materialium.

Nõ eſt tamen potentia cognoſcens.

Vnde eſt potentia ignobilior, quàm ſit intellectus poſsibilis;quamuis poſsit dici nobilior ſecundum quid, quatenus ſcilicet ſpecies efficit,quas recipit intellectus patiens.Dubitatur tertiò,vtrùm intellectus agens etiam detur in Angelis? Reſpondetur negatiuè,quia Angeli à Deo acceperunt ſpecies rerum omnium naturalium,& ideo non egent tali potentia. Imò licèt eam haberent non poſſent illa vti eo modo, quo homines,quia intellectus agens non conficit ſpecies, niſi ſimul cum phantaſmatibus,quæ in Angelis non dantur.

Non datur in Angelis.

Quod nam ſit intellectus agentis munus?

CAPVT II.

5. IAm ex dictis conſtat intellectum agentem nõ cognoſcere. Ponitur. ergo ab Auctore naturæ in homine, vt producat ſpecies intelligibiles rerum naturalium; & hoc eſt præcipuum illius munus. Vt autem exerceat hoc præcipuum, alia ei ſolent attribui priora, ſed minùs præcipua.

Primum eſt illuſtrare phantaſmata.

pua. Primum eſt illuſtrare phantaſmata. Cuius meminit Ariſtoteles lib.3.de Anim.cap.5 text.18. cum dixit intellectum agentem ſe habere ad intelligibilia, ſicut lumen externum ſe habet ad colores, quos ſua illuſtratione efficit actu viſibiles; ergo intellectus agens ſua ſpirituali luce efficit phātaſmata illuſtrata, vt cum illo poſſint efficere obiecta corporea actu intelligibilia. Vnde ſecundum munus intellectus agentis eſſe dicitur efficere obiectum intelligibile actu, ſeu aptum proximè, vt intelligatur. Ac tādem vltimum, & præcipuum munus eſt producere ſpeciem intelligibilem.

Secundum munus eſt efficere obiectum actu intelligibile. Tertium, & præcipuum producere ſpeciem.

Quomodo illuſtrentur phantaſmata.

6. Prima tamen difficultas hac in re eſt, quomodo intellectus agens illuſtret phantaſmata? Quidam aſſerunt illuſtrare illa per actionem quamdam præuiam, & realem producendo in phantaſmatibus quādam lucem veluti ſpiritualem, per quam phantaſma redditur aptum producere in intellectu patiente ſpeciem intelligibilem. Hæc tamen ſententia inde oſtenditur falſa, quia agens ſpirituale creatum non poteſt in ſubiecto materiali immediatè producere aliquam qualitatem realem, niſi fortè impulſum. Secundò, quia ſi illa qualitas producta in phantaſmate eſt corporea, non poteſt reddi per illam proportionatum phantaſma ad producendam ſpeciem intelligibilem ſpiritualem. Alij aſſerunt intellectum agentem illuſtrare phantaſma tantùm per extrinſecam aſsiſtentiam: vel per extrinſecam coniunctionem phantaſiæ

Prima opinio reijcitur.

Secunda opinio refellitur.

in eodem ſubiecto, ſeu ſuppoſito rationali. Verùm hæc aſsiſtentia, & coniunctio extrinſeca nō ſufficit, quia hæc ſemper datur quādiu phantaſmata perſeuerant, & tamen non videntur ſemper illuminari.

7. Dicitur ergo intellectus agens illuſtrare phantaſmata, quatenus per quamdam realem actionem producit ſpeciem intelligibilem in intellectu patiente, quæ ſpecies repræſentat illam rē ſingularem, vel communem, quæ in phantaſmate repræſentabatur ſingularis. Et per hanc eamdem rationem dicitur efficere obiectum intelligibile actu: non quód in ipſo obiecto, aut phantaſmate, aliquid reale producat, ſed quia ſimul cum phantaſmate producit ſpeciem illius obiecti, per quā intellectus redditur completus in actu primo ad intelligendum tale obiectum. Vnde hæc illuſtratio phantaſmatum metaphorica eſt, & non realis; ſicut enim colores in tenebris non apparent, ita obiecta materialia repræſentata in ſolo phantaſmate non apparent. Si autem accedat ſpecies intelligibilis formata ab intellectu agēte, ſtatim apparet illud, quod in phantaſmate repræſentabatur: ſicut adueniente luce illuſtrantur colores, & fiūt actu viſibiles proximè.

Verus ſenſus explicatur.

Illuſtratio phātaſmatum metaphorica.

8. Eleuat igitur intellectus agēs phantaſma corporeum coniungendo illud ſibi, & efficiendo, vt eadem actio, quæ oritur principaliter ab intellectu agente, & per quam producit ſpeciem intelligibilem, oriatur etiam tota à phā-

Quomodo eleuetur phantaſma

taſmate, vt à cauſa inſtrumentali coniuncta, vt patet ex ijs, quæ ſupra docuimus de cauſa inſtrumétali. Habet autem phantaſma aliquam proportionem naturalem inſtrumentalem ad iſtum concurſum, quatenus repræſentat illam naturam eamdem, quæ poſtea repræſentatur in ſpecie intelligibili, & quatenus determinat intellectum agentem, vt potiùs producat ſpeciem intelligibilem huius obiecti, quàm alterius. Quamuis igitur omnes potentiæ ſenſitiuæ externæ, & internæ aliquo modo famulentur intellectui agenti, tamen phantaſia vt potentia nobilior illi proximé famulatur per ſua phantaſmata expreſſa: nam ſupremum infimi, quod eſt phantaſia, attingit infimum ſupremi, quod eſt ſpecies intelligibilis intellectus patientis.

Solutio obiectionis.

Proponuntur aliqua dubia circa ſpecies intelligibiles.

CAPVT III.

9. PRimum dubium eſt, vtrùm de facto dētur tales ſpecies, & vtrùm ſint neceſſariæ? Aliqui negarunt omnino tales ſpecies, aſſerebantque ſufficere phantaſmata. Alij cũ ſpecies admittãt ad cognitionem abſtractiuã, illas tamen negant ad intuitiuam, quia putãt ſufficere præſentiã obiecti. Dicendum tamen eſt cũ cõmuni Philoſophorũ ſchola neceſſariò admittẽdas eſſe ſpecies intelligibiles in noſtro intellectu, & ſine illis non poſſe pro hoc rerum ſtatu dari in nobis cognitionem intuitiuam, neque abſtractiuam intellectus. Fundamentum eſt, quia ita ſe habet intellectus ad ſuos actus, vt ſe habet ſenſus ad ſuos, ſed ſenſus non poteſt elicere actum ſine ſpeciebus; ergo neque intellectus. Deinde, quia noſter intellectus à principio in nobis eſt quaſi nuda tabula, & de ſe indiffeiens ad cognoſcendũ potiùs hoc obiectum, quàm illud; ergo debet determinari per aliquod principium ſibi intrinſecum; non apparet aliud niſi ſpecies, ergo &c. Neque ad hoc ſufficiunt phantaſmata, quæ ſunt nimis craſſa, & materialia. Tandem, quia intellectus non pendet ita á phantaſmatibus, vt aliquando non poſſit ſine illis operari: ergo neceſſariò requirit ſpecies ſpirituales.

Aliqui negarũt ſpecies intelligibiles.

Neceſſarió tamen ſunt admittẽdæ.

10. Petet tamen aliquis, quid ſit ſpecies intelligibilis in intellectu? Reſpondetur eſſe qualitatem quamdam ſpiritualem, per quam obiectum habitualiter ſaltem repræſentatur, & quæ cum intellectu concurrit, vt cauſa partialis ad producendum cõceptum, & per quam intellectus ponitur completè in actu primo; & ſub hac ratione dicitur eſſe principium partiale ad intelligendum. Cùm autem ſit accidens reale habet intellectum pro ſubiecto immediato, in quo inhæret, & vbi primùm in intellectu producitur, nõ pendet in ſuo conſeruari à cauſa effectiua creata, ſed à ſolo Deo. Quãdo verò obiectũ tale eſt, vt per ſe

Quid ſit ſpecies intelligibilis.

In quo ſubiecto recipiatur immediate.

ipſum proportionetur in ratione obiecti,& poſsit effectiuè cōcurrere per ſe,&immediatè cũ intellectu,tũc,vt tale obiectũ cognoſcatur,nō eſt neceſſaria ſpecies diſtincta ab eſſentia obiecti. Qua ratione intellectus Bearorũ nō eget ſpecie aliqua intuitiua Dei, per quā ipſum cognoſcat,ſed eſſentia diuina vnita intellectui Beato ſupplet efficientiam ſpeciei.

Quādo nō ſit neceſſaria ſpecies.

11. Dices.Cùm ſpecies ſint naturales imagines ſuorũ obiectorũ, poſitæ in intellectu cauſabunt cognitionem ſuorũ obiectorũ, quæ repræſentant,ac proinde nunquā ceſſabit intellectus á cognitione earum rerum, de quibus habet ſpecies. Reſpondetur tamē ad actualem cognitionem nō ſatis eſſe ſolam ſpeciem, ſed requiri etiam concurſum intellectus,qui nō cōcurrit, niſi priùs excitetur ab aliquo phantaſmate,vel à volũtate, vel ab alia cauſa ſimili. Deinde cùm ſit limitatæ virtutis nō ſemper poterit percipere omnia obiecta,quorum habet ſpecies.

Obiectio.

Solutio.

12. Aduertendũ tamen eſt licèt intellctio oriatur,vel mediatè,vel immediatè ab aliqua ſpecie intelligibili,tamen non omnē intellectionem elici ab ſpecie propria alicuius rei, quæ per ſpeciē cognoſcitur; nā ſæpè ex ſpecie vnius rei deuenimus in cognitionē alterius: v. g. ex ſpecie effectus in cognitionem cauſæ,aut è contra. Similiter per ſpecies accidentium poſſumus arguitiuè cognoſcere ſubſtātias: per ſpecies creaturarũ deuenire in cognitionem Dei.

Non omnis cognitio intellectus oritur a propria ſpecie rei cognitæ.

13. Secundũ dubiũ eſt, quid repræſentent ſpecies intelligibiles, vtrùm repræſentēt res ſingulares, & indiuiduas, an res communes? Item vtrùm in noſtro intellectu dentur ſpecies rerum ſingulariũ, an tantùm rerum communium? Diuiſi ſunt hac in re, ſicut & in alijs pluribus opinionibus,Thomiſtæ,& Scotiſtæ cum ſuis Anteſignanis :nam S.Thom. 2. contra gentes c.100.1.p.q.86.art.1.varijſque in locis aſſerit in noſtro intellectu ſolùm dari ſpecies rerum communiũ, per quas cognoſcimus res cōmunes,& ſingulares adiuncto phātaſmate rei ſingularis. Fundamentum primum eſt, quia formæ recipiũtur in ſubiecto accommodando ſe illi, ſed intellectus,& anima rationalis (vbi recipiuntur ſpecies intelligibiles)ſunt ſubiectum carens materia ; ergo ſpecies intelligibiles,quæ ibi recipiuntur,etiam abſtrahunt à materia,ac proinde nō repræſentāt res immerſas materiæ, & factas ſingulares,ſed cōmunes,quæ abſtrahunt à materia ſingulari. Secundum fundamentum. Intellectus noſter eſt quid medium inter Angelicum, & ſenſitiuas potentias, ſed ſpecies Angelorum repræſentant ſimul res communes, & ſingulares: ſpecies autem ſenſuum repræſentāt indiuidua; ergo ſpecies noſtri intellectus repræſentant ſolùm naturas communes.

Species intelligibiles quid repræſentent.

Opinio ſancti Thomæ.

Primũ fundamentum.

Secundum.

14. Scotus in 4.diſt.45. q. 3. cũ ſuis cōtrariā tenet opinionē, non quòd exiſtimet in noſtro intellectu non dari aliquas ſpecies rerũ communiũ, ſed quia aſſerit cum iſtis dari etiam aliquas ſpecies rerum ſingularium. Et probat primò,quia nulla in hoc cernitur repugnantia.

Scoti opinio proponitur.

Rationibus probatur.

pugnantia. Secundò, quia ſpecies repræſentans ſingulare eſt nobilior, ſed cauſa naturalis non impedita operatur nobiliorem effectum, quem poteſt; ergo intellectus agens ſimul cum phantaſmate producit ſpeciem rei ſingularis, & non communis. Tertiò. Noſter intellectus format proprios conceptus rerum ſingularium; ergo etiam poteſt habere ſpecies rerũ ſingularium, per quas iuuetur ad tales conceptus eliciẽdos. Quartò. Species concurrit cũ potentia determinando illam, ſed ſpecies rei communis non poteſt cõcurrere cum intellectu determinando illum ad cognoſcendum potiùs hoc indiuiduum, quàm aliud, ergo, &c. Neque ad hoc ſufficit phantaſma, quia phantaſma nullam habet efficientiam in conceptum.

Fertur iudiciũ de prædictis ſententijs.

15. Vtraque ſententia eſt probabilis. Hæc tamen vltima probabilior, & melioribus nixa fundamentis: quamuis prima iudicetur magis de mẽte Philoſophi.

Quarum rerũ ſpecies producat intellectus agens.

16. Tertium dubium eſt, quarũ rerũ ſpecies producat intellectus agẽs, & vtrùm producat omnes illas, quæ dantur in intellectu patiente? Reſpondetur non omnes ſpecies, quæ dantur in intellectu patiente produci ab agente. Vnde vno verbo dici poſſet, intellectum agentẽ ſolũ producere in patiente ſpecies rerũ materialiũ, quas phantaſia directẽ, vel etiã arguitiuè cognoſcit. Vnde ſi dicamus phantaſiã cognoſcere ſubſtãtias materiales, ſaltẽ arguitiuè, etiam intellectus agens poterit producere ſpecies talium ſubſtãtiarum, & quantitatũ, qualitatum plurium materialium, relationũ, & ſimilium. Poteſt etiam intellectus agens producere ſpecies naturæ genericæ materialis poſitis impedimentis. Remotis autẽ producunrur iſtæ ſpecies generũ ab intellectu patiente poſtquam habet ſpecies de indiuiduis, vel de ſpeciebus infimis. Imò in opinione Scoti quamuis intellectus agens producat ſpecies omnium indiuiduorum materialium, quæ per phantaſiam cognoſcuntur, tamen intellectus patiens producit omnes ſpecies rerum communium.

Species proprietatũ materialium.

17. Similiter poſtquam intellectus patiens fuerit informatus ſpecie, quæ repræſentet naturam ſpecificam, aut genericam, poterit ſe ſolo producere ſpecies proprietatum, quæ conueniunt talibus naturis. De rebus immaterialibus eſt maius dubium, an dẽtur in intellectu propriæ ſpecies dum ſumus in hac vita. Pro parte affirmante ſtat, quia intellectus format in hac vita propoſitiones circa res ſpirituales; verbi gratia, circa charitatem, circa Angelos, circa Deum, & de illis format veros, ac proprios conceptus; ergo poteſt de illis etiam habere ſpecies impreſſas intelligibiles, quas deducat ex aliquibus effectibus, vel ex alijs rebus ſimilibus. Et hæc pars videtur probabilior, quamuis oppoſita ſuas habeat difficultates, quas non poſſumus nunc expendere.

Species rerum ſpiritualium andentur.

(∴)

DE INTELLECTV PATIENTE, & illius intellectione.

QVÆSTIO IX.

Vtrùm detur in nobis intellectus patiens, & quid ſit?

CAPVT. I.

Datur intellectus patiens.

1. DAri intellectum poſsibilem, per quem intelligamus, nullus Philoſophus negauit: quamuis multi in eo errauerint, quòd conſtituerint illum ſeparatum à materia; ſicut etiam aſſerebant animam non eſſe propriam formam corporis, & illud informantem, ſed tantùm aſsiſtentem, & gubernantem. Alij nõ diſtinguebant ipſum intellectum á ſubſtantia animæ, ſed aſſerebant eſſe partem quamdam ſubſtantialem illius. Tertiò Auerroes libro tertio huius operis.cõmento.3. ſicut ponebat vnã tantùm animam in hominibus, ita etiam ponebat vnum tantùm intellectum, per quem omnes homines intelligerent. Hunc tamen errorem iam ſupra reiecimus; alij verò per ſe apparent abſurdi.

Variæ opiniones circa illum.

Vera ſententia explicat quid ſit intellectus patiens.

2. Vera igitur ſententia eſt dari in nobis intellectum patientẽ, ſeu poſsibilem, qui eſt potentia quædam ſpiritualis immediatè inhærens in ſubſtantia animæ tamquam proprietas conſequens ipſam animam, & illi conceſſa ad intelligendum res omnes. Ratio huius doctrinæ communis eſt, quia ſicut animæ rationali propter gradum ſenſitiui conueniunt potentiæ ſenſitiuæ, ita propter gradum rationalis debent ei cõpetere potentiæ rarionales; ſed intellectus eſt potentia rationalis; ergo eſt proprietas ſpiritualis animæ manans ab ipſa immediatè, & recepta in eádem; ſicut igitur potentiæ ſenſitiuæ non ſunt extra hominem, ita etiam intellectus non poteſt eſſe aliquid ſeparatum ab homine, ſed eſt potentia viralis illius.

Ratio.

In vnoquoque homine vnus tantùm datur intellectus,

3. Dubitatur tamen, vtrùm in vnoquoque homine detur vnus tantùm intellectus, per quẽ intelligat omnia obiecta, quæ intelligit, an tot denrur potentiæ intelligendi, quot dantur obiecta diuerſa intellecta? Reſpondetur in homine dari vnum tantùm ſpecie intellectum, & in vnoquoque homine dari vnum tantùm indiuiduum intellectum, ſicut datur vna anima. Ratio eſt, quia potentiæ diſtinguuntur ſpecie per obiecta materialia prout ſtant ſub aliqua vna ratione ſpecifica, ſed intellectus humanꝰ habet vnam rationem ſpecificam, ſub qua fertur in omnia obiecta, quatenꝰ ſcilicet in hoc cõueniũt, quòd ſint intelligibilia per humanam rationẽ; ergo vnus tantùm

Ratio.

datur

darur ſpecie intellectus in omni bus hominibus.

arijs no-minibus appellatur.

4. Hæc autem eadem potentia varijs nominibus ſolet appellari pro ratione diuerſorum actuum, quos elicit: dicitur enim intellectus ab intelligendo; ratio á diſcurrendo; intellectus practicus, quatenus iudicat de agibilibus; intellectus ſpeculatiuus, prout iudicat de obiectorum veritate ſine ordine ad opus: ratio inferior, quatenus iudicat de rebus materialibus, & ordinis inferioris: ratio ſuperior prout iudicat de rebus ordinis ſuperioris, & de ijs, quæ ad Deum, & ad ſalutem animæ ſpectant. Dicitur etiam ſynderesis, quatenus ex principijs practicis per ſe notis deducit aliquas concluſiones circa rectum, & prauum; ex quo iudicio relinquitur in eodem intellectu habitus, qui dicitur ſynderesis; qui habitus non eſt inſitus à natura, ſed noſtris actibus acquiſitus, ſicut cæteri omnes naturales.

In quo ſenſu ſit potētia paſsiua tantùm, & actiua ſimul, & paſsiua,

5. Petes, vtrùm intellectus patiens ſit potentia purè paſsiua, an etiam actiua? Reſpondetur ſi intellectus comparetur cum ſpeciebus intelligibilibus, quas accipit ab intellectu agente, eſſe potentiam rãtùm paſsiuã, quia reſpectu talium ſpecierum nullam habet efficientiam, ſed tantùm eſt cauſa materialis illarum; ſi autem comparetur cum proprijs actibus, & cum ſpeciebus intelligibilibus, quas ipſe format, tunc eſt potentia ſimul actiua, & paſsiua, quia operatur immanẽter. De ratione autem potentiæ operantis immanenter eſt, vt ſimul recipiat in ſe actionem, & terminum illius, & ad vtrumque concurrat effectiuè.

De actu intellectus patientis in genere.

CAPVT. II.

Intelligere quid ſit, & in quo cõſiſtat.

6. Cum intellectus ſit potentia actiua, & vitalis, debet elicere aliquem actum, ſeu effectum ſimiliter vitalem, & hic dicitur communi nomine *intellectio*, ſeu *formalle intelligere*, quia receptus vitaliter in intellectu reddit illum formaliter, & actualiter intelligentem. Vnde nõ conſiſtit intellectio in ſola receptione ſpeciei, aut alterius cuiuſuis actus (vt aliqui Autores voluere) ſed neceſſariò vltra ſpeciem requiritur proprius concurſus effectiuus potentiæ intelligendi, per quem influat in actum intelligendi, tamquam potentia vitalis, mediante qua operatur anima; & idem proportione ſeruata dicendum eſt de quauis alia potentia cognoſcentie etiam ſenſitiua, externa, vel interna.

Intellectio eſt vera actio.

7. Atque iuxta hæc negari nõ poteſt cognitionem intellectus, & cuiuſuis alterius potẽtiæ cognoſcentis, eſſe veram, ac realem actionem, vt omnes cõcedunt; quãuis aliqui non audeant eam appellare actionem ſimpliciter, ſed tãtùm ſecundum quid, ſeu actionem grammaticalem: quia putãt

 nihil

nihil ibi dari de genere actionis, ſed tantùm de genere qualitatis. Totum ergo dubium eſt, vtrùm per hanc intellectus actionẽ producatur aliquis terminus, qui formalis conceptus dicatur, ſeu verbum mentis? In hoc dubio diuidũtur Auctores. Quidam aſſerũt per intellectionem nullum produci terminum, ſed eam immediatè terminari ad obiectum. Ita Aureolus apud Capreolum; & videtur ſententia Sancti Thomæ primo contra gentes cap. 90. vbi definit actionem immanentem illam, per quam nihil præter ipſam producitur. Alij diſtinguunt inter cognitiones obiecti præſentis, & cognitiones obiecti abſẽtis, vel confusè cogniti; quando enim obiectum eſt ſufficiẽter præſens, & cognitio eſt intuitiua, & clara, dicunt nullum terminum producere; quando obiectum eſt abſens, & notitia eſt abſtractiua, tunc docent eſſe opus, vt producatur terminus, ſeu verbum, aut conceptus. Ita Caietanus in cõmentarijs 1. pat. q. 79. artic. 2. Capreol. in 2. diſt. 1. q. 2. artic. 3. ad 12. Ferrarienſis lib. 2. contra gentes cap. 9. & 82. & alij.

Vtrùm verò producat terminum, dubitant aliqui.

Negant quidam.

Quidam diſtinguũt.

8. Aſſerendũ tamen eſt in quacumque cognitione creata, ſiue ſit intellectio hominis, vel Angeli, ſiue ſit viatoris, aut beati clarè videntis Deum, & in quacumque cognitione ſenſitiua, imò & in omni actu appetitus ſenſitiui, aut voluntatis dari veram, ac realem actionem de prædicamento actionis. Et præter hanc datur verus, ac realis terminus per talem actionem productus, qui in potentijs cognoſcentibus vocatur ſpecies expreſſa. In intellectu autem dicitur conceptus formalis, ſeu verbum mentis, & eſt de genere qualitatis. Hæc eſt communis Patrum ſententia, duce Auguſtino libro 9. de Trinitate cap. 7. Diui Anſelmi, Sancti Thomæ. prima parte quæſtione 27. artic. 1. & cõmunis Recentiorum. Probatur verò ex doctrina Ariſtotelis hoc loco cap 4. text. 4. & in Met. tex. 13. & in categoria actionis, diuidentis actionem in tranſeuntem, & immanentem: ergo actio immanens eſt vera actio de genere actionis. Deinde. Omnis actio habet aliquem terminũ: cùm enim ſit via, & via non poſsit dari ſine termino, inde fit, vt omnis actio dicat eſſentialem ordinem ad terminum: ſed hic terminus in actionibus intellectus eſt conceptus, ſeu verbum: ergo omnis actio intellectus producit verbum.

Quæſtionis reſolutio.

Probatur primò ex Ariſtotele.

9. Deinde probatur ſpecialiter, quia omnis cognitio eſt aſsimilatio quædam inter potentiam cognoſcentem, & obiectum cognitum, ſed per ſolam actionem non fit propria ſimilitudo, ſed ad ſummum fit via ad ſimilitudinem: ergo præter actionem intelligendi neceſſariò dandus eſt formalis cõceptus, qui ſit de genere qualitatis, & per quem intellectus reddatur ſimilis obiecto: nam per ſpeciem ſolùm intelligibilem impreſſam non fit intellectus actualiter, aut vitaliter ſimilis, ſed ad ſummum habitualiter: ergo fiet talis per conceptum, ſeu verbũ. Vnde fit, vt quamuis obiectum ſit maximè præſens intellectui, ſem-

Probatur ſecundò.

per tamen producatur verbũ per intellectionem. nam eſſentia diuina eſt maximè præſens intellectui Paterno, & tamen producit diuinum Verbum, licèt illud non producat ex neceſsitate intelligendi, ſed ex fœcunditate: nos tamen producimus verbum mentis ex neceſsitate intelligendi.

Vtrum per omnem actionem intellectus producatur verbum. Opinio Scoti.

10. Adhuc tamen eſt dubium, vtrùm per omnem actionem intellectus producatur verbum, ſeu conceptus: nam Scotus in 1. ſent. d. 2. q. vlt. & d. 27. q. 1. & in quodlibet. q. 1. diſtinguere videtur duplicem actionem, quarum primã vocat *intelligere*: & hanc aſſerit nõ eſſe termini productiuam. Secundam vocat *dicere*: & per hanc aſſerit produci verbum, ſeu conceptum. Non tamen placet hæc opinio, quia multiplicat actiones ſine vlla neceſsitate. Deinde, quia concedit actionem, quæ nullum habeat terminum. Aliqui verò ex Thomiſtis conſtituunt in quolibet actu intelligẽdi duplicem actionem, & vnum tantùm terminum, nimirum actionem intelligendi, notitiam, & verbum mentale. Quæ tamen doctrina nõ placet, quia vel illa ſecunda notitia eſt verbum, vel non: ſi eſt verbũ, fruſtra ponitur aliud verbum: ſi non eſt verbum, iam coincidunt cum Scoto, & dant vnam actionẽ, quæ nullum habeat terminũ: vel vna actio erit terminus alterius, quod eſt impoſsibile. ergo, &c.

Nõ placet.

Opinio aliquorum Thomiſtarum.

Diſplicet.

Quælibet intellectio in nobis habet ſuum conceptũ.

11. Vera ergo doctrina eſt per quamlibet actionem intelligendi produci in nobis diuerſum conceptum, ſeu verbum, neque in nobis dari aliquam intellectionem, quæ ſuum verbum non producat. Quæ actio prout habet reſpectũ ad verbum, quod producit, dicitur *dictio mentalis*. Prout autem per illam, tamquam per viam, redditur intellectus intelligens quaſi in fieri, dicitur *intellectio*. Vnde conſtat verbum eſſe quid diſtinctum ab actione, & quaſi prolem intellectus, ac formalem ſimilitudinem expreſſam rei, quæ cognoſcitur, declaratiuam, & expreſſiuam illius. Iſte tamen conceptus non perſeuerat poſt intellectionem, ſed pendet in fieri, & conſeruari ab intellectu.

12. Petes tamen, vtrùm noſtrũ formale intelligere conſiſtat in ſola iſta actione, an in ſolo termino illius, vel potiùs in vtroque? Aliqui reſpondent conſiſtere in ſola actione. Plures affirmant cõſiſtere in ſolo verbo, ſeu conceptu vitaliter recepto in potentia intelligendi. Alij denique probabiliùs tenent noſtrum formale intelligere conflari tam ex actione vitali intelligẽdi, quàm ex termino, ſeu conceptu per talem actionem producto, & vitaliter recepto in intellectu.

In quo formaliter conſiſtat noſtrũ intelligere.

13. Quando autem Ariſtoteles 1. Ethicor. alijſque in locis, & Sãctus Thomas prima parte q. 87. articulo tertio dicunt per actionem immanentem nihil produci, ſolùm volunt nihil produci, externum: non tamen negant de termino interno. Secundò, quando Ariſtoteles dixit omnem actionem eſſe coniunctam cũ motu, non loquitur de intellectiuis, ſed de phyſicis actionibus. Diuinum autem intelligere, ſaltẽ no-

Soluuntur obiectiones.

tionale,

tionale, etiam producit verbum; ſicut etiam illa actio, per quam intellectus beatus clarè, & intuitiuè Deum videt: & illa, per quam Angelus ſe ipſum cognoſcit.

De rebus, quas cognoſcit intellectus noſter in hac vita.

CAPVT III.

Obiectum intellectus.

14. Obiectum totale, & adæquatum noſtri intellectus eſt omne intelligibile per humanam rationem. Vnde ab hoc obiecto non excluditur Deus, ſaltē confusè cognitus, neque ſubſtantiæ ſeparatæ, aut accidentia ſupernaturalia, quæ ſaltem diuinitùs poſſunt à noſtro intellectu cognoſci, ac proinde intra illius obiectum continentur; ſi enim eſſent extra obiectum intellectus, nec Deus poſſet efficere, vt ab eodem creato intellectu cognoſcerentur, cū non poſſit efficere, vt potentia aliqua cognoſcitiua feratur extra ſuum obiectum. Vnde etiam de ipſo Deo poteſt intellectus noſter formare proprium conceptum, quamuis nō quidditatiuum pro hoc ſtatu.

Intellectus noſter etiā cognoſcit ſingularia.

15. Quæſtio tamen eſſe ſolet, vtrùm intellectus cognoſcat res ſingulares, & indiuiduas formando proprios earū cōceptus? Cōmunis reſolutio eſt affirmatiua, tam in opinione Scoti in 4. diſt. 45. q. 3. admittentis ſpecies rerū ſingularium, quâm in opinione Sancti Thomæ 2. contra gent. c. 100. 1. p. q. 86. art. 1. admittentis ſolas ſpecies rerum communium in noſtro intellectu pro hoc ſtatu. Ratio eſt, quia in hoc nulla apparet repugnantia, nec ex parte obiecti, nec ex parte potentiæ, nec ex parte vtriuſque; ergo etiam de rebus ſingularibus poſſumus formare proprios conceptus; in opinione Scoti per ſpecies rerū ſingulariū; in opinione Sancti Thomæ per ſpecies rerū communiū, adiuncto etiam phantaſmate rei ſingularis. Ratio.

An intellectus cognoſcat plura per modū plurium

16. Quæritur ſecundò, vtrùm noſter intellectus habeat tantam vim, vt poſſit cognoſcere plura per modum plurium, ſeu formare ſimul, & eodem tempore plures conceptus de diuerſis rebus? Videtur negare Sanctus Thomas 1. p. q. 85. artic. 4. varijſque in locis, & alij Thomiſtæ. Fundamentum eſt, quia plura vt plura non poſſunt repræſentari ſimul, niſi per plures conceptus, ſed noſter intellectus non poteſt ſimul formare plures cōceptus, nec ſimul vti pluribus ſpeciebus intelligibilibus, ſicut nec poteſt eadem quātitas pluribus ſimul figuris figurari; ergo non poteſt noſter intellectus cognoſcere ſimul plura per modum plurium, ſed ad ſummū poterit cognoſcere plura per modum vnius.

Negant Thomiſtæ.

Fundamentum.

Pars affirmans probabilior.

17. Aſſerendum tamen eſt etiā in hac vita poſſe noſtrum intellectum cognoſcere aliqua plura obiecta per modum plurium. Fūdamentum eſt, quia non habet minorem vim intellectus ad intelligendum, quàm habeat oculus ad videndum; ſed oculus videt ſimul plura per plures viſiones: Ratio.

ergo

ergo etiam intellectus cognoſcere poteſt plura obiecta per plures conceptus. Nec dici poteſt oculum videre plura colorata per vnã tantùm viſionem; nam plura colorata mittunt ex ſe diuerſas ſpecies, quæ inſeruiunt ad diuerſas viſiones. Deinde probatur, quia intellectus in eodem inſtanti aſſentitur integro ſyllogiſmo, & format diuerſas propoſitiones diſparatas; ergo cognoſcit plura per modum plurium: ſicut etiam võlũtas fertur in diuerſa obiecta per plures actus.

Soluitur fũdamentum Thomiſtarum.

18. Vnde patet ſolutio rationũ pro opinione Thomiſtarum: nam ſpecies intelligibiles, cùm inter ſe non ſint contrariæ, rectè poſſunt ſimul concurrere ad ſuos actus cum intellectu. Et quamuis diuerſæ ſpecies, & conceptus habeant aliquam ſimilitudinem cũ figuris, quatenus intellectum informant, non tamen ſunt in ipſo eodem modo, quo figuræ in quãtitate, ſed eo, quo multæ imagines in eadem domo; & ideo non ſe mutuò impediunt: alioqui vna tantùm daretur ſpecies intelligibilis in intellectu.

Anima vnita corpori non ſe ipsã intelligit per propriã ſubſtantiã aut ſpeciẽ.

19. Petes, vtrùm anima noſtra dum eſt in hac vita vnita corpori ſe ipſam intelligat per ſuammet ſubſtantiam, tamquam per ſpeciem, vel vtrùm habeat propriam ſui ſpeciem? Reſpondetur animã pro hoc ſtatu non ſe ipſam intelligere per ſuammet ſubſtantiam, neque per aliquam ſpeciem propriam, quam habeat inditam à natura: ſed ſi ſe ipſam intelligit per intellectum, hoc fieri per ſpecies ĩtelligibiles, quas abſtrahit à ſenſuum actibus, & obiectis. Vnde ducitur in cognitionem ſui per ſpecies alienas; cognitis enim obiectis externis, & actibus, quos elicit, reflectitur ſupra ſe ipſam, & confuſè tantùm cognoſcit ſuam entitatem. Similiter cognoſcit ſuos actus, & potentias cognitione quadam confuſa, & reflexa. Quamuis autem ſibi ſit maximè præſens in eſſendo, non tamen eſt ſibi præſens in cognoſcendo, quia omnis eius cognitio aliquo modo pendet à ſenſibus. Atque hinc prouenit, quód non poſſit dignoſcere vtrùm illi actus, quos habet ſint naturales, an ſupernaturales, materiales, an ſpirituales, quia non illos clarè, & diſtinctè cognoſcit quoad proprias entitates, ſed tantùm confuſè, & quoad an ſint, & per alienas ſpecies.

Sed per ſpecies alienas.

Solutio obiectionum.

Vtrùm oporteat intelligentẽ ſemper ſpeculari phantaſmata, & de Ecſtbaſi.

CAPVT IIII.

Quid ſit ſpeculari phantaſmata.

20. INtelligentem ſpeculari phantaſmata nihil aliud eſt, quã dũ intellectus hominis aliquid intelligit commune, vel ſingulare, eiuſdem hominis phãtaſiam eodem tempore cognoſcere, vel illud idẽ ſingulare, quod cognoſcit intellectus, vel aliud ſimile. Qua explicatione ſuppoſita quidam dicunt non oportere ſpeculari phantaſmata ſemper, dum intellectus intelligit. Alij dicunt

Diuerſæ opiniones.

cunt eſſe hoc neceſſarium, quando primò rem aliquam intelligit. Alij aliter opinantur.

Pars aſſirmãs verior pro hoc ſtatu,& in modo ordinario cognoſcendi.

21. Dicendum tamen eſt animam noſtram, dum eſt vnita corpori, & modo ordinario cognoſcit, ſemper ſpeculari phantaſmata. Vnde Ariſtoteles lib.3.de Anima cap.7.text.30.& c.8. text. 39. docuit illum, qui non ſentit aliquid nec addiſcere, nec intelligere; & cum ſpeculatur, opus eſſe phantaſma aliquod ſimul ſpeculari. Probare tamen hanc doctrinam ratione aliqua efficaci non eſt ita facilè. Probat eam Sanctus Thomas 1.p.q.84.artic.8.à poſteriori ex indicijs: nam læſa phantaſia, vel humore aliquo, aut ſomno impedita, ſtatim intellectus non operatur omnino ſi phantaſia nihil operatur: aut cum vſu rationis non operabitur ſi phantaſia ordinatè non operetur; ergo intellectus maximè pendet in ſuo operari á phantaſmatibus; alioqui poſſet intellectus per ſpecies, quas habet reſeruatas, operari ſuas operationes proprias, quamuis phantaſia nihil operetur, quod eſt contra experientiam Secundó probatur, quia quando quis aliquid ſpirituale vult intelligere experitur ſe efformare idolum quoddam corporeum, verbi gratia quando intelligit Angelum efformat ſimul quoddam idolum iuuenis cuiuſdam alari, ergo, &c.

Probatur ex iodicijs.

Vnde proueniat neceſsitas ſpeculandi phantaſmata.

22. Eſt tamen difficultas, vnde proueniat noſtræ animæ, & intellectui pro hoc ſtatu iſta neceſſitas conuertendi ſe ad phantaſmata, & illa ſpeculandi. Scotus in 1.diſt.3.q. 3.& in 4.diſt. 45. q. 2. hoc refert ad pænam peccati originalis. Verùm abſque fundamento; nam etiamſi Adamus nõ peccaſſet, adhuc in eius poſteris daretur hæc phantaſmatum ſpeculatio. Imò etiam ipſe Adamus in ſtatu iuſtitiæ originalis vtebatur hac conuerſione ad phantaſmata, teſte Sancto Thoma 1.p.q. 101.art.1.& in 2.diſt 20.q 2.art.2. quia ſpecies intelligibiles, & ſciẽtiæ primorum parentum erant eiuſdem ſpeciei cum noſtris, & ſolùm per accidens infuſæ; ergo habebãnt eumdem modũ concurrendi ad conceptus, & actus intellectus; quamuis cognitio in eo ſtatu eſſet clarior, ac facilior.

Adamus etiam conuertebatur ad phãtaſmata.

23. Aliam ergo rationem huius conuerſionis ad phantaſmata attulit idem Scotus loco citato, aſſerendo eſſe naturalem ſubordinationem, & ſympathiam potẽtiarum cognoſcentium, ratione cuius vna potentia non poteſt cognoſcere, quin altera cognoſcat ſimul, vel idem obiectum, vel aliud ſimile. Verùm hæc ratio nõ videtur ſatisfacere: nam etiam phantaſia, & ſenſus externi ſubordinantur, & tamen phantaſia poteſt cognoſcere pèr ſpecies quas habet in ſe reſeruatas abſque eo, quòd vllus ſenſus externus operetur; ergo etiam intellectus poterit operari abſque eo, quòd vllus ſenſus externus operetur. Germana igitur ratio eſſe videtur, quia anima rationalis, dum eſt in corpore, eſt propria forma corporis, & dum in illo eſt accõmodat ſe illi, ita vt ei quodammodo obligata, ac ſubiecta ſit. Vnde nõ poteſt exercere operationes ma-

Germana ratio ſecundũ opinionem Scoti.

Secundum noſtram.

teriales

teriales in corpore, verbi gratia ſeſitiuas, aut motiuas. Imò nec ſe ipſam mouere, niſi dependenter à corpore, & illius diſpoſitione. Vnde etiam non poteſt moueri tanta velocitate, quanta vult, nec vigilare dum libet. Pari ergo ratione pendet in modo intelligendi, ita vt non poſsit vllam operationem intellectus exercere, niſi operante phantaſia circa idem obiectum, aut aliud ei ſimile.

[In] ſtatu [g]lorioſo [a]liter ſe res [h]abebit.

24. In ſtatu tamen glorioſo, etiamſi anima ſit vnita corpori, nō erit neceſſaria ſpeculatio phantaſmatum, quia tunc anima in ſuo intelligere non pendebit à corpore, ſed erit domina illius: nam corpus tunc potiùs ſubijcietur animæ, quàm anima corpori. Liberum tamen erit Beato conuerti ad phantaſmata: quamuis enim gratia non euertat naturam, tamen eam euehit ad altiorē gradum, & modum operandi etiam independenter à ſenſibus. Dubiū tamen eſt, quomodo anima Beata exiſtens in corpore Beato poſsit phantaſmata ſpeculari, vel de alio obiecto cogitare extra Deum, cū potiùs videatur tunc futura in perpetuo quodam raptu circa Deum clarè viſum. Reſpondetur tamen id ex eo fieri, quia licèt anima tunc vehementi conatu Deū contempletur, tamen propter virtutem, & lumen gloriæ ſuper additum confortatur, & roboratur, ac proinde non rapitur extra corpus, ita vt non poſsit etiam attendere ad functiones ſenſuum.

[P]oterit tamē beatus, [s]i velit, cō[u]erti ad [p]hantaſ[m]ata.

Quomodo anima beata poſsit aliacogitare præter Deū.

25. Petes, quomodo accidat Ecſthaſis, ſeu raptus animæ in hoc ſtatu, & vtrùm anima tunc ſpeculetur phantaſmata. Reſpondetur ad primum ecſthaſim, ſeu raptum in hoc ſtatu accidere ex vehemēti applicatione, & contemplatione alicuius obiecti, ad quod contemplandum tota vis animæ applicatur, ita vt non remaneat ei efficacia, vt poſsit attendere ad functiones ſenſuum. Vnde in raptu, ſeu ecſthaſi, qua mens tota abſtrahitur, feriantur omnes potentiæ animales in corpore, & magna ex parte etiam potentiæ naturales, vegetandi, & nutriendi ob defectum aduertentiæ, & efficacitatis ex parte animæ, quæ ſimul concurrit cum potentijs, præſertim animalibus, & tunc non poteſt concurrere, niſi remittat de vehementi illa conſideratione.

Vnde accidat Ecſtaſis in nobis pro hoc ſtatu.

Quæ potētiæ in ecſtaſi ferientur.

26. Atque hinc colligitur, quādo anima eſt in ecſthaſi, ſeu raptu omnino perfecto, non ſpeculari phantaſmata, quia phantaſia tūc cum reliquis omnibus ſenſibus feriatur: quamuis aliqui etiam tūc aſſerant phantaſiam operari, ſed admodum remiſsè, & ita vt non impediat intellectum. Accidit verò ecſthaſis, præſertim in Sanctis viris, quando cum maxima vehementia, & per lumen aliquod ſupernaturale á Deo communicatum, contemplantur res diuinas, verbi gratia gloriam Beatorum, Deum ipſum, aut illius attributa, amorem Dei erga homines, & ſimilia. Vtrùm verò poſsit ecſthaſis naturaliter accidere, & circa obiecta aliqua naturalia, videtur dubium pro vtraque parte probabile, quamuis negatiua ſit probabilior, quia ad rapiendam ita animam videtur requiri aliqua vir-

Quibus præſertim viris accidat ecſtaſis.

An ecſtaſis poſsit naturaliter euenire.

tus maior, quàm ſit in obiectis naturalibus. Quamuis negandum non ſit poſſe naturaliter dari ecſthaſim quamdam imperfectam, & inchoatam.

DE APPETITV, PRÆSERTIM RAtionali, & potentia motiua.

QVÆSTIO X.

Quid ſit appetitus, & quotuplex?

CAPVT. I.

Appetitus latè quid ſignificet.

1. Appetitus latè ſumptus ſignificat quãcumque naturalem inclinationem quã habet res aliqua ad aliam. Quæ inclinatio in aliquibus non diſtinguitur á propria entitate rei, quæ dicitur habere talem appetitum: qua ratione materia prima dicitur habere appetitũ, naturalẽ ad formã ſubſtantialẽ. Non agimus tamen hìc de appetitu in hoc tam lato ſignificatu, ſed de appetitu accepto magis preſsè pro potentia quadam reali diſtincta à ſubſtantia, & entitate rerum: quæ potentia dirigitur, & gubernatur per aliquã potentiam cognoſcentem.

Propria acceptio huius loci.

Diuiditur appetitus.

2. Atque in hoc ſenſu diuiditur appetitus ab Ariſtotele libro tertio de Anima, capite decimo, text. decimo ſeptimo, & primo Magnorum moralium capite decimo ſeptimo, in appetitum ſenſitiuum, & rationalem diuiſione adæquata, & optima. Et quidem, quód detur appetitus ſenſitiuus non eſt dubium dari in brutis, quæ propria commoda appetunt, & ita opus fuit, vt ſe poſſent tutari, & conſeruare. De hoc tamen appetitu, qui diuiditur in concupiſcibilem, & iraſcibilem, & eſt nobis communis cũ animantibus, plura dicemus in tractatu Ethicorum.

Appetitus ſenſitiuus datur in brutis, & in hominibus.

3. Quòd autem præter hunc detur in nobis appetitus alius rationalis, conſtat primò quia appetimus res communes, & ſpirituales. Deinde appetimus res propter honeſtatem; & in hoc diſtinguimur á brutis, ſed hæc non poſſunt appeti appetitu ſenſitiuo; ergo appetuntur appetitu rationali. Secundò, quia eodem tempore circa idem obiectum habemus actum amoris, & actum odij, ſed hoc non poteſt ſimul fieri ab eadem potentia, ergo fit per diuerſas. Tertiò, quia appetitus ſenſitiuus fertur in obiectum iucundum, ſeu delectabile tantùm; appetitus verò rationalis fertur in obiectum etiam honeſtum, ergo habent diuerſa obiecta, & conſe-

Datur in nobis alius rationalis.

quenter

quenter ſunt diuerſi ſpecie appetitus.

In quo differăt appetitus ſenſitiuus, & rationalis.

4. Differũt igitur appetitus ſẽſitiuus, & rationalis in multis. Primò, quia ſenſitiuus ſequitur ductũ phãraſiæ, & per illius cognitionẽ regitur. Appetitus rationalis ſequitur cognitionem intellectus, qui diſcernit inter bonum honeſtum, & delectabile, inter malum, & bonum morale, quod non habet phantaſia, & ideo non poteſt dirigere voluntatem. Secundò, quia actus voluntatis maiori ex parte ſunt liberi, actus appetitus ſenſitiui minimè, niſi accedat voluntas. Tertiò, appetitus rationalis eſt ſpiritualis, & immediatè ſubiectatur in anima: ſẽſitiuus autem eſt corporeus, & reſidet in corpore. Quartò, quia voluntas, ſeu appetitus rationalis imperat appetitui ſenſitiuo, quamuis hic illi non obediat ſeruilitèr, ſed tantùm ciuiliter. Duobus autem modis poteſt voluntas imperare appetitui.

Voluntas dupliciter poteſt imperare appetitui.

Primò directè iubendo, vt nõ eliciat, vel non continuet talem actum. Secundò, imperando phantaſiæ, vt cogitet de alio obiecto diuerſo ab eo, in quod actualiter fertur appetitus.

Obiectio, & ſolutio illius.

5. Dices. Homo habet vnam tantùm potentiam motiuam cõmunem cum brutis; ergo etiam habet vnum tantùm appetitum communem cum iiſdem. Reſpondetur negato antecedente: nam anima etiam dum eſt in homine ſuam habet propriam potentiam motiuam ſpiritualem, (licet illa non vtatur) diſtinctam à potentia motiua hominis corporea, ac proinde etiam habet voluntatem, ſeu appetitum rationalem diſtinctum à ſenſitiuo, quo vtitur, ſicut etiam vtitur intellectu, qui dirigit talem appetitum.

Admiratio cujus potẽtiæ actus ſit, & quomodo procedat.

6. De paſsionibus appetitus ſenſitiui alibi dicetur. Solùm poſſet quis dubitare, vtrùm admiratio ſit actus appetitus ſenſitiui, aut appetitus rationalis? Reſpondetur nullius appetitus eſſe actum, ſed eſſe actum intellectus: quando enim admiramur occurrit obiectum inſolitum, & nouum, ſeu quaſi nouum. Deinde datur ignoratio cauſæ talis rei, vel conditionis, aut circumſtantiæ alicuius, aut modi, quo talis res fit. Tertiò datur quædam fixio mentis, ſeu fixa conſideratio de tali re cum ſuſpenſione animi, ſeu iudicij. Et in hac fixione mentis conſiſtit propriè, & formaliter admiratio, ideoque ad intellectum ſpectat. Eſt autem aliquando cauſa delectationis, quatenus habet ſibi coniunctam ſpeciem cognoſcendi cauſam illius effectus, de quo quis miratur.

Riſus quomodo fiat, & cujus potentiæ actus ſit.

7. De riſu potiori iure dicendum eſt eſſe actũ appetitus ſenſitiui, & appetit⁹ rationalis. Fit autẽ riſus in hunc modum. Offert ſe nobis obiectũ aliquod nouũ leue, ac facetũ, vel repentinũ, aut argutum, quo cognito per phantaſiã, & intellectũ, perfunditur animus, & appetitus gaudio, ac lætitia, qua dilatatur cor, ac magna ſanguinis efferueſcentis, & ſpirituum vitalium fit diffuſio, ad quam ſequitur motus muſculorum thoracis, & diaphragmatis, quod viſ-

cera diſiungit à corde, & per hãc agitationem diaphragmatis extenduntur muſculi,qui ſunt in lateribus buccæ, & fit ille geſtus oris,qui *riſus* vocatur, & ideo eſt ſignum lætitiæ intus larentis. Vnde cauſa præcipua efficiens riſum eſt anima, inſtrumentaria eſt appetitus,& potentia motiua. Definitur autem riſus. *Eſt cõcuatior quidam animi ex re iucunda motus ad cõceptum intus gaudium explicandum, quo thoracis, & oris muſculi impetu quodam mouentur.*

Cauſa efficiens ,& inſtrumentaria riſus.

Definitio riſus.

Vtrùm voluntas realiter differat ab intellectu, & ſit nobilior illo?

CAPVT II.

8. DVrandus in 1.diſt.3. q.4.exiſtimat volũtatem,& intellectũ eſſe vnã,& eandem potentiam à parte rei, quia iudicat potentiam,quæ nõ eſt formaliter cognoſcitiua non poſſe eſſe liberam. Hoc tamen fundamentum eſt maximè friuolum,neque enim opus vt potentia,quæ eſt libera ſit formaliter cognoſcitiua, ſed ſatis eſt, quòd habeat in eodẽ ſuppoſito aliam potentiam cognoſcitiuam, per quam dirigatur. Deinde probat,quia actus volendi, & cognoſcendi ſunt ſubordinati; ergo poſſunt oriri ab eadem potentia. Reſpondetur non eſſe ita ſubordinatos, vt non habeãt diuerſa omnino obiecta. & conſequenter diuerſas requirant potentias ſpecie.

Opinio Durãdi non diſtinguit à parte rei volũtatem ab intellectu.

Reijcitur, & eius fundamenta ſoluuntur.

9. Dicendum igitur eſt intellectum,& voluntatem in nobis,& in Angelis eſſe duas potentias realiter diſtinctas.Primò,quia habent diuerſa obiecta. Secundò, quia volũtas imperat, & mouet intellectum; intellectus verò dirigit voluntatem, proponendo ei bonum, aut malum ; ergo inter voluntatem, & intellectum datur mutua dependentia , ſed hæc non poteſt dari eiuſdem ad ſe ipſum; ergo voluntas, & intellectus ſunt potentiæ realiter inter ſe diuerſæ.

Vera ſentẽtia diſtinguit realiter intellectum ,& voluntatẽ

10. Petes quænam ex his duabus potentijs ſit altera nobilior, ac perfectior? Aliqui pugnãt pro voluntate. Simpliciter tamen dicendum eſt intellectum abſolutè eſſe perfectiorẽ, quia elicit nobiliores actus, haberque nobiliores habitus tam naturales,quã ſupernaturales, vt eſt habitus ſapiẽtiæ, ſciẽtiæ,intellectus, & ſimiles; habet etiã lumẽ gloriç,quod eſt qualitas perfectiſsima. Deinde eſt potẽtia ſimpliciter minùs pendens; nã actus voluntatis omnes pẽdẽt aliquo modo ab intellectu, actus verò intellectus non ita pendent à voluntate. Modus etiã operandi intellectus eſt præſtantior,quia potiùs trahit ad ſe res, quàm trahatur; voluntas autem trahitur ad obiecta. Hoc tamen non tollit quominùs in genere moris volũtas habeat aliquos actus, & habitus perfectiores, & meliores, vt ſunt habitus charitatis, gratia, habitus ſpei, & ſimilium virtutum, nos autem loquimur in genere naturæ, & non in genere moris.

Intellectus ſimpliciter eſt nobilior voluntate.

In genere moris habet voluntas aliquos actus,& habitus nobiliores.

In quo genere cauſæ pendeat volũtas ab intellectu.

11. Diximus proximè volũtatẽ in ſuis actib⁹ pẽdere ab intellectu. Dubiũ tamẽ eſt in quo nã genere cauſæ pẽdeat ab illo? Aliqui exiſtimarũt pẽdere ab illo in genere cauſæ efficiẽtis, & determinãtis ipſã volũtatẽ ad ſuos actus, ita vt ex notitia intellectus, & ex volũtate cõfletur vna totalis cauſa, & adæquata volitionis, ſicut ex ſpecie intelligibili, & ex intellectu fit cauſa totalis intellectionis. Meliùs tamen ſentiunt illi, qui dicunt voluntatem eſſe cauſam totalem, & adæquatam in genere potentiæ reſpectu ſuorum actuum naturaliũ, neque egere cognitione intellectus tamquam comprincipio effectiuo, ſed tãquam conditione, ſine qua nõ poteſt elicere ſuũ actum. De quo alibi plura dici ſolẽt.

An ad actũ voluntatis ſufficiat notitia apprehenſiua in intellectu.

12. Sed dubitatur adhuc, vtrùm ad hoc, vt voluntas eliciat ſuum actum, ſufficiat in intellectu notitia tantùm apprehenſiua, an requiratur iudicatiua de bonitate obiecti? Aliqui requirũt omnino notitiam iudicatiuam, alij dicũt ſufficere apprehenſiuã. Nobis videtur ferè ſemper requiri iudicatiuã, aliquãdo tamen ſufficere apprehenſiuã, quæ ſit talis, vt per illam aliquo modo ſufficiẽter certificetur intellectus de bonitate obiecti; nã ad hoc, vt volũtas feratur in obiectũ per amorẽ, hoc tãtùm requirit, vt ei proponatur tãquam bonum. Et ita poſſunt in concordiam reduci diſcrepantes ſententiæ. Reliqua, quæ de volũtate, & eius actibus, & de libertate dici poterant, ſpectant ad nonum librum Metaphyſicæ.

Diuerſæ ſententiæ, ex quibus media eligitur.

De Potentia motiua animalis.

CAPVT III.

Datur potentia motiua, & vbi reſideat præſertim.

13. PRæter potentias hactenus explicatas, datur in animantibus alia, quæ dicitur motiua, mediante qua exercetur motus animalium. Hæc autem præſertim reſidet in muſculis. Sunt autem muſculi in animantibus *partes quædam organicæ, quæ per totum corpus ſunt ſparſæ*, & conſtant ex ligamento quodam ſubduto, ſimul cum neruis, interiectis etiã partibus carnis, & arterijs, & hoc totum coniunctum dicitur muſculus; & ſunt inſtrumenta motricis virtutis in animali, quæ nõ poterit illis vti, niſi ſint aptis qualitatibus diſpoſiti; ex quarũ defectu interdũ mẽbra exareſcunt, & frigent, & non poſſunt moueri.

Muſculus quid ſit.

Quæ potẽtiæ cõcurrãt ad motũ animalis.

14. Ad motum verò animantis vltra hanc potentiã motiuã, per quã anima motum exequitur, cõcurrunt etiam alia, nimirum phãtaſia, vel intellectus dirigendo, & appetitus imperando. In animalibus igitur ab homine diuerſis dirigit motum phantaſia: appetitus autem ſenſitiuus illũ imperat, potentia motiua exequitur. Ratio eſt, quia iſte motus datus eſt animantibus, vt quærant ſibi commoda, & noxia deuitent, ſed hoc præſtari non poteſt, niſi præcedat cognitio de rebus conuenientibus, & noxijs; ergo neceſſe eſt, vt præcedat cognitio phan-

Ratio.

Motus ad quid datus ſit animãtibus.

[illegible]iæ,quæ proponat appetitui, & appetitus imperet, potentia motiua exequatur. Quòd autẽ hæc potentia ſit diſtincta ab alijs. probatur, quia eſt potentia exequens, & non eſt cognoſcitiua: ergo diſtinguitur tam à potentia imperante,quàm á cognoſcente.

Potentia motiua in homine à qua potẽtia dirigatur.

15. Potentia verò motiua ,in homine dirigitur præſertim à phantaſia,& paret appetitui ſenſitiuo,vt patet in motibus ſubitis, & qui fiunt ſine libertate, & in motibus dormientium, qui dormientes obambulant. Aliquando tamen cauſa dirigens motum localem eſt intellectus, qui illum proponit voluntati vt conueniẽtem,verbi gratia ad ſanitatẽ, vel ad animæ ſalutẽ. Et tunc volũtas imperat motum, vel ipſi potẽtiæ motiuæ immediatè, (vt aliqui probabiliter aſſerunt) vel imperat appetitui, vt imperet potentiæ motiuæ; appetitus verò ſenſitiuus in hoc obedit ſeruiliter voluntati; neque ei reſiſtit circa actus elicitos ab eodem appetitu, quos non ſtatim relinquit vbi primùm voluntas imperat.

Quid ſit imperium potentiæ imperantis in imperata.

16. Petet tamen aliquis,vtrùm hoc imperium appetitus,præſertim ſenſitiui,erga potentiam motiuam,& voluntatis erga alias potentias, ſit aliqua præuia actio, quam appetitus exerceat in potentiam imperatam? Reſpondetur non requiri talem actionem præuiam, ſed ſufficere actionem quandam immanentem, per quã ipſe appetitus,aut voluntas efficaciter velit,vt fiat talis motus: qua actione poſita in appetitu, aut voluntate ſtatim potẽtia ſubiecta imperio voluntatis, aut appetitus, propter naturalem ſubordinationem , & ſympathiam potentiarum eiuſdem ſuppoſiti, exequitur ſuum munus, quando obedit ſeruiliter. Alij dicunt ipſum appetitum per ſuam actionem etiam partialiter influere ſimul cum potentia motiua in motum. Sed hoc videtur minùs probabile; nam potentia motiua eſt totale principium,ſeu inſtrumentum effectiuum proximum ſui actus; ergo fruſtra additur aliquis concurſus effectiuus ex parte appetitus,aut potentiæ imperantis: alioqui iam appetitus operaretur tranſeunter,& non immanenter.

Alia ſententia minùs probabilis.

Solutiones obiectionũ

17. Aduertendum tamen eſt illum motum, qui datur in corde, & in arterijs eſſe motum naturalem, & non animalem, ideoque non egere phantaſia tãquam potentia dirigente, neque appetitu vt imperante. Vnde talis motus nec intrinſecè,nec extrinſecè poteſt eſſe liber, ſed eſt omnino naturalis. Vnde etiam potentia exequens hunc motum naturalem cordis non videtur eſſe eadem cum illa, quæ in animantibus exequitur motum localem, ſed alia diuerſa, quæ propriè reſidet in corde. Vis autem localiter mouens in capite videtur habere præcipuam ſedem ; inde enim deducuntur nerui ad totum corpus,qui motui maximé inſeruiunt.

Vis mouens localiter habet in capite præcipuã ſedẽ.

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

TRACTATVS VI.

De Paruis naturalibus.

PROÆMIVM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



INſcribitur hoc opus Parua naturalia, *id eſt*, Parua naturæ opuſcula: *continet enim explicationem quarũdam proprietatum in viuentibus, & animantibus, vt eſt* Mors, Vita, Somnus, Vigilia, Respiratio. *& ſimilia. Et ideo hoc opus eſt veluti ſupplementum quoddã librorũ de Anima. Hæc igitur parua naturalia per varias quæſtiones breuiter explicabimus.* Inſcriptio operis, & locus ordine dignitatis.

Digitized by Google

DE MEMORIA, ET Reminiſcentia.

QVÆSTIO I.

Quid ſit memoria, & quotuplex.

CAPVT. I.

Triplex memoriæ acceptio.

14. PRimum eſt, cur vapores in cerebro addēſentur, ſi cerebrum eſt calidum, & non frigidum? Reſpondetur cerebrū eſſe multò frigidius corde, ſaltē quoad aliquas ſui partes, & ideo ſpiritus, qui è corde, vel ex alijs partibus aſcendunt, poſſe ibi addenſari. Secundum eſt. Si fatigatio ſudorem eijcit, & membra exſiccat, cur tamē fatigati non meliùs dormiunt? Reſpondetur, quia etiamſi corporis fatigatio ſudorem generat, alia tamen ex parte humores concretos, niſi ad modùm frigidi ſint, liquefacit, qui vice alimenti vaporāt. Tertium, cur melancholici parùm dormiant, cùm tamen multum comedant? Reſpondetur, quia ſunt naturæ maximè frigidæ ideo non dormiunt, quia non bona fit vaporatio. Comedunt multum, quia habent naturam torridam, nec exhauſto cibo perfruuntur.

Nimia fatigatio quare ſomnum non conciliet.

Melēcholici cur non dormian

Alia dubi

15. Quartū. Cur illi, qui varijs cibis ſe ingurgitāt difficiliùs dormiunt? Reſpondetur, quia natiuus calor præ cibi copia, & varietate obruitur, ac tardè decoquit. Quintū, cur Æthiopes cū ſint tēperamenti ſicci, tamē multū dormiāt, præſertim verno tempore? Reſpōdetur, quia conſeruant in capite pituitam ob natiui caloris exiguitatē. Pituita verò per æſtatem liquata, ac defluens ſomnum cauſat. Sextum, cur primus ſomnus arctior eſt? Reſpondetur, quia initio decoctionis aſcendunt groſsiores vapores, qui vt paulatim abſumuntur, ita liberiorem ſomnum cauſant. Septimum eſt, cur ij, qui dormiunt, quamuis aliquando diſcuttant etiam circa vniuerſalia, & diſputent, dicantur tamen priuati rationis vſu? Reſpondetur, quia tunc illæ cognitiones ſunt imperfectæ: perfecta verò intelligēdi ratio pendet à ſolutione omniū ſenſuum externorum, & internorū, quia oportet intelligentem ſpeculari phantaſmata.

Primus ſomnus arctior.

Somniātes carent vſu rationis.

16. Octauum dubiū eſt, cur tri-

Triſtitia Somnum conciliat,& cur.

ſtitia nimia ſomnum adimit, & cur ſomnus triſtitiám leuat? Ad primum reſpondetur, cauſam eſſe,quia triſtitia vehemens oritur ex vehementi apprehenſione imaginatiuæ, quæ dum vehementer operatur vápores diſpergit. Somnus autem ideo triſtitiam leuat, quia adimit cogitationem rerum triſtium, & melencholicum aliquem humorem abſumit. Ideo autem ſomni tempore,meliùs fit nutritio,& decoctio, quia calor natiuus ad hoc tantùm tendit ceſſantibus potentijs animalibus á ſuis operationibus. Somnus autem poſt ſubitam, aut nimiam defatigationem infert debilitatem, imò & aliquando deliquium, quia auocat ab externis partibus calorem, & ita mẽbra deſtituuntur ſpiritibus vitalibus. Ratio autem, cur in ſomno ſudemus aliquando eſt,quia tunc calor intus euocatus meliorem facit decoctionem, & excrementitios vapores ad cutem amandat: pori autem calore laxati illos expellunt.

Solutio aliorum dubiorum.

17. Sed cur illi, qui deliquium, vel metum patiuntur, toto corpore madent ſudore? Quia fugiẽte calore in viſcera humor ille, quem tunc retentrix facultas in externis partibus retinebat, ab eadem dimittitur, & facilè per poros exit. Cur ſomnus matutinus eſt iucundior? Quia tunc Sol ſuo acceſſu è corporibus vapores excitat ſoporiferos, ſicut etiã ab alijs corporibus. Vnde fit, vt aër obſcurior appareat paulo ante auroram, quàm in tota reliqua nocte,quia tunc excitati vapores illum obſcurant. Sed quare ſomnus aliquando ægrotis nocet? Reſpondetur, quia in ijs calor, dum ſe interius abdit, humores noxios colligit in præcordia, qui vitæ fontem inficiunt. Tandem aduerte etiamſi omnes animantes ſanguinem non habeant, habere tamen aliquid loco ſanguinis,per quod poſsint fieri vapores ad ſõnum requiſiti.

De Somnijs,quæ dormientibus accidunt.

CAPVT V.

18 Somniũ definitur ab Ariſtotele in lib. de Somnijs cap. 1. & 3. *Viſum quod in ſomno apparet*, ſeu *eſt apparitio exhibita per internum ſenſum in ijs, qui ſomno conſopiti ſunt*. Dicitur *per internum ſenſum*,vt reijciantur cognitiones intellectus, quas dormientes interdum formant, quæ non benè ſomnia vocantur. Vt igitur intelligatur qua ratione fiant ſomnia, aduerte dum adhuc præcluſi ſunt meatus, per quos animales ſpiritus deuehuntur ad externos ſenſus, accidere frequenter, vt illi meatus, per quos ſpiritus communicantur internis ſenſibus, aperiantur, & ſenſus ipſi interni ſoluantur,& appareant imagines, quæ inſeruiunt ſenſibus internis, nempe ſenſui communi, & phantaſiæ: idque aliquando clariùs, aliquando obſcuriùs, pro halituũ multitudine & paucitate, tenuitate,vel craſsitie. Quãdo igitur

Somnium quid.

Quomodo fiat ſomnia.

do igitur ſenſus cõmunis, & phantaſia vtuntur illis imaginibus ita appatentibus, dicitur animal ſomniare.

Similitudo explicans modum, quo fiunt ſomnia.

19. Hoc autem explicat Ariſtoteles loco citato quadam ſimilitudine aquæ, quæ ſi turbida ſit, & moueatur, nullæ in ea apparent rerum imagines; ſi autem ſit clara, & moueatur, apparent quidem imagines, ſed tortuoſæ; ita ſimilitet accidit in dormientibus. Vnde quidam nihil omnino ſomniant; alij habent ſomnia terribilia, & maximè diſparata, vt accidit melancholicis, febricantibus, ebrijs, & furentibus.

Ad quas potentias ſpectent ſomnia.

20. Dubitatur tamen primò, ad quos ſenſus internos ſpectet ſomniorum machina, & fabrica? Multi aſſerunt ſpectare partim ad ſenſum communem, partim ad phantaſiam, ſeu cogitatricem: adduntque fieri ſomnia dum phantaſia vtitur ſpeciebus, quæ illi in ſomno proueniunt à ſenſu communi, & è contra dum ſenſus communis vtitur ſpeciebus, quæ ei proueniunt á theſauro memotiæ. Si autem petas ab his Auctotibus, quæ nam ſomnia ſpectent ad ſenſum communem, & ad phantaſiam? Reſpondent ad ſenſum communem ſpectare ſomnia de rebus, quæ per ſenſus externos percipiuntur, vt cùm quis in ſomno videre exiſtimat hominem diſtricto gladio. Ad phantaſiam verò pertinere alia ſomnia magis abſtracta á ſenſibus, vt ſi quis conſideret hominem vt ſibi inimicum. Aliquando etiam vtraque potentia concurrit ad vnum integrum ſomnium, quod conficitur ex varijs cognitionibus, per quas miſcemus res ſenſatas cum minùs ſenſatis.

Aliquorum ſententia probabilis.

21. Si ſecundò roges quomodo ſpecies ſenſus communis tranſmittantur ad phantaſiã, & à phãtaſia ad ſẽſum cõmunem? Reſpõdent aliqui hoc fieri per quandã tepercuſsionem ſimilem ei, quam videmus fieri ab ſpeculo. Alij dicunt traduci ab vna potentia ad aliam medijs ſpiritibus animalibus, in quibus inſident ſpecies vtriuſque potentiæ Quæ ſententia videtur Ariſtotelis hoc libro, cap. 3. dum aſſerit dormientibus multum ſanguinis dilabi ad ſenſum principem ſimul cum ſpeciebus. Atque hæc eſt Veterum de ſomnijs ſententia, & de eorum fabrica.

Aptior dicendi modus circa fabricationem ſomniorum.

22. Aptiùs tamen dici poteſt non eſſe opus illa ſpecierum repercuſsione à phantaſia ad ſenſum communem, neque á ſenſu communi ad phantaſiam, cúm hæc repercuſsio non fundetur in ratione aliqua philoſophica. Sufficient igitur ad ſomnia illæ eædem ſpecies, quæ in phantaſia aſſeruantur. Vnde ſomnia propriè non fient in ſenſu communi, ſed in phantaſia, quæ vtendo ſpeciebus rerum, quas antea cognouit, efformat ſomnia circa res ſenſatas, & aliquando etiam circa alias non ſenſatas, quas tamen ipſa phantaſia poteſt percipere, & quatum habet ſpecies. Imò phantaſia humana etiam in ſomnis poterit diſcurrere circa ſingularia. Quãuis diſcurſus illi, quos experimur nos facere intet

dormiendũ maiori ex parte fiant ab intellectu. Hoc tamẽ non tollit, quominùs etiam aliqua ſomnia poſsint fieri in ſenſu cõmuni per recurſum ſpecierum, quæ á phantaſia ad ſenſum communẽ recurrere poſſunt medijs ſpiritibus animalibus. Et hoc tantùm voluit Ariſtoteles.

De varijs generibus ſomniorum.

CAPVT VI.

22. Relictis alijs pluribus ſomniorum diuiſionibus, placet ea, qua ſõnia diuiduntur in diuina, dęmoniaca, naturalia, & animalia. Diuina ſomnia ſunt ea, quæ á Deo inſpirantur, vel immediatè, vel Angelorum miniſterio. Talia fuerunt ſomnia Iacob, Ioſeph, Pharaonis, & ſanctiſsimi ſponſi Beatiſsimæ Virginis. Fiunt autẽ iſta ſomnia à Deo in nobis, vel nouas infundendo ſpecies, vel ordinando eas, quæ iam in nobis antea erant; & inſuper communicando lumen aliquod intelligibile, ſi ita opus ſit, vt quis cognoſcat ſomnium eſſe à Deo. Angeli verò cùm neque poſsint nouas ſpecies condere, neque lumen ingerere, ſolùm ordinant ſpecies præiacentes excitando illas miniſterio ſpirituum animalium. Poſſunt etiam mouere aliquẽ é quatuor humoribus, & mediante illo cauſare vtilem aliquem affectum, & cogitationem.

Diuina ſomnia quæ ſint.

Quomodo fiant à Deo, & ab angelis in nobis

23. Somnia dæmoniaca ſunt, quæ à dæmonibus inducuntur: & poſſunt naturaliter induci eo modo, quo ab Angelis bonis inducuntur; quamuis non ex eodem fine: nam Angeli boni intendunt bonum aliquem finem, Dæmones verò intendunt hominũ mẽtes obſcænis cogitationibus, & voluptatis illecebra contaminare, vel etiam ignaros homines vana ſuperſtitione imbuere ſi eos per ſomnia attraxerint, vt ipſis dæmonibus fidem habeant.

ſomnia dæmoniaca qualia.

24. Naturalia ſomnia ſunt ea, quæ ex affectione corporum, & naturali temperamento, & humorum incurſu naſcuntur: nam melancholici ſomniant triſtia. Bilioſi rixas, iurgia, & inimicitias. Sanguinei vident rubentia vt ignes, vſtiones, &c. Pituitoſi ſomniant aquas, portus, natationes, pluuias, & ſimilia. Qui humorum multitudine premuntur videntur ſibi ferre grauiſsima pondera. Qui autem leui, ac tenui ſunt tẽperamento, ſomniant volatus, velociſsimos motus, & alia id generis. Vnde monent Medici eſſe notanda ægrotantium ſomnia ad iudicandos morbos.

Naturalia Somnia quæ?

25. Animalia ſomnia ſunt ea, per quæ cogitamus inter dormiẽdum de ijs rebus, quas per diem tractauimus; quarum ſimulacra, quia ſunt recentia, ideo noctu magis mouent. Hùc etiam ſpectant ſomnia earum rerum, quas odio proſequimur, aut amore, & de quibus frequenter cogitamus. Hinc liberales ſomniant eleemoſynas, mendici petitiones, cantores cantum, Philoſophi concertationes, auari pecuniam, &c.

Animalia ſomnia quæ ſint.

Petes

Somnia diſparata vnde proueniãt.

16. Petes tamen primò, vnde proueniant aliquando ſomnia quædam omnino diſparata, quæ nec pedes, nec caput habeant? Reſpondetur id ex eo prouenire, quia ſpiritus inordinatè,& tumul tuosè in cerebro diuagantur. Secundò,quia anima quaſi in otio ſegniter ſe applicat ad operandũ; & ita modò hanc, modò illam rẽ attingit,& cogitat,non ita curan do ordinem. Non accidit verò hoc inter vigilandum, quia cete. brum tunc egerit per ſenſuum organa fumeos halitus: inter dormiendum verò eſt veluti domus fumo repleta. Petes ſecundò,vnde proueniant in dormientibus graues illæ conflictationes, quas vulgò dicimus *peſadelos*? Reſpondetur prouenire potiſsimùm ex nimia ſatietate, quia tunc multus ſanguis,aut ſpiritus ob defectum concoctionis parùm defæcatus, ac proinde tetricus, & obſcurus in cerebrum euadit, ipſumque degrauat,atque accubatu ſuo terrificam illam mouet imaginem: & quia in ſomnijs parua apparẽt maxima, videtur ſibi dormiens mole aliqua premi, aut ſuffocari, quem laborem,vt vitet, diu luctatur,ſuſpiria,aut gemitus edit, nec ſe poteſt excitare occludente vapore ſenſuum externorum vias.

Nocturnæ cõflictationes vnde.

Parua cur magna appareant dormientibus.

27 Petes tertiò,cur parua videã tur magna dormientibus, verbi gratia pituita deſcendens ad linguam videtur fauus mellis? Reſpondetur rationem eſſe,quia ob tuſus interim ſenſus dum nequit ſenſilium differentias exactè cognoſcere, confert ſe ad id,quod in quouis genere notiſſimũ eſt:qualia ſunt obiecta maiora. Petes quartò, cur potiùs hoc ſomniemus, quàm aliud? Reſpondetur, quia non omnium rerum imagines nobis inter dormiendum excitãtur,ſed aliqua tãtùm; reliquæ verò manent vaporibus cõſopitæ. Deinde, quia non quæuis imago æqualiter potentiam mouet, ſed quædam magis, quædam minùs.

Cur hoc potiùs,quã aliud ſomniemus.

28. Petes quintò, vtrum etiam brutæ animantes ſomnient? Reſpondetur affirmatiuè: ſomniant enim canes,equi,boues,& alia animalia perfecta,quãuis minùs ſom nient. quàm homines. Animalia verò imperfecta,quæ memoria carent,non ſomniãt. De infãtibus etiã eſt dubium,an ſomnient ſtatim á principio? Negat Ariſtotel. lib.4.de hiſt.animal. cap.10. aſſerendo non ſomniare,niſi poſt qu artum annum. Alij affirmant etiam ante hoc tempus ſomniare. quod videtur probabilius. Aliqui verò homines tota vita non ſom niant,quia maxima datur in cerebro exhalationum,& vaporũ copia,& ideo ſpecies omnes per qui ctẽ occultantur.

Bruta etiã ſomniant.

Cur aliqui non ſomniẽt.

De Diuinatione per ſomnium.

CAPVT VII.

Veterum ſententiæ.

29. DE diuinatione per ſõnium multa docuere Gentiles Philoſophi: quamuis enim eorum plures hanc diuinationem omnino fuerint aſpernati; alij tamen aſſerebant omnia ſomnia aliquid

portende-

portendere. Alij è ſomnijs quædam eſſe vera, quædam inania affirmabant. Ariſtoteles verò loco citato, & libro de Diuinatione per ſomnium cap. primo cenſet primò nulla ſōnia immiti à Deo. Secundò dari aliqua ſomnia, quæ ſint aliquarum rerum ſigna: alia, quæ ſint cauſæ. Dicendum tamē primò aliqua ſomnia immitti à Deo hominibus dormientibus, vel per ſe ipſum immediatè, vel miniſterio Angelorum, vt ſupra diximus, & patet ex multis locis ſacræ Scripturæ. Et de ijs ſomnijs dicendum eſt conſtanter, & verè prænuntiare futuros effectus, ſeu euentus: quia futurorum certam notitiam habere eſt proprium ſolius Dei, aut illius, cui ipſe talem notitiam communicauerit. Vnde futurorum ſignificatio, quam dæmones dormientibus inijciunt, certa non eſt, niſi fortè ex Dei iuſſu illa prænuntient, quod tamen rarò accidit: cùm enim Dæmon ſit mendacij pater, ſemper tendit ad deceptionem.

Prima reſolutio.

Futura an per aliqua ſomnia prænuntiētur.

30. Hoc tamē non tollit, quominùs medici ex aliquibus ſomnijs naturalibus ægrotantiū probabiliter poſsint coniecturare aliquos effectus morbi futuros, v. g. vehementem febrim. Vaniſsimū tamen eſt, ac maximè ſuperſtitioſum velle quidpiam ſcire futurum per ſomnia dæmoniaca, cū impium ſit cum humani generis hoſte aliquod habere commerciū, ei que fidem habere. Deinde in vniuerſum loquendo ſatis per ſe ridiculū, & ſtultū eſt ſomnijs, quæ diuina non ſunt, credere circa futuros euentus, cum quibus nullā habent connexionem naturalem; alioqui habeatur etiam fides delirātium, & ebriorum viſionibus, & prædictionibus.

Medici quomodo poſsint per ſomnia aliquid diuinare.

31. Sed petes, cur Deus potiùs per quietem, & ſomnum multa hominibus oſtendat & non potiùs in vigilia? Ratio prima eſt, quia animus tunc magis ab externarum rerum cura liber eſt. Secū da, quia noctis ſilētium maiorem rebus diuinis reuerentiam conſiliat. Et ob has etiam rationes per ſomnia manifeſtat arcana ſua, & non per apertas, ac claras admonitiones. Quæ etiam eſt ratio, cur diuina ſomnia nō admodùm clara, ſed veluti ænygmate contecta appareant, vt ſcilicet ita maior illis adhibeatur reuerentia.

Cur per quietē potiùs Deus aliqua oſtendat.

DE RESPIRATIONE.

QVÆSTIO III.

De cauſis reſpirationis, & inſtrumentis, quæ ad reſpirationem concurrunt.

CAPVT. I.

1. Efficiens principale vt *quod* reſpirationis eſt totum animal: principium autem principale vt *quo* eſt ipſa anima. Cauſa inſtrumentalis

Reſolutio quædam generalis.

ſtrumentalis eſt potentia motiua. Alia inſtrumenta ſunt ea organa, quibus iſta potentia vtitur ad reſpirationem, nimirum pulmones, diaphragma, arteria venoſa, & arteria vocalis. Pulmo igitur *eſt ſubſtantia quædam ſpongioſa & rara, ad imbibendum aerem aptiſſima.* Hæc cingitur intus, & totis retiaculo quodam ex tribus alijs rebus, nẽpe ex vena arterioſa, quæ à dextro cordis ventriculo per omnes partes pulmonis diffunditur, & per hanc cor transmittit pulmoni alimentum. Cingitur etiã arteria venoſa, quæ truncum habet in læuo cordis ſinu, & per omnes pulmonis partes diuiditur. Accedit tertiò aſpera arteria, quæ à faucibus ducta ad pulmones primò in duas partes diuiditur, deinde in plures alias, quæ totũ pulmonem permeant, ineumque aerem attractum inferunt.

Pulmo quid ſit, & eius fabrica.

2. Diaphragma, quod Latinis dicitur *cingulum*, ſeu *ſeptum tranſuerſum*, eſt *muſculus quidam ſimplex, & rotundus, qui cor, & pulmones diuidit à iecore, & liene quaſi paries quidam interiectus.*

Diaphragma quid.

3. Reſpiratio igitur fit in hunc modum. Attrahitur externus aer per arteriam vocalem, ſeu aſperam interuentu diaphragmatis ad pulmones, qui dilatando ſe quaſi folles implentur, & ad cor aerem tranſmittunt, illudque refrigerant. Quia tamen aer ſtatim incaleſcit, contrahunt ſe pulmones, illumque foras eijciunt, & alium attrahunt. Et ita fit reſpiratio, conſtatque attractione aeris, quæ dicitur *inſpiratio*, & eiuſdem eiectione, quæ dicitur *exſpiratio*: per arteriam autem venoſam allicit cor ad ſe aerem.

Quomodo fiat reſpiratio.

4. Dubium tamen eſt, vtrùm pulmones ex ſe habeant motum, vel potiùs moueantur ad motum cordis, aut ad motum diaphragmatis, vel potiùs moueantur ad motum alterius cuiuſque? Certũ eſt hac in re pulmones non moueri ad motum cordis, quia non mouẽtur eodem tenore, quo mouetur cor ſed mouentur tardiùs. Deinde, quia motus pulmonis, ſeu reſpiratio poteſt aliquãdiu inhiberi, non ita tamen motus cordis. Dicendum ſecundò eſt pulmones non ſolùm moueri motu diaphragmatis, & muſculorum pectoris, ſed etiam propria virtute, quia cum ei natura commiſerit munus reſpirandi, opus fuit ei dare etiam medium, quod erat motus proprius, & propria vis moti ua, ſaltem partialis. Pendet tamen etiã iſte motus pulmonum à corde tamquam à fonte totius caloris natiui, & ſpecialiter etiam, quia pulmones à dextro cordis ventriculo ſanguinem participant, qui cùm ſit maximè calidus, non poteſt non excitare potentiam motricem pulmonum. Quia tamen virtus motiua, quæ eſt in pulmonibus, non eſt totalis cauſa motus illorum, ſed præcipua cauſa eſt diaphragma, quod firmius eſt, ac neruoſius, ideo læſo diaphragmate ceſſat motus pulmonis.

Motus pulmonum à quo fiat.

36. Petes, vtrùm iſte motus reſpirationis dicendus ſit voluntarius, an naturalis, vt eſt motus cordis? Reſpondetur hunc motũ eſſe veluti medium, & ex parte eſſe voluntarium, quatenus ſcilicet pro

Qualis ſit motus pulmonum, volũtarius, an naturalis.

voluntate

voluntate noſtra poteſt fieri, nũc tardiùs, nũc celeriùs. Imó & aliquando omnino inhiberi, vt narrat Gallenus lib. 2. de motu muſculorum, & lib. 7. de vſu partium cap. 7. & 9. & in lib. de vſu pul ſuum accidiſſe cuidam, qui inhibira reſpiratione ſibi morrẽ conſciuit. Eſt autem naturalis, quatenus requiritur ad naturalem viuẽtium conſeruationem, & quatenus difficillimum eſt, propter vitæ amorem eum omnino inhibere.

Finis reſpirationis. 6. Cauſa finalis reſpirationis multiplex eſt. Prima eſt cordis refrigeratio, & turela natiui caloris, qui ex defectu aeris refrigerãris ſuffocatur, & extinguitur, ſicut extinguitur ignis occluſus in aliquo vaſe, & coopertus. Vnde intereunt animantes, quibus reſpiratio impeditur, vel quia calidiſſimum tantum aerem in balneis reſpirant. Secunda cauſa eſt ad nutriendos, & fouendos ſpiritus vitales, qui habent ſimilẽ naturã cum aere.

Motus cordis, & reſpirationis qua ratione differant. 7. Petes, quomodo inter ſe differant motus cordis, & motus reſpirationis. Ad cuius dubij ſolutionem aduerte cor per ſuũ motum nunc dilarari, nunc contrahi. Quando dilaratur euocat ſanguinem á vena caua ad ſuũ dextrum ſinum, & recentem aerem iam calefactum, & ſimul fuliginoſa excrementa, partim per arteriã venoſam in pulmones, partim per aliam venam, quæ aorta dicitur, expellit. Similem motum

Arteriarum motus. ſubeunt arteriæ ad ſimiles fines; nam quando eleuanrur per exrerna orificia trahunr ad ſe aerem, per interna trahunt á corde ſpiritus, & ſanguinem. Quádo comprimuntur expellunt aerem calefactum, & aliquos excrementirios halirus. Mouenrur autem arteriæ ad morum cordis, quia ab ipſo habent ſuum principium, & radicem, quamuis etiam habeanr peculiarem potentiam ſe mouẽdi, dependenter tamen à corde.

8. Morus igitur cordis, & arteriarum conuenit cum motu reſpirationis. Primó, quia vrerque eſt datus á natura ad conſeruarionẽ animantis, & gratia temperandi, conſeruandique calorem natiuũ. Secundò, quia vterque motus, in hominib⁹ præſertim, variatur iuxta æratum variationem: nam in pueris eſt frequẽtior motus cordis, & arteriarum in ſenibus verò rarior, & vniuerſim omnis mutatio ad frigus, vel ad calorem pulſum, ac reſpirationem mutat. Differunt autem iſti morus, quia reſpiratio iuuat præſertim ad temperiem cordis: motus verò arteriarum, & cordis refrigerat totũ corpus. Vnde pulſus præcipuè obſeruit ad deferendum ſpiritũ, & calorem: reſpiratio autem ad refrigerandum, & purgandum cor. Differunt ſecundò, quia morus cordis, & pulſus eſt frequentior, quàm reſpirario, quia vna reſpiratio ſufficit multis cordis attractionibus. Nec ſine tãta copia aeris poſſent animalia vocem mittere. Vnde quando defatigatio eſt maxima impeditur vox.

Prædictorũ motuum conueniencia.

Diſconuenientia.

(∴)

Quibus

Quibus animantibus conueniat Reſpiratio.

CAPVT II.

Nō omnibus conuenit.

8. SEntentia Ariſtotelis lib. de Reſpirat. cap. 1. & lib. 3. de partib. anim. cap. 6. eſt reſpirationem non omnibus animantibus conuenire, ſed ijs tantùm, quæ vero ſanguine præditæ ſunt, & pulmonem habent. Verùm ex his, quædam habent pulmonem pene exanguem, & nimis fungoſum, vt ranæ fluuiatiles, mures, teſtudines, delphini, crocodili, balenæ, aliaque ſimilia, quæ amphibia dicuntur; & ideo minùs frequenti reſpiratione egent; quia cum ſint frigidiora, vbi primùm eorum pulmo aërem imbibit, diu illū retinet, ac proinde poteſt animal diu viuere ſine noua reſpiratione. Si tamen diutius ſub aqua teneātur in retibus, moriuntur.

Qui piſces non reſpirent.

9. Reliqui verò piſces, qui ſemper degunt ſub aquis, non reſpirant; alioqui iam intra aquas daretur aër. Item ſi os aperirent ad attrahendum aerem priùs multum aquæ biberent. Tertiò, quia piſces non habent arteriam vocalem, nec pulmones, ſed eorum ventriculus ori proximè adhæret. Quartò, quia alioqui poſſent etiam homines, & alia animantia in aquis reſpirare. Quia tamen piſces ſuam refrigerationem requirunt, ad illam inſeruit aqua, quam ore, & branchijs excipiunt. Vnde quando iam præ ſenectute mouere branchias non poſſunt, moriuntur, vt teſtatur Ariſtoteles.

10. Non defuere tamen, qui etiam piſcibus ſuam tribuebāt reſpirationem, quod probant varijs argumentis, propter quæ non eſt recedendum à doctrina Ariſtot. cap. 1. huius libri. Quamuis autem piſces dormiant, hinc non ſumitur bonum argumentum: neque enim ſomnus de ſe requirit reſpirationem, ſed ſine illa poteſt dari. Ideo autem piſces in vaſe incluſi operto orificio poſt aliquod tempus moriuntur, quia aqua ſine appulſu externi aeris caleſit, aut putreſit, & non manet apta ad reſpirationem.

Aliorum ſententia reijcitur.

Solutio obiectionū

11. Petes quæ ſit cauſa, cur aliqui homines ſpiritum diutius ſub aqua contineant, quàm alij? Reſpondetur illos, qui habēt ampliores pulmones, ac magis fiſtuloſos diutius ſub aqua detineri, quàm qui minores habent pulmones, quia minùs aeris colligunt. Petes ſecundò, cur poſt prandium, & ſaturatione difficiliùs, ſed frequētiùs reſpiramus? Quia tunc propter ventriculi dilatationem arctior patet aditus aeri per thoracē, & ideo reſpirationis paruitatem aſſiduitate compenſamus.

Dubij ſolutio.

DE

DE IVVENTVTE, ET ſenectute.

QVÆSTIO IIII.

De Ætatum varietate.

CAPVT. I.

Varietas ætatũ vnde ſumatur.

1\. Varietas,& diſcretio ætatum ſumitur per ordinem ad mutationem aliquam inſignẽ calidi,& humidi, quæ fiat in animante. Et iuxta hoc principium, cum triplex mutatio notabilis in calido,& humido accidat, triplex etiam ætas ſolet aſsignari. *Triplex ætas.* Prima eſt pueritia, in qua calidum, & humidum eſt maximè copioſum. Secunda eſt iuuentus, in qua vtrũque eſt temperatum. Tertia eſt ſenectus, in qua tam calidum, quã humidum eſt iam diminutũ. Vnde reſpectu ſuperiorum ætatum ſenectus cenſetur frigida,& ſicca.

Qualibet diuiditur in alias.

2\. Vna quæque ex his ætatib⁹ diuiditur in alias minutiores: nã pueritia, quæ vſque ad vigeſimũ quintum annum comprehendit, diuiditur in infantiam, pueritiam, pubertatem,& adoleſcẽtiam. *Infantia* In fantia durat vſque ad tertium, vel quartum annum. *Pueritia.* Hinc pueritia ad decimũ. *Pubertas.* Hinc pubertas ad decimum octauum. *Adoleſcentia.* Adoleſcentia vſque ad vigeſimum quintum. *Iuuentus* Iuuentus diſtribuitur in iuuentutẽ ſtrictè ſumptam, quę durat à vigeſimoquinto anno vſque ad trigeſimum quintum, aut quadrageſimum, & in virilem ætatem, quæ vſque ad quinquageſimum annũ excurrit. *Virilis ætas* Sequitur poſtea ſenectus ſtrictè ſumpta à quinquageſimo vſque ad ſexageſimum quintum. *Senectus* Vltimò aduenit ætas decrepita, quæ vitam claudit. *Ætas decrepita.*

3\. Atque iſti ſunt ordinarij harum ætatum limites. Aliquando tamen pro temperamentorũ varietate, cauſaſque extrinſecùs influentes poterunt coarctari, vel extendi. Non ſeruat tamen mors hæc ætatumdiſcrimina,& multos ante ſenium, plures ante floridã ætatem, non paucos ab vbere matrum aufert, & funere mergit acerbo.

Aſtrologorum commentum.

4\. His ætatibus ſingulis putant Aſtrologi præeſſe ſingulos planetas: nempe infantiæ Lunam: pueritiæ Mercurium: adoleſcentiæ Venerem: iuuentuti Solem: virili ætati Martem: ſenili Iouem: decrepitæ Saturnum, idque ob peculiares influentias. Alij dicunt pueritiam eſſe ſimilem verno tẽpori, iuuentutem æſtati, virilem ætatem autumno: ſenectutẽ hyemi gelidæ,& moleſtæ. Hæc tamen Aſtrologorum dicta non multum habent firmitatis.

(ʒ)

Soluuntur aliqua dubia circa ætates.

CAPVT II.

5. PRimum eſt, cur infantes, qui ſeptimo menſe naſcuntur, viuant; non ita illi, qui octauo? Aliqui referunt hoc ad numerum ſeptenarium, qui cum ſit criticus in partu videtur ſalutaris. Alij dicunt mẽſes, quibus fætus moratur in vtero, reſpondere ordini planetarum, ita vt primus mẽſis reſpondeat Saturno, & ſic deſcẽdendo vſque ad Lunã. Tũc rurſum octauum menſem reſpõdere Saturno; & ideo fætus octimeſtres non eſſe virales. Hæc tamen medicis relinquamus.

Septimeſtres partus cur viuaces.

6. Secundum dubium, cur infantes habeãt operationes animales valde debiles, cũ tamen benè nutriãtur, & creſcãt? Reſpõdetur cauſam eſſe, quia operationes animales egẽt ſpiritibus ſenſitiuis, & animalibus, qui in cerebro perficiuntur; pueri autẽ habẽt cerebrũ maximè humidũ, & non benè diſpoſitũ ad fabricãdos ſpiritus animales. Deinde, quia iſtæ operationes animales magna ex parte adminiſtrãtur medijs neruis, qui in ea ætate adhuc nõ ſunt ſolidati, & roborati propter nimiã humiditatẽ. Reliquæ verò operationes naturales ſolũ pẽdent á calore natiuo, qui in pueris eſt maior.

Hebetudo ſenſuum internorũ in pueris vnde.

7. Tertiũ dubiũ. Quare pueri in prima ætate prudẽtes, vel min⁹ prudẽtes poſtea euadũt, vel min⁹ virales? Reſpõdetur id ex eo eſſe, quia prȩmatura prudẽtia in pueris oritur ex defectu humiditatis in cerebro, ac proinde eſſe ſignum exigui humidi radicalis, & maximi caloris, qui citò humidum depaſcet, & ſequetur mors. Si autem iſta ſiccitas inrẽpeſtiua ſolũ fuerit in capite, progreſſu temporis fiet maior, & ita diſſoluet tẽperamentũ requiſitũ ad rectè iudicandum.

Prudentia præcox in pueris cur ſignum imprudentiæ.

Quartũ dubiũ, vtrũ primi parentes potuerint eſu ligni vitalis perpetuã retinere iuuentutẽ? Reſpõdetur probabiliùs affirmando cũ D. Aug. lib. 13. de ciuit. Dei c. 20. & 23. & D. Chryſoſt. homil. 18. in Geneſim, & alijs: ita enim indicãt illa verba Dei. *Ne fortè mittat manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum.* Quidquid in contrariũ opinetur Scotus in 2. diſt. 19. q. 1. nã fructus illius ligni haberet talẽ qualitatẽ, ſiue naturalẽ, ſiue ſupernaturalẽ, vt poſſet humidũ naturale plenè reficere, & augere, conſeruareq́; potentiam nutriendi, ac reliquas in ſuo conuenienti ſtatu.

Primi parẽtes eſu ligni vitæ poſſẽt iuuentutẽ conſeruare.

8. Quintũ dubiũ eſt, quod tẽperamẽtũ ad ſenectutẽ ſerius ducat? Reſpondetur eſſe ſanguineũ, quia abundat calido, & humido. Sextũ. Cur ſenes timidi ſint, curui, & tremuli. Reſpondetur, quia ſũt frigidi, & calore natiuo diſtituti? Cur ſuſpicioſi, & increduli? Quia lõgo rerũ vſu didicerũt quantum fraudis inſit hominũ dictis, & factis: & ideo neque amant, neque oderunt nimiũ. Sed cur illiberales? Quia vitæ cupidi, & ideo vitæ neceſſaria ægrè dimitũt. Secũdò, quia compertum habent quàm

Qui tardiùs ſeneſcant.

Senes cur tremuli ſuſpicioſi &.

difficilis ſit rerum acquiſitio. Duo præſertim debet ſenectus ſeruare, nimirum cor, & linguam.

De alijs, quæ ad ætates ſpectant, quales ſunt dentes, & capilli.

CAPVT III.

9. Dentium materia eſt eadē quæ oſsiū, ac proinde ctalsiot, & aridior, quā materia neruorū. Habent tamen dentes hoc ſpeciale, quòd tota vita creſcant, ſicut tota vita minuuntur propter munus, quod habent; alioqui citò conſumererentur mutuo attritu. Incipiunt autē dentes emergere è mandibulis poſt ſeptem menſes. Poſt ſeptimum annū, qui initio emerſerant, cadunt, & renaſcuntur alij firmiores, quia in oſſe quodam adhuc naſcēte oriuntur: maxillares tamen ordinariè non permutantur. Numerus dentium in hominibus nō excedit triginta duos. Primores dicuntur *Inciſorij*, & vtrimque ſunt quatuor. Poſtea ſequūtur *Canini*, vt infringant illa, quæ primores non poſſunt infringere. Deinde maxillares, vtrimque quaterni, vt poſsint terere ea, quæ à ptimoribus, & caninis ſunt inciſa.

Dentium materia.

Semper accreſcūt.

Eorū ortus.

Et numerus.

10. Dati ſunt præcipuè propter cibum. Deinde etiā ad vocē maximè inſeruiunt: & multis belluis ad pugnam dati ſunt. Quæ etiam eſt ratio, cur leones, canes, lupi, & ſimiles animantes caninos dentes habeant plures, in homine verò ſunt pauciores, vt intelligat ſe fore animal manſuetum. Ideo autem in extrema ætate fiunt rariores dētes, quia ſubſidēte carne defectu caloris, & humidi apparēt dētes iuxta radicem, ex qua exeunt rariores. Labuntur autē in ſenectute, vel ob defectum humoris, ſicut arborum folia, vel ob nimium humorem excrementitium. Sentiunt autem dentes plùs frigoris, & caloris vim, quia tenues habent meatus, & exiguam medullam, quæ facilè frigeſcit, aut incaleſcit. Ideo etiam cornigerum pecus primoribus dentibus caret, præſertim è ſuperiore parte, quia materia dentium in cornua abijt. Petes, cur Æthiopum dentes ſint maximè candidi: Reſpondetur ita nobis apparere; quia ſunt iuxta nigrorem; vel quia in mandibulis habent maximum calorem, qui dentium humorem excoquit, & eſt in cauſa illius cādoris.

Dentium finis.

In ſenectute cur rariores, & cadētes.

Æthiopū dentes cur cādidiores.

11. De capillorum materia dicendum eſt eam eſſe fuliginoſum quoddam, ac terreum excremētum, quod in pilos, vnges, & cornua concreſcunt. Gignuntur autem capilli quando iſta terrea, & ſicca exhalatio ad cutis ſpiramēta accedens, neque potēs tota ſimul foras prodire prodit paulatim, & fit filum illum, quod vocamus capillum. Monet verò Ariſtoteles libro 2. de part. animal. cap. 4. capillos ſemper augeri, & magis in ægrotis, & ſenibus, quia maior copia excremēti in illis manet. Docet præterea Philoſoph⁹ humanū caput multo capillo abundare, tū propter materiam excremētitiam,

Capillorū materia.

Eorū generatio, & incremētū

tiam, quæ per ſuperiorem hominis partem auaporat, tum etiam, quia ita fuit opus ad tuendum, & operiendum cerebrum. Creſcunt etiã capilli hominibus in mento, & genis, tanquam ætatis ornamentum, ac decus. Deeſt autem barba in aliquibus, vel ex defectu recrementorũ, vel ex nimia ſiccitate, vel quia cutis eſt admodum dura, vel quia pori nimiùm laxi, & tota exhalatio confeſtim euolat, nec in pilos addenſatur.

Barba.

Cur in aliquibus deſit.

12. Colorantur autem capilli varijs colorib⁹, & varijs de cauſis, præſertim pro ratione materiæ: nam quando exhalatio propter nimium calorem, vel nimiũ humorem eſt deuſta, ac fuliginoſa, capillus euadit niger. Quando autem minùs torretur, euadit flauus: vel quando oritur ex recrementis bilioſis. Fit veró ruſus ex pituitoſa, & bilioſa fæce; candidus autem ex pituitoſa. Ille tamẽ cãdor capillorum, qui dicitur *canities* fit ex abundantia humoris aduentitij, & ex defectu caloris, qui iam non poteſt illa recremenra decoquere. Vnde canities dicitur *putredo capillorum*.

Capillorum colores.

Canities unde proveniat.

13. Variantur etiam capilli pro varietate regionum, & ætatum, cum quibus variatur humidum, & calidũ. Vnde, qui ſiccam, & calidam habitant plagam, ſiccos habent capillos, & criſpos; qui frigidã, habẽt protéſam capillaturã flauã, & ruſam. Qui autem regiones habitant temperatas, robuſtos habent capillos modicè nigros.

Variantur pro regionum varietate.

14. Sed petes, cur capilli intorti naſcantur? Reſpondetur hoc prouenire primò ex qualitate materiæ, quæ ſi fungoſa eſt, & nimio calore torrida, criſpatur. Iuuat etiã ad hoc anguſtia ſpiramẽtorũ, per quæ talis materia egreditur. Tertió iuuat multũ ſiccitas, & ideo in Æthiope apparẽt capilli intorti.

Cur intorti naſcantur.

15. Petes ſecundò, vnde in hominibus oriatur caluitium ſeneſcente iã ætate? Reſpondetur hoc prouenire hominib⁹ ex inopia calidi humoris, quo deficiente areſcunt omnino capillorum radices, & diſſoluta compactione, quam inter ſe ſeruabãt, calor, & humor ſenſim defluũt. Atque ex hac eadem cauſa oritur in arboribus, & in auibus foliorum, & pennarum occaſus. Caluéſcunr autem homines præſertim ex anteriori parte capitis, quia in eã cerebrũ prominet, quod ſuo frigore calidũ illũ humorẽ pellit. Addi etiã poteſt in aliquibus hominibus, præſertim quando iuuenes calueſcunt, fieri caluitium ex eo, quòd propter nimiũ calorem laxanrur capitis ſpiramẽta, ita vt capillis detur locus decidendi.

Caluitium vnde oriatur.

16. Dubitabis tamen primò, cur pueri initio ætatis glabri ſint? Reſpondetur, cum in ea ætate ſint calidiſsimi, & maximè humidi, nullũ adhuc in cute habẽt meatũ, nec fuliginoſum excremẽtũ. Dubitabis ſecundò, cur calidæ aquæ capillum reddant candidum, frigidæ nigrum? Reſpondetur, quia calida plus aeris in ſe continet; aer verò iuuat maximè ad candorem, vt patet in ſpuma. Dubitabis tertiò, cur canities incipiat in nobis à tẽporibus? Reſpõdetur, quia ea loca ſunt magis humida. Quartò. Cur capilli detecti ſeriùs caneſ-

Aliquorum dubiorum ſolutiones.

cunt? Quia canities eſt putredo quædã: flatus autẽ putredinẽ prohibet. Vltimò, quo modo fieri poſſit, vt homo iuuenis vna tantùm nocte incanuerit prę metu, vt narrat Scaliger? Reſpondetur, quia calor præ metu intrò adactus reliquit humorẽ, qui per poros exiẽs candorẽ exhibuit ſimilẽ illi, quem videmus in radicibus capillorũ.

DE VITA, ET Morte.

QVÆSTIO V.

Quid ſit Vita, & quid Mors?

CAPVT. I.

Vitæ definitio.

1. Vita definitur ab Ariſtotele in lib. de Reſpiratione. *Permanſio animæ ſaltem vegetatricis cum calore.* In qua definitione explicatur ſola vita ſubſtãtiarum corporearum. Aduertendum tamen eſt vitam accipi tripliciter. Primò, pro ipſa anima, quæ eſt origo vitalium actionum, & dicitur *vita eſſentialis*. Secundò accipitur vita, pro exiſtentia animæ in corpore. Tertiò, pro actionibus ipſis vitalibus, quæ exercentur ab anima, dum in corpore perſeuerat. Et hæc vita dicitur *vita accidentalis*. Quando ergo vita definitur *permanſio animæ in corpore*; non definitur vita primo modo, ſed ſecundo, vel tertio. Secundo modo definitur in ſenſu formali. Tertio in ſenſu cauſali, quatenus ſcilicet ex permanſione animæ in corpore oriuntur vitales actiones.

Tripliciter accipitur.

Explicatur definitio.

2. Dicitur autem *permanſio animæ cum calore*, quia hæc eſt præcipua è quatuor qualitatibus, quæ requiruntur, vt anima perſeueret in corpore; & quia calor eſt præcipuus adminiſter naturalium fũctionum. Quia verò humidum radicale eſt pabulum caloris, ideo vita dicitur præſertim conſiſtere in calido, & humido, quod nõ intelligitur de quouis calore, aut humido, ſed de natiuo, & cuiuis parti viuentis proportionato.

Frigus quo modo concurrat ad vitam animalis.

3. Frigus verò etiam concurrere dicitur ad actiones vitales, quia actionem caloris modificat, & attemperat. Secundò, quia famem mouet in animantibus. Vtrùm verò frigus habeat in viuẽte proprias actiones eſt magis dubium? In quo aliqui affirmant, alij negant. Et hoc vltimum eſt probabiliꝰ, quia nulla eſt vitalis actio, cui frigꝰ, præſertim maximè intẽſum, non aduerſetur. Vnde mẽbra reddit ſtupida, & paralyſim inducit, ſenſum, & motum adimit. Solùm ergo frigus moderatũ ex accidente

dente dicitur concurrere ad vitales actiones, quatenus temperat calorem. Vnde ſi moderatus calor abſque frigoris tẽperie dari poſſet nullũ eſſet neceſſariũ frig[9].

Mors quid.

4. Mors igitur è contrario definitur. *Diſceſſus animæ à corpore ob defectum innati caloris.* Ad mortẽ ergo ſatis eſt, quòd anima deſinat corpus informare, non tamen opus eſt, vt à corpore diſtet. Definitur etiam mors ab aliquibus. *Extinctio caloris natiui.* Interdum etiam *Frigiditas cordis ex humidi inopia.*

Cauſæ mortis.

Vnde mortis cauſa præcipua eſt exceſſus frigoris, & ſiccitatis, vel etiam humiditas abundans, quæ calorem ſuffocat, vel etiam nimia vis caloris extranei, quæ humidum natiuum, & ſimiliter natiuum calorem á ſubſtantia diſsipat.

Mors aut eſt violẽta, aut naturalis.

5. Diuiditur mors in violentam, & naturalem. Violenta eſt, quæ á contrario fit: naturalis, quæ ex natiui caloris naturali extinctione proficiſcitur, quatenus ſcilicet calor natiuus, nullo contrario extrinſecùs ingruẽte, propter defectum pabuli extinguitur; ſicut enim lucerna duobus modis poteſt extingui; vel quia ſuperſtite adhuc oleo aliquis ab extrinſeco inſufflauit, vel quia oleum paulatim conſumptum eſt, ita vita hominis ſimiliter poteſt deſinere, quia hoſtis aliquis ab extrinſeco violentiam fecit natiuo calori. Et hæc mors dicitur violenta: vel quia nullo violentiam inferente calor natiuus humidum abſumpſit, & præ defectu pabuli eſt extinctus. Et hæc mors dicitur naturalis. In plantis verò vocatur ariditas.

Mors dicitur etiam corruptio.

6. Quia tamen corruptio à contrario fit, etiam hæc mors, quæ alioqui dicitur naturalis, eſt quædam corruptio á contrario magna, & aperta vi oppugnante.

De Corde, quod eſt principium vitæ.

CAPVT II.

7. CVm animantis vita in calido, & humido præſertim cõſiſtat, prouidit natura vt tam calidum, quàm humidum continuò reſarciatur per cõuerſionem alimenti in ſubſtantiam aliti. Deinde, vt calor reſarciretur, oportuit in animali eſſe locum quemdam veluti focum; qui locus eſt cor, & ideo dicitur vitæ fons: habet enim cor inſitum à natura calorem præ cæteris partibus corporis, & hui[9] caloris opera vitales decoquit ſpiritus, quorum ſubſidio reſarcitur natiuus calor in omnibus corporis partibus ad quas defertur mediantibus his ſpiritibus vitalibus. Imò etiam hepar maximè iuuatur ad conficiendum ſanguinem per viciniã, & auxilium ſibi à corde prouenienς. Quia igitur in corde conficiuntur iſti ſpiritus, per quos fouetur, & augetur natiuus calor, & ab illis pendent maximè vitales functiones, ideo cor appellari ſolet *fons vitæ*. Et ideo etiam læſo corde perit animal.

Cor eſt veluti focus in domo.

Cur dicatur fons vitæ.

8. De ſitu cordis in corpore do-

cet Ariſtoteles lib.3 de par.anim. cap.4. & 1.de hiſt. animal. c. 17. in cæteris animantibus reſidere in medio pectore: in homine autem etiam in pectore reſidere, vergere tamen paulululum ad ſiniſtrum latus: quod eſt magis frigidum, & ideo eget cordis vicinia. Dextrum verò latus habet iecur maximè etiam calidum, & ſimul hepar, ideoque non eget cordis vicinia, ne pars illa immodico calore vratur. Alij tamen dicunt conſiſtere cor in medio thoracis ad æquilibrium, & ita conſtare experimento artis Anatomicæ. Oportuit verò partem dextram animalis eſſe calidiorem, quia ab eo incipit motus: pars verò ſiniſtra inſeruit quaſi ad fulcimẽtum illius cogitationis. De cordis figura non eſt cur differamus, cum ſæpius eam videamus. Habet autem cor triplicem ſinum, maximum in dextro latere, minimum in ſiniſtro, tertius eſt mediocris inter dextrum, & ſiniſtrum, idque præſertim in magnis animalibus, teſte Plinio: nam in hominibus ſolùm reperiuntur duo tantùm ſinus cordis.

Situs cordis.

Figura cordis, & ſinus.

9. Petes, cur ea, quæ grandius habẽt cor, cæteris paribus, minùs animoſæ ſint, vt lepores, cerui, aſini, & ſimilia? Quia exigua copia caloris, qui animoſitatis auctor eſt, in magno conceptaculo euaneſcit, fitque ſanguis frigidior. Illi verò ſunt maximè animoſi homines, qui cor piloſum habent, quia hoc eſt indicium maximi caloris. Petes ſecundò, cur teſtudines etiam ablato corde viuãt? Reſpondetur, quia cum ſint animalia imperfecta nõ habẽt principium vitæ vni tantùm addictũ loco. Cur ſpiritus animales in corde non perficiuntur? Quia ſpiritus animales non ſunt ita calidi, ſed magis temperati, quàm illi, qui fiunt in corde, & ideo mittuntur ad cerebrum, vt ibi temperentur per naturale frigus cerebri.

Quæ magnum habẽt cor ſunt minùs animoſa.

Solutiones plurium dubiorum.

De perturbationibus animi, quæ oriuntur à corde.

CAPVT III.

10 ANimi perturbationes ſunt, *Ira, Timor, Gaudium, Amor, Odium*, & ſimiles. Et in vnaquaque ex his poteſt conſiderari, vel materiale, vel formale ipſius, v.g. formale iræ eſt appetitio vindictæ: materiale verò eſt illa cõmotio, & alteratio, quæ talem appetitionem comitatur: nam in irato homine incaleſcit, ac feruet ſanguis circa cor. Poteſt ergo quæri, vtrùm iſtæ perturbationes animi materialiter ſpectatæ poſſint corpus immutare, & à naturali ſtatu dimouere, & interdum mortem afferre?

Numerãtur præcipuæ animi perturbationes.

Poſſunt ſumi vel formaliter, vel materialiter.

11. Certũ ergo eſt prędictos motus interdũ afferre morbos. Imò & aliquando mortem, quia per aliquos nimiùm contrahitur natiuus calor, & vitales ſpiritus: per alios nimiùm dilatantur. Calor autem nimis contractus extinguitur, & ſuffocatur nimia fuligine. Si autem vltra modum dilatetur, vel magna ex parte minuitur, &

Interdum afferunt morbos, & mortem.

gignitur

gignitur morbus, vel omnino perit, & ſequitur mors. Ira igitur ſuſcitat calorē, & ad externas corporis partes diffundit. Si autem concitetur bilioſus humor, aſcēdatque ad caput, aliquando fit, vt irati priuētur rationis vſu. Timor cum ſit fuga impendentis mali cogit ſparſum calorē ad cor confugere tanquam ad arcem; & ita aliquando præ nimio calore exurūtur partes illæ vitales, quæ ſunt iuxta cor, & calor præ fuligine ſuffocatur: acciditque mors præ metu. Quod etiam aliquando præſtat verecundia, quæ ſpecies quædam metus eſt. Quo mortis genere periiſſe dicitur Homerus, quia quæſtionem ſibi propoſitā à piſcatoribus ſoluere non potuit.

Priuant rationis vſu aliquando.

12. Triſtitia calorem intus adigit, corpus eneruat, & operationes magna ex parte impedit. Quia tamen motus eſt lentus, vel mortem omnino non cauſat, vel ſaltē non, niſi poſt longum tēpus. Hoc genere mortis dicitur obiiſſe Ariſtoteles, quòd cauſam non inuenerit, cur Euripus ſepties in die æſtuaret.

Effectus triſtitiæ.

13. Gaudium, ſeu lætitia, cùm ſit quædam animi iucunditas, ſi moderata ſit, fouet, ac ſeruat vitales ſpiritus, & bonam corporis habitudinem. Si autem nimia ſit, ac repentina, laxat, & diſsipat vitales ſpiritus, ita vt aliquando ſubitum afferat interitum. Cuius rei multa ſuppetunt exempla, præſertim fœminarum, quæ refert Liuius, & Valerius. Ille lib. 2. decad. 3. Iſte lib. 9 c. 12. Et Plin. lib. 7. c. 53. Item Gellius lib. 3. noct. Attic. c. 15.

Gaudium.

14. Mouentur autem iſti ſpiritus, & ſanguis impulſu animæ, quæ prout occaſionum varietas exigit, in metu calorem, & ſpiritus euocat ad cor, in verecundia ad faciem, in triſtitia ad cor, in gaudio ad cutem, &c. Vnde etiā fit, vt timentes expalleſcant, quia ſanguis deſerit genas, & reliquas partes externas. Tremunt etiam, quia in manibus, ac pedibus deficit calor, qui neruos, cor, & mēbra ſuſtinebat. Tremit etiam labium inferius, quia minus habet caloris, & ſtatim algeſcit, cum tamen, vt ſurſum tendat, & ſuperiori cohæreat, maiori egeat adminiculo. Quando autem metus nimius eſt, etiam cor tremit, quia ſanguis, & calor non tendit rectò ad cor, ſed ad partes ipſo corde inferiores, & quia tunc ſpiritus præ frigore fiunt magis craſsi, & multum de calore minuitur.

A quo moueatur ſanguis.

Cur timentes expalleſcant, & tremant.

15. Hac etiam de cauſa capilli horrent in metu, quia frigiditas, quæ manet adacto intus calore, poros ſtringit, & capilli compreſſi eriguntur. Qua etiam ratione vox tremit, & mediis in faucibus hæret defectu caloris, qui non ſufficit ad vocem formandā. Ideo autem metuentes ſitiunt, quia collecto intra viſcera calore humidum abſumitur, & inde ſequitur humidi, & frigidi appetitio, quæ eſt ſitis.

Capilli in metu cur horreāt, & metuentes ſitiant.

16. Sed petes, cur in os verecūdi diffundatur ſanguis ad faciem, cum tamē pudor ſit ſpecies quædam timoris, & ideo potiùs intrò eſſet auocandus? Reſpondetur, quia in pudorē non timet natura malum naturæ, ſed timet malum,

Verecūdiæ rubor in facie vnde proueniat.

quod

quod opponitur appetitui animali, ideoque tunc fit contractio ſecundùm appetitum animalem, non ſecundùm naturam corporalem, & ideo pudefactis diffunditur ad exteriora ſanguis, quaſi operimentum illius rei, propter quam aliquis patitur pudorem, vel reprehenſionem Vnde verecundia in adoleſcentibus indiciũ eſt ingenui animi, quia indicat curam defectus, qui timetur, & ſpẽ emendandi illum in poſterum.

Verecundia in adoleſcent. optimum ſignũ.

17. Petes ſecundò, cur capti oculis ſint ferè ſemper inuerecundi? Reſpondetur, quia eorum nos pudet, quæ in proparulo ſũt. Qui autem parùm videt putat ſua omnia non ita clarè videri ab alijs. Ideo autem iratis hominibus igneſcunt oculi, quia tenuior ſanguis ad caput aſcendit, & vapores ſanguinei faciliùs in oculis apparent, quia pellucidi ſunt. Petes tertiò. Cur triſtitia, & dolor iram comitatur, & aliquando etiam voluptas? Ratio eſt, quia dolor naſcitur ex recordatione illatæ iniuriæ, voluptas ex facta iam vindicta. Ideo verò doloris acerbitas fletu miteſcit, quia fletu diffunditur malum ad exteriora, & animi intentio quodammodo diſsipatur.

Cæci cur inuerecũdi.

Dubia quædam ad triſtitiam ſpectantia.

18. Petes quartò, cur nimiùm audaces initio ſint promptiores, in medio tamen periculo citiùs timeant, & aliquando pedem referant? Quia non ante conſiderant periculi magnitudinem, & poſtea quaſi ex inopinato illos inuadit periculum, atque ita deficiunt, ac timent. Quod aliter accidit illis, qui priùs pericula expẽdunt. Peres quintò, cur dolor, & triſtitia lachrymas excutiant? Quia dolor auocato intùs calore meatus ſtringit, & ira per oculos præſertim exſudat humor, quia magis poroſi ſunt. Lætitia verò membra, ac poros laxat, præſertim oculorum. Vnde etiam prouenit, quòd lachrymæ fuſæ præ triſtitia ſentiantur frigidæ, quia eas deſtituit calor ad interiora adactus. Illæ autẽ lachrymæ, quæ præ lætitia funduntur calidę ſunt ob contrariam rationem, quia calorem habent coniũctum. Quæ etiam eſt ratio, cur illi, qui lætantur rubicundi fiant.

Audaces nimium cur in medio periculo timeant.

Dolor, & triſtitia cur lachrymas excutiant.

Lachrymæ cur aliquãdo frigidæ, & aliquãdo calidæ.

19. Peres vltimò, cur interdum amantes amentes fiant? Ratio eſt, quia vehemens cogitatio rei, quã amat, ſpirit⁹ in cerebrum euocat, ac nimium calorem, quo cerebrũ exſiccatur, & internorũ ſenſuum temperies diſturbatur, ac diſſoluitur; & ita non poſſunt ſenſus interni ſua munia ritè obire.

Cur Amantes fiant amentes.

De Longitudine, & breuitate vitæ.

CAPVT IIII.

20. Cauſa longioris, aut breuioris vitæ conſiſtit intemperie quatuor qualitatum, præſertim calidi, & humidi. Eſt autẽ optima temperies calidi, & humidi, quando humidum non ita excedit, vt calorẽ extinguat, nec ita eſt exiguum, vt breuitate abſumatur. Debet etiam eſſe humidum non aqueum, ſed aëreum, & oleagi-

Cauſa longioris vitæ, aut breuioris.

& oleaginum. Opus etiam eſt,vt non multum excrementitiæ, aut alienæ materiæ in ſe cohibeat:ſicut etiam oleum lucernæ ſi multum habeat fæcis,lucem moleſtã, ac tetricam præbet. Iuuant etiam ad longitudinem,vel breuitatem vitæ cęleſtes influxus,ſyderũ aſpectus,& irradiatio,tam in primo ortu,quàm in vitæ decurſu. Facit etiam Solis,ac regionis clementia, aut inclementia. Habet etiam ad hoc plurimum momenti ratio victus temperata,aut immoderata.Item ciborum qualitates,quidam enim vitæ incommodant, alij proſunt. Solent etiam vitam minuere labores intempeſtiui,aut exceſsiui; animi perturbationes, nimiæ voluptates, frequentes curæ,aſsiduus mæror, & plura alia, quæ natiuum calorem diſsipant,aut coactum pręfocant.

Quæ iuuẽt ad breuitatem,& longitudinem vitæ.

Quæ animalia ſint vitæ diuturnioris.

21. Inter animalia ſolent diutius viuere,cæteris paribus,grandiora,ſanguinea, & terreſtria diutius viuunt,quàm aquatilia. Item diutius,quæ in calidis locis,quàm quæ in frigidis nutriuntur, & mares,quàm fæminæ. Item ex animantibus quædam longæua ſunt, vt cerui, corui,cornices,elephanti. Alia ſunt breuioris vitæ, ita vt detur animal quoddam,quod vltra diem non ſupereſt. Ex arboribus durant per longum tempus *Olea, Oleaſter, Platanus, Cupreſſus, Palma, Ilex*,& aliæ,quæ tardè creſcũt. Quæ autem celeriter adoleſcunt, & aquaticæ ſeneſcunt citiùs.

Breuiſsima cuiuſdam animantis vita.

Humidum radicale nõ poteſt ad æqualitatẽ ſemper reſarciri.

22. Petes,vtrùm humidum radicale poſſit naturaliter ità reſarciri,vt in æternum poſſit quis viuere,vel ſaltem per longiſſimum tempus? Reſpondetur negatiuè, quia ſemper illud humidũ,quod de nouo additur,& ſubrogatur loco obeuntis, eſt deterius, habetque ſe ad aliud,quaſi aqua ad vinum,quod ſui permixtione decolorat,& debilitat.Optimum autẽ humidũ eſt illud, quod in materno vtero accipit fœtus, nec dari poteſt cibus aliquis ita exquiſitus, vt tale humidum adæquet.

Optimum humidum.

Dentium raritas cur breuem in dicet vitam.

23. Petes ſecundò,cur dentium raritas breuioris vitæ ſit indicium? Quia dentium raritas indicat cranij,ſeu capitis craſſitudinem, vtpote in cuius ſubſtantiam abierit dentium materia,& ideo reſtatur cerebrum inualidum eſſe,& minùs opportunum reſpirationibus, ac proinde facilè putrefactum iri. Petes vltimò,cur bibones,qui ſe multo vino ingurgitant, mortem ſibi accelerent? Quia aduentitio calore humidum radicale citiùs abſumunt.


Bibones ſibi mortẽ accelerant.

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

TRACTATVS VII.

De Anima ſeparata..

PROŒMIVM.



CVM *rationalis anima,quæ inter formas viuentes præcipuum locum tenet, poſtquam ſeparatur à corpore adhuc ita ſeparata in ſuo eſſe perſeueret,neque deſinat eſſe,ſicut deſinunt formæ aliarum animantium, ideo de anima rationali in hoc ſtatu ſeparationis peculiares ſunt difficultates,quas Ariſtoteles non attigit ad libros de Anima ex eo,quòd fortaſſe rationalis animæ tractatio, prout ſumitur in ſtatu ſeparationis, potiùs*

ad Metaphyſicum, quàm ad naturalem Philoſophum ſpectet. Nos verò ad complementum huius noſtri opuſculi operæ pretium duximus præcipuas difficultates in hac materia breuiter perſtringere, & expendere.

Subiectum huius tractatus.

2. *Vnde ſubiectũ huius tractatus eſt* Anima rationalis ſeparata. *Et primò quidem inquiremus immortalitatem animæ, ac diſtinctionem ipſius ab alijs ſubſtantijs ſeparatis. Deinde agemus de modo, quo exiſtit extra corpus. Tertiò de illius potentijs cognoſcentibus, & appetentibus, ac de ſpeciebus, & habitibus. Quartò de ipſo actu cognoſcendi, & appetendi, ac de ipſorum obiectis. Tandemque de potentia motiua animæ ſeparatæ, per quam mouetur, aut moueri poteſt ad locum. Vbi multa dicemus, quæ animæ rationali cum Angelis ſunt communia.*

Diuiſio illius.

DE NATVRA, ET CONDITIONIBUS Animæ rationalis.

QVÆSTIO I.

Oſtenditur Animam rationalem eſſe ſpiritualem, & natura ſua immortalem.

CAPVT I.

1. EAs proprietates, quas anima rationalis habet communes cum formis aliorum animalium, iã in tractatu quinto de Anima explicauimus, & ſimul alias eidem peculiares, quarũ actus exercet in corpore. Nunc ſuperſunt explicandæ illæ, quæ animam rationalem comitantur extra corp⁹, vel ratione quarũ ipſa poteſt habere hunc ſtatum ſeparationis. Solent autem in ſubſtantijs, præſertim ſpiritualibus, diſtingui duo genera proprietatum: quædam enim ſunt veluti attributa eſſentialia ipſis ſubſtantijs, quæ immediatè fundantur in eſſentia ſubſtãtiarum ſpiritualium, & à nobis ſolent explicari per quaſdam negationes: qua ratione dicimus Angelos eſſe incorporeos, eſſe immortales, eſſe incorruptibiles, & alia ſimilia prædicata de illis affirmamus, quæ ſupra poſitiuam eorum eſſentiam nihil addunt, præter negationes quasdam.

Duo genera proprietatum in ſubſtãtijs ſpiritualibus.

2. Aliæ ſunt proprietates reales. & entitates, vel modalitates, quæ à parte rei diſtinguuntur à ſubſtantia ſpirituali, vt eſt intellectus, & voluntas in Angelis, & in anima rationali. Nos igitur in

præſenti

præſenti quæſtione agimus de proprietatibus animæ rationalis in primo ſenſu, vt hinc probemus eam poſſe naturaliter habere ſtatum ſeparationis.

De quibus proprietatibus hic tractemus.

3. Quæritur ergo primò, vtrùm anima rationalis ſecundùm ſuam eſſentiam ſit immaterialis, ſeu ſpiritualis? In quo dubio pars affirmatiua videtur omnino certa de fide, vt habetur capite *Firmiter*, vbi Concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio definit humanã naturam ex ſpirituali, & corporali eſſe compoſitam; ſed materia non eſt ſpiritualis; ergo eſt anima. Idem colligitur ex ijs locis Sacræ Paginæ, in quibus anima hominis dicitur *Spiritus*, vt Luc 23. *In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum*, & c. Idem etiam tenent cõmuniter Patres, ac Theologi.

Anima rationalis eſt ſpiritualis.

4 Et hoc ipſum præterea naturali lumine demonſtratur. Primò, quia dantur in nobis aliqui actus cognoſcitiui, & vitales ſpirituales, qui oriuntur à potentia ſimiliter vitali, & ſpirituali; ſed potentia vitalis ſpiritualis nõ poteſt ſubiectari naturaliter in ſubiecto immediato corporeo; ergo ſubiectatur in anima ſpirituali. Minor, & conſequentia patent, quia actus ſequitur potentiam, & potentia ſequitur formam, in qua ſubiectatur immediatè; ergo ſi actus eſt ſpiritualis, etiam potentia, & forma eſt ſpiritualis.

Ratio naturalis.

5. Quòd autem in nobis dẽtur actus quidam ſpirituales, probatur ex obiectis, quæ intellectus noſter in hac vita cognoſcit: nam plura ex his ſunt obiecta ſpiritualia. Plura item ſunt obiecta communia. Deinde intellectus noſter per ſuam cognitionem penetrat intimas rerum quidditates, cõditiones morales boni, & mali, honeſti & inhoneſti, ſed hæc omnia non poſſunt cognoſci per actus materiales; ergo cognoſcuntur per actus ſpirituales. Idem etiam probatur ex libertate, quæ datur in voluntate: nam indifferentia requiſita ad libertatem non poteſt dari in potentia materiali, quæ ſemper ex ſe eſt ad vnum determinata; ergo illa potentia, quæ eſt formaliter libera, etiam eſt ſpiritualis, & conſequenter ea forma, ſeu ſubſtantia, in qua immediatè inhæret voluntas, etiam eſt ſpiritualis.

Dantur in nobis actus cognoſcitiui ſpirituales.

6. Demonſtratur ſecũdó, quia omnis actus vitalis requirit immediatum concurſum illius formæ, cuius eſt actus, ſed forma materialis non poteſt immediatè concurrere, neque elicere actus ſpirituales vitales; ergo ſi in homine dantur actus vitales ſpirituales habent in ipſo homine aliquod principium ſubſtantiale ſpirituale, à quo immediatè oriatur. Maior eſt cõmunis, & probatur experimento: nam ideo non poſſumus ſimul elicere actus omniũ potentiarum vitalium, quas habemus, quia virtus animæ nõ poteſt ſimul applicari, vt concurrat cum omnibus ſuis potentijs, & quantò vehementiùs applicatur ad actum vnius potentiæ, vel duarum, tantò remiſsiùs aliæ potentiæ operantur; ergo ſignum eſt, quòd anima concurrat immediatè cum ſuis potẽtijs ad actus, quos eliciunt; ſed plures ex iſtis acti-

Anima cõcurrit immediate ad actus vitales ſpirituales.

bus

bus in homine ſunt ſpirituales; ergo etiam forma hominis eſt ſpiritualis.

Animæ noſtræ immortalitas veteribus etiam philoſophis nota.

7. Atque hinc reſoluitur ſecūda quæſtio de animæ rationalis immortalitate, de qua fuerunt variæ opiniones inter veteres Philoſophos: nam Epicuræi ſimpliciter aſſerebant animā eſſe mortalem, & ſimul cum corpore interire. Galenus verò hac in re dubius fuit. Maxima tamen, ac melior Philoſophorum veterū pars animi noſtri immortalitatem adſtruebat: vt Pythagoras, Triſmegiſtus, Diogenes, Thales, Miles: Anaxagoras, Plato, Theophraſtes, Tullius, & alij plures, quos latè refert Nicolaus Fabentitus lib. 1. de immortal. animorū ad Clementem 8. c. 11.

Sententia Ariſtotelis hac in re.

8. Quæ autem fuerit ſententia Ariſtotelis circa rationalis animæ immortalitatē dubitāt meritò Auctores: quidā enim ex varijs locis eiuſdem colligunt in ea fuiſſe opinione, vt exiſtimauerit eſſe mortalē. Primò, quia aſſeruit nō poſſe intelligere ſine recurſu ad phantaſmata. Secundò, quia lib. 1. de cælo c. 12. probat omne illud, quod incepit, aliquando eſſe interiturū. Tertiò, quia lib. 1. Ethicorum c. 10. Solonem reprehendit, quòd veram hominis felicitatem poſuerit poſt mortem, & alibi docuit Deo conuenire perpetuam felicitatem, nobis autem per breue tempus. Quartò, quia putauit animam rationalem non creari á Deo, ſed fieri per generationem.

9. Alij tamen Auctores è contra aſſerunt Ariſtotelē exiſtimaſſe id, quod certū eſt, nempe animā noſtram eſſe immortalē: nā lib. 1. de Anima cap 4. vocat intellectum noſtrum diuinum, & interitus expertem, & lib. 12. Met. docet nihil prohibere, quominùs diſſoluto compoſito maneat forma. Alibi etiam docuit animam rationalem extrinſecùs aduenire, id eſt fieri per creationem à ſolo Deo. Et quidem re diligenter expenſa probabiliús videtur Ariſtotelem per aliquod tempus maximè dubium fuiſſe circa animæ immortalitatem: tandemque magis inclinaſſe in veram ſententiam; quæ tenet ipſam eſſe immortalem.

Videtur Ariſtoteles hac in re dubius per aliquod tē pus, donec veritatem fuerit aſſecutus.

10. Quidquid tamen ſit de ſententia Ariſtotelis, & aliorū veterum circa animæ immortalitatē, de fide diuina certum eſt animā rationalem pereunte toto homine non extingui. Ita colligitur ex multis ſacræ paginæ teſtimonijs, vbi animæ dicuntur ad inferos deſcendere: & ex illo Eccleſiaſtes cap 12. *Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Et paulò poſt. *Spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Idē etiam conſtat ex Sapientia cap 2. vſque ad quintum. Et ex libro ſecundo Machabæorum, vbi pro defunctorum animabus ſoluendis á pœna Purgatorij fiunt eleemoſynæ. Vnde in nouo teſtamento Matthæi decimo aſſerit Chriſtus. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere: ſed potiùs timete eum, qui poſtquam occiderit corpus poteſtatem habet mittere in gehennam.* Ex quibus verbis colligitur animas nō interire cū toto, ſed permanere,

De fide certum eſt animam noſtram cum corpore nō extingui.

Probatur ex ſcriptura.

manere, vt præmium, vel pænam accipiant apud inferos. Similiter ex Euangelio Lucæ, *Pauperis, & diuitis animæ ſeruabantur, vna in inferno, altera in ſinu Abrahæ.* Samuelis item anima rediijt ad hanc vitam, & Chriſti anima, poſtquam in cruce ſeparata eſt à corpore, deſcendit ad inferos ergo anima non interit cum toto, ſed manet poſt corruptionẽ toti⁹.

Eſt etiam immortalis, & in quo ſenſu talis dicatur.

11. De fide etiam eſt animam rationalem eſſe immortalem. Vt autẽ hæc veritas magis appareat; notãdum eſt *Immortale* dupliciter dici. Primò appellatur immortale illud, quod per nullam potentiã, etiã diuinam, poteſt interire, aut amittere exiſtentiam. Et in hoc ſenſu ſolus Deus eſt immortalis: res veró creatæ omnes dicuntur mortales. Secundò dicitur ſubſtantia aliqua immortalis, quia poſtquam ſemel producitur non poteſt deſinere per cauſas naturales, ſed ex ſe poſtulat á Deo conſeruari in æternum. Hoc tamẽ nõ tollit quominùs Deus poſsit pro ſua libertate talem ſubſtantiã nõ conſeruare: ſi tamen illam deſinat conſeruare, non operabitur vt Auctor naturæ, & vt poſtulat ipſa res. Atque in hoc ſenſu dicitur anima rationalis eſſe immortalis: ſicut etiam naturæ Angelicæ.

Probatur ex Cõcilijs, & Scriptura.

12. Conclusio igitur ſic explicata eſt de fide definita in Cõcilio Lateranenſi, ſub Leone decimo ſeſs. 8. Et idẽ ſuadet toti⁹ Eccleſiæ conſenſus, & illud Sapientiæ cap. 2. *Deus creauit hominem inexterminabilem.* Quod de homine, ſaltem quoad animam, eſt intelligendum. Hæc eſt ſententia Patrum, præſertim ad illud Geneſ. 1. *vbi homo dicitur factus ad Dei imaginem, & ſimilitudinem.* Vbi ratio imaginis ad animam hominis refertur, quæ dicitur imago Dei; ergo ſaltem in hoc debet Deo aſſimilari.

Naturalia fundamẽta, quæ probant hanc veritatem.

13. Præcipua fundamenta naturalia ad probandam animæ immortalitatem ſunt hæc. Vt ſe res habet in operando, ita & in eſſendo, ſed anima rationalis operari poteſt abſque depẽdentia à corpore: ergo in ſuo eſſe nõ pẽdet à corpore: ergo poteſt exiſtere ſine corpore, quod eſt eſſe immortalẽ. Maior cõmuniter recipitur. Minor probatur, quia anima, etiam dum eſt in corpore, intelligit aliquãdo ſine recurſu ad phãtaſmata, vt patet in ecſthaſi õnino perfecta: ergo tũc operatur indepẽdenter à corpore; ergo ab illo nõ pendet ſimpliciter in eſſendo.

Primum.

Secundum.

14. Secundum fundamentum. Anima rationalis eſt ſubſtãtia ſpiritualis, vt in primo puncto probauimus, ſed ſubſtantia ſpiritualis non continetur in poteſtate materiæ corporeæ: ergo non pendet ab illa in ſuo eſſe, neque in ſuo fieri: ac proinde poteſt exiſtere ſine corpore. Deinde. Ad hoc, vt res aliqua ſit mortalis, vel debet in ſe habere aliquod principium ducens ad mortalitatem, vel ſaltem recipere qualitates aliquas corrumpentes, ſed anima rationalis nullum habet internum principium ducens illam ad corruptionem, cùm ſit ſubſtantia quædã ſpiritualis omnino ſimplex in genere phyſico, & à corpore indepens: nõ etiã poteſt

Tertium.

recipere

recipere in ſe,& immediatè qualitates corrumpentes: ergo de ſe, & ab intrinſeco eſt immortalis. Et confirmatur, quia in corruptione vnius ſemper datur generatio alterius, ſed anima rationalis eſt entitas per ſe ſubſiſtens, & ſimplex phyſicé: ergo nõ poteſt dari illi⁹ corruptio, quia ad corruptionẽ illius non poteſt dari generatio alterius.

Quartum.

15. Idem etiam probat appetitus naturalis, quem habet homo ad immortalitatem, & difficultates, quas ſubit, vt perpetuã ſui memoriã relinquat. Faſtidium etiam illud, quo res caducas, ac mortales tandẽ aliquando faſtidimus, quãuis antea illas auidè appetiuerimus. Hoc ipſum oſtendit appetitus ille, quo beatitudinem in cõmuni, ſaltem naturaliter appetimus. Ita etiam fuit conueniens diuinæ prouidentiæ: nam ſæpius in hac vita mali non puniuntur, ſed potiùs ducunt in bonis dies ſuos: boni autem multa patiuntur aduerſa: ergo neceſſe eſt, vt poſt mortem animæ malorum luant ſuorum ſcelerum pænas, & bonorum animæ acquirant præmia virtutum, quas in hac vita exercuerunt. Quo etiam argumento vſus eſt Plato in dialogo de animę immortalit. ad immortalitatem animæ comprobandam.

Congruentia.

Proponuntur, & ſoluuntur obiectiones in contrarium.

CAPVT II.

Primum argumentum.

16. PRimum argumẽtum ſumitur ex ſacra pagina: nam Eccleſiaſt. cap. 3. dicitur: *Vnus interitus eſt hominis, & iumentorum, & aqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, &c.* ergo ſicut animæ iumentorum ſimul cũ corpore intereũt, nec ſũt immortales, ita neque anima hominis. Item Sap. 2. *Ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus tamquam non fuerimus.* Iob etiam c. 14. *Omnis ſpes homini præciditur reſurgendi.* ergo ex his, & ſimilibus teſtimonijs videtur conſtare animam noſtrã eſſe mortalem, & caducam.

Solutio illius.

17. Reſpondetur tamẽ ad primũ teſtimoniũ, & ad ſecundum ea proferri in perſona impiorum, qui, vt terrenis voluptatibus potirentur, ſe ipſos decipiebant exiſtimantes æqualem eſſe ſuam, & brutorum cõditionem, & omnia ſimul cũ corpore extingui: vt omnes ferè interpretes ad ea loca annotarunt. Tertium veró teſtimonium ex lib. Iob. loquitur modo naturali: nam in morte præciditur homini omnis ſpes reſurgẽdi iterũ per vires naturales. Quod tamen nõ tollit, quominùs Deus de potentia abſoluta poſſit iterũ homines ſuſcitare.

Secundum argumentum.

18. Secundum argumentũ. Angeli ſunt ſubſtãtiæ ſpirituales nobiliores, quã anima rationalis; & tamen Angeli, ex multorum Patrum ſententia, ſunt ex natura ſua mortales, & corruptibiles: ſi autẽ ſunt de facto immortales, id habent ex Dei gratia, & voluntate; ergo idem à fortiori dicendum eſt de anima rationali. Reſpondetur

Solutio.

tamen licèt immortalitas Angelorum non tam manifeſtè cõſtet ex fide, vt conſtat immortalitas animæ rationalis, tamen Angelos in eodẽ ſenſu eſſe immortales, & incorruptibiles, in quo talis dicitur anima noſtra, idque fidei principijs maximè conſentaneũ eſſe; Angelus enim poſtquã ſemel producitur non habet aliquod principium internum, per quod poſſit deſinere; nec poteſt recipere qualitates corrũpentes, ſed de ſe poſtulat cõſeruari ſemper à Deo operãte vt Auctore naturæ. Si tamen Deus aliter velit pro ſua libertate operari poterit Angelum anihilare: ſicut etiam poteſt anihilare animam rationalem. Et in hoc ſenſu Angeli dicũtur mortales per naturam, quatenus ſcilicet eis nõ repugnat anihilari à Deo, ſeu dicũtur mortales in primo ſẽſu, & cõparatione Dei: ſimpliciter tamen ſunt immortales.

Tertium argumentũ difficilius.

19. Hinc tamen inſurgit tertiũ argumentum: nam illa non repugnantia, quã habet Anima rationalis, vt à Deo poſsit anihilari, fundatur in intrinſeca natura, & eſſentia ipſius animæ: ergo id ſatis eſt, vt anima ex natura ſua dicatur cõuertibilis in nihilum, ac mortalis.

Reſponſio.

Reſpondetur tamen negata conſequentia. Et ratio eſt, quia illa nonrepugnantia fundatur in natura animæ præciſè ſecundum eſſe animæ ſpectatæ, quæ vt ſic indifferens eſt ad eſſe, & nõ eſſe: & ſic neutrum illi repugnat. Poſtquam tamen ſupponitur exiſtens iam habet poſitiuam determinationem ad eſſe, & realem capacitatem intrinſecam cum naturali inclinatione, & appetitu ad perpetuitatem eſſendi: & ideo abſolutè eſt illi connaturale, & poſſe ſemper eſſe, & actu perpetuò durare, quamuis ſemper habeat nonrepugnantiam ad cadendum tali eſſe prout ſubiacet diuinæ voluntati.

In quo ſenſu dicatur anima ens neceſſariũ.

20. Vnde colliges animã rationalem dici ens neceſſarium poſtquam ſemel exiſtit quantum eſt ex ſe, & á ſuis principijs intrinſecis, per quæ deſinere non poteſt. Quia tamen poteſt à Deo priuari exiſtentia, ideo non poteſt dici ens ſimpliciter neceſſarium: iſta enim duo non pugnant inter ſe, quia neceſsitas illa, quæ oritur ex principijs intrinſecis, habet cauſã extrinſecam, à qua pendet, & per quam ceſſare poteſt.

21. Aliter poteſt dici anima poſtquam habet exiſtentiam, ens neceſſarium, ſaltem negatiuè, quatenus ſcilicet in ſe nullũ habet principium non eſſendi, neque potentiam realem, & poſitiuam ad non eſſe; ſed ſemel producta ex natura ſua poſtulat conſeruari. Si autem non conſeruetur, id erit præter naturalem rerum exigentiã. Quod pari ratione dici poteſt de quauis alia ſubſtantia incorruptibili, ſiue ſpirituali, ſiue corporea.

Quartum argumentum.

22. Quartum argumentum. Si ex cognitione obiecti ſpiritualis, quæ in nobis datur, rectè colligitur actum eſſe ſpiritualem, etiam ex cognitione obiecti infiniti colligetur actum eſſe infinitum, & ex cognitione obiecti ſubſtãtialis eſſe actum ſubſtantialẽ, ſed hoc eſt omnino falſum: ergo, & illud vnde

ſequitur.

Solutio.

ſequitur. Reſpondetur tamen nõ omnes obiecti cõditiones redundare in actum cognitionis, ſed eas tantũ, quarum capax fuerit actus; actus verò non eſt capax earum conditionum, quæ ab ipſo actu toto genere ſunt diuerſæ. Vnde cùm actus creati intellectus ſint accidentales, nec poſsint eſſe ſubſtantiæ, aut infinitæ perfectionis, ideo quamuis ferantur in obiecta ſubſtantialia, aut in obiectum infinitum, non ideo erunt ſubſtantiæ, neque entia infinita; conditio tamen ſpiritualitatis non eſt aliena ab actu, & poteſt eſſe communis actui, & obiecto, ideoque ex cognitione obiecti ſpiritualis rectè colligitur actum cognoſcẽdi eſſe ſpiritualem.

Vltimum argumentum, & ſolutio illius.

23. Vltimum argumentũ. Formæ cæleſtes etiam ſunt immortales: & tamẽ ſunt materiales: ergo quamuis forma rationalis ſit immortalis, non ideo ſequitur eſſe ſpiritualem. Reſpondetur formas cæleſtes, cùm non habeãt vitam, non poſſe in rigore dici immortales, quamuis dicantur incorruptibiles, vel entia phyſicè neceſſaria. Anima verò rationalis eſt forma viuẽs, haberque alias perfectiones maiores, ex quibus colligitur eſſe ſpiritualem, vt patet ex dictis. Inſtabis. Multa accidentia ſunt ſpiritualia; & tamen corrumpuntur, & deſinunt: ergo quamuis anima rationalis ſit ſpiritualis deſinere poterit naturaliter. Minor probatur in actibus intellectus, & voluntatis, qui pendent in fieri, & conſeruari ab ipſa anima, & potentijs. Patet etiam in accidentibus ſupernaturalibus; qualia ſunt gratia, charitas habitualis, & ſimilia, quæ per peccatum mortale deſinunt eſſe; ergo, &c. Reſpondetur tamen diuerſam eſſe rationem in accidentibus, & in ſubſtantijs: nam accidentia etiam ſupernaturalia educuntur de poteſtate obedientiali ſubiectorum, & actus intellectus, & voluntatis pendent in fieri, & conſeruari à ſuis potentijs, ideoque poſſunt deſinere. Subſtantia verò ſpiritualis eſt ens per ſe ſubſiſtens, & independens à ſubiecto, & in ſuo fieri, & conſeruari pendens à ſolo Deo: ideoque non poteſt deſinere per cauſas creatas.

Inſtantia quædam.

Solutio.

Vtrùm Anima rationalis eſſentialiter ab Angelis differat?

CAPVT III.

Prima ſententia.

24. Tres fuere ſententiæ hac in re. Prima tenuit animas rationales, & Angelos eſſe eiuſdẽ naturæ ſpecificæ. Hanc videtur tenuiſſe Orig. teſte S.Tho. 1.p.q.75.art.7. Secunda docuit animas eſſe Angelis eſſentialiter perfectiores. Quod tuetur Georgius Venetus. Nã Chriſti anima videtur ſubſtãtia quædã omnibus Angelis præſtantior: ſed anima Chriſti Dñi eſt eiuſdẽ ſpeciei cũ noſtris, ergo &c. Reſpondetur tamẽ Chriſti animam licèt in donis ſupernaturalibus ſuperet naturã Angelicã propter vnionẽ ad Verbum, tamen in ſua entitate naturali ſpectatã eſſe minùs nobilem

Secunda.

Venetus In opere de harmonia mundi, cãt. 3. tono. 3. cap. 2.

quacumque ſubſtantia Angelica. Reliquæ rationes, quibus Venetus loco citaro ſuam probat ſententiam,facilem habenr explicatum,ideo illas omittimus.

Tertia ſententia verior.

25. Tertia ſententia omnino certa,& communis apud Theologos,ac Patres docer animas rationales inferiores eſſe Angelis in perfectione eſſentiali. Idque colligunt ex illo Pſalmi. *Minuiſti eum paulominùs ab Angelis.* Ratio naturalis eſt, quia animæ rationales ſunt entia quædam ſubſtantialia incompleta,& ad materiam trãſcendentaliter ordinantur,& ſunt formales cauſæ compoſirorũ: Angeli verò ſunr ſubſtantiæ quædã ſimiliter ſpirituales completæ, & non dicunt reſpectum ad vllam mareriam; ergo ſunt ſubſtantiæ perfectiores in entirate.

Probatur.

Obiectio.

26. Dices. In anima ſeparata, & in Angelis nullæ apparẽt proprietares ſpecificæ diſtinctæ, quæ indicent diuerſitatem eſſentialẽ in ſubiectis; ergo ad minimum ſunt æqualis perfectionis eſſentialis. Antecedens probatur,quia intellectus Angelicus, & intellectus animæ ſeparatæ vidẽtur eiuſdem ſpeciei, & ſimiliter de potẽtia volitiua,& motiua; ſed in Angelo,& in anima non dantur aliæ proprietares;ergo ſi iſtæ ſunt eiuſdem ſpeciei,etiam anima ſeparata, & Angelus erunt eiuſdẽ ſpeciei. Quòd verò intellectus Angelicus non differat ab intellectu animæ ſeparatæ,videtur ſententia S.Thom. multis in locis, & 1. p. q.79. art.8.ad 3. vbi negat intellectum Angelicum alterius generis eſſe ab humano, ſed comparari tantùm ad inuicem:ſicut perfectum, & imperfectum. Quod latiùs declarauir quæſt. 58.art.3. Deinde probatur, quia non habenr aliquod principiũ,per quod diſtinguantur: habent enim idem obiectum mareriale, & formale, nempe ens ſub ratione intelligibilis,& veri. Modus eriam cognoſcendi animæ ſeparatæ eſt maximè ſimilis Angelico; poteſt enim cognoſcere ſine diſcurſu, & per ſpecies á Deo accepras, & ſine recurſu ad phantaſmara; ergo habent intellectum eiuſdem ſpeciei.

27. Propter hæc, & ſimilia argumenta dicunt aliqui intellectũ humanum, & Angelicum diſtingui ſpecie ſolùm ratione ſubiecti, & conuenire ratione obiecti, & idem afferunt de ſenſibus humanis,& brutorum. Verùm hic modus dicendi eſt contra communẽ omnium ſententiam, quæ aſſerit potentias ſpecificari per obiecta, & per actus, & non per ſola ſubiecta. Dicendum igitur eſt cum communi ſententia Theologorũ Angelicum intellectum,& humanum diſtingui ſpecie, non ſolùm ratione ſubiectorum, ſed etiam ratione obiectorum formalium, & ratione modi tendendi in obiecta: nam in eodem obiecto materiali poſſumus diſtinguere diuerſas capacitates,& intelligibilitates, ſecundùm quas idem materiale obiectum poſſit ſpecificare plures intellectus ſpecie diuerſos. Ex parte verò ipſorum intellectuum poteſt etiam ſumi hæc diſtinctio ſpecifica ex diuerſo modo tendendi in obiectum;nam

Solutio aliquorum nõ probatur.

Verior ſolutio.

intellectus

intellectus humanus rēdit in obiecta dependenter à ſenſibus, & ab ſpeciebus, quas per ſenſus acquirit; & mediantibus rebus materialibus aſcendit ad ſpiritualia. Quòd ſi in ſtatu ſeparationis cognoſcit aliquando ſine diſcurſu, & independenter à corpore, id eſt veluti per accidens, & modo præternaturali, quod multò aliter accidit in intellectu Angelico.

Intellectus angelici etiam ſunt ſpecie diuerſi.

28. Imò etiam in ipſis Angelis, ſicut dantur ſubſtantiæ Angelicæ ſpecie diuerſæ, ita etiam probabilius eſt dari intellectus Angelicos ſpeciē diuerſos, qui ſumant ſuam diſtinctionem ſpecificam ab obiectis materialibus prout ſtāt ſub diuerſis rationibus formalibus, & ex diuerſo modo tendendi ad talia obiecta, vt latiùs dicūt Theologi in materia de Angelis. Et hęc eadem poſſunt accōmodari voluntatibus Angelicis, ſiue inter ſe comparatis, ſiue cum volūtate humana.

De ſtatu animæ ſeparatæ, & de modo, quo in eo exiſtit.

CAPVT IIII.

29. Cvm anima rationalis ſit ſpiritualis, & īmortalis, vt conſtat ex dictis, neque in ſuo exiſtere pendeat à corpore, manifeſtè ſequitur, quòd quando ſeparatur à corpore manet in ſtatu quodam, in quo actualiter nō informat aliquod corpus. Quem

Status ſeparationis quid.

ſtatum vocamus *Statum ſeparationis*. Quæ ſeparatio realis eſt, cùm anima realiter diſtinguatur à materia, & ſine illa poſſit exiſtere, vt de facto exiſtit, quando diſſoluta vnione, quæ dabatur inter materiam, & formam rationalem, manet forma extra omnem materiam, & materia hominis manet ſub forma cadaueris, quia non poteſt naturaliter exiſtere ſine forma aliqua ſubſtantiali.

Abſurda, in quæ inciderunt illi, qui ſtatum ſeparationis non admittebāt.

30. Vnde illi, qui hunc ſtatum ſeparationis non admittebant, cogebantur aſſerere animas hominū quando humana corpora deſerebant tranſire in corpora brutorum animalium, vt nunc etiam credit maxima Ethnicorum pars fidei luce deſtituta. Alij cum Pythagoreis perpetuam animarum paligeneſiam admittebant. Alij aſſerebāt animas induere alia corpora ſubtiliora. Qui tamē catholicam fidem profitemur agnoſcimus hūc ſtatū ſeparationis Quæ ſeparatio, ſi formaliter ſpectetur, nihil aliud eſt, quàm priuatio quædam actualis informationis actiuæ, quam habet anima, dum eſt a corpore ſeparata, & actualiter ipſum non informat, cùm tamen ex ſe ſit apta informare. Habet etiam in eo ſtatu priuationem illius concurſus, quem ſolebat exhibere potentijs corporeis, dū erat vnita corpori. Vnde per ſeparationem á corpore non mutatur anima poſitiuè, quia nihil poſitiuū de nouo acquirit, ſed mutatur priuatiuè, quia acquirit prædictas priuationes. Quamuis alij dicant acquirere de nouo realem modum ſuæ ſubſiſtentiæ aduenientē,

Quas priuationes habeat anima in hoc ſtatu.

Non acquirit realem modum de nouo.

per

Digitized by Google

per quem extra corpus vltimatè ſubſiſtat. Quod tamen eſt minùs probabile,cùm iam ſupra diximus animam rationalem, etiā dū eſt in corpore,ſubſiſtere per ſe, & ideo in diſceſſu à corpore non egere vllo reali modo, qui de nouo illi adueniat.

An ſtatus ſeparationis ſit animæ naturalis.

31. Maius dubium eſt, an iſte ſtatus ſeparationis ſit animæ naturalis,an violentus? Nomine ſtatus naturalis intelligimus illum, qui ſit ipſi animæ conſentaneus, & ad quem ipſa de ſe naturaliter inclinetur. Dico igitur primò. Separatio animæ à corpore ſpectatæ,vt natura ſua eſt actus corporis,& non vt participat rationem formæ ſubſiſtentis, non eſt ei in prædicto ſenſu naturalis. Fundamentum eſt,quia vnio animæ ad materiam eſt ei maximè naturalis: ergo diſſolutio huius vnionis, quæ fit per ſeparationem, nō poteſt eidem animæ eſſe naturalis. Deinde. Illud,quod cedit in maximam perniciem compoſiti,non poteſt eſſe naturale formæ; ſed ita ſe habet ſeparatio animæ à corpore;ergo,&c. Vnde S. Thom. lib.4. contra gentes cap. 79. aſſeruit contra naturam animæ noſtræ eſſe ſeparatam à corpore exiſtere,id eſt non eſſe ei conſentaneū,neque expetibile. Et in hoc ſenſu docuit .1.parte.q. 89. art.1. Animam vnitam corpori perfectiorem eſſe,quàm ſeparatā.

Ratio.

Hic ſtatus non eſt animæ violentus.

32. Dico ſecundò. Separatio animæ á corpore,ſeu ſtatus ſeparationis non eſt animæ rationali violentus. Nam *Violentum eſt id, cuius principium eſt extra, paſſo non conferente vim,ſed renitente.* Vnde cùm anima rationalis effectiuè non influat in ſuam vnionem ad corpus, ſed tantùm formaliter, inde fit,vt ſeparationi non poſſit reſiſtere effectiuè; ſicut etiā quies non erit cælo violenta,quia motus circularis,quem modò habet cælum,non oritur effectiuè à forma cæli. Deinde probatur,quia ſi anima violenter à corpore ſepararetur,iam reſurrectio eſſet animæ cōnaturalis:poſſet enim forma naturaliter reuniri materiæ, quia ad hanc vnionem habebat naturalem appetitum: ſicut lapis relictus ſuæ naturæ ſtatim deſcēdit,quia habet naturalem inclinationē ad eum motū. Vnde ſcripſit Tullius Tuſcul.1. diſceſſum animi à corpore fieri nonumquam cum voluptate. Idem aſſerit Plato in Timæo de ea morte, quæ in nobis contingit humido radicali paulatim extincto ſine vlla vi morbi,aut alterius qualitatis cōtrariæ aduenięntis. Similiaque ſcribit Seneca lib.4.cap.30.& lib.11. cap.78.

Violentum quid.

Cōfirmatur concluſio.

33. Dico tertiò. Stat⁹ ſeparationis eſt animæ rationali præter naturam. Non enim eſt naturalis,nō violentus,non ſupernaturalis; ergo eſt præternaturalis, cùm aliud non reſtet. Et ita intellgendus eſt D.Thomas 4.contra gentes.cap. 76.& 1.p.q,118.art.3. quando hūc ſtatum vocat cōtra naturā:ſolùm enim vult nō eſſe ex inclinatione naturali ipſius animæ:ſicut motus circularis reſpectu ignis non eſt ipſi connaturalis, ſed præternaturalis,vt ipſe ſe explicat ſupra, & plurib⁹ alijs in locis. Aliqui tamen dicunt hunc ſtatum eſſe ani-

Eſt tamen præter naturam.

Digitized by Google

Aliorum opinio.

mæ naturalem, quaſi ſecundariò; quia eſt de ſe forma immortalis, ac perpetua, & ideo etiam ſepa rata à corpore poſtulat de ſe cõſeruari in eo ſtatu ſeparationis. Deinde, quia cùm ſit forma cor poris corruptibilis non poteſt ei naturaliter vniri modo indiſſolubili.

Vtrùm anima appetat vnionem ad corpus.

34. Atque hinc colliges ſolutionem alterius quæſtionis, quæ petit, vtrùm anima in ſtatu ſeparationis appetat appetitu innato, & elicito vnionem ad corpus? Reſpondetur enim affirmatiuè; nam cùm actualis vnio animæ cũ materia ſit perfectio ipſi⁹ animæ, & ipſa de ſe ſit forma corporis, habeatque voluntatem, ſeu appetitum rationalem, rectè poteſt appetere etiam appetitu elicito ſuam naturalem perfectionem. Imó cùm ad appetitum rationalem ſpectet appetere bonum totius compoſiti rationalis, etiam ſi actualis vnio formæ ad corpus non eſſet perfectio ipſius formæ præ ciſè, adhuc ipſa forma rationalis appeteret actualem vnionem cũ corpore, quia erat bonum totius

Obiectio.

35. Dices. Si anima rationalis appeteret vniri corpori, hic appetitus abiret in infinitum, quia cùm omnis vnio ad corpus natutali modo facta ſit diſſolubilis, quælibet vnio diſſolueretur, & illa diſſoluta appeteret anima rationalis aliam, & hac diſſoluta aliam, & ſic in infinitum: ſed hoc non videtur dicendum; ergo nõ habet anima talem appetitum.

Solutio.

Reſpondetur animam non appetere ſimul plures, aut infinitas vniones. Quód autem, vna diſſoluta appetat aliam, nullum eſt inconueniens: ſicut nullum eſt, ſi lapis ſurſum proiectus iterum, atque iterum deſcendat.

Occurritur alijs obiectionibus.

36. Quamuis autem anima in ſtatu ſeparato meliùs, & expediti⁹ cognoſcat, & ſine magno labore, id non tollit, quominùs habeat appetitum ad ſuum naturalem ſtatum; quamuis enim iſta cognitio, quam habet in ſtatu vnionis ſit imperfecta, & habeat adiunctũ aliquem laborẽ, tamen hæc cognitio ita ſumpta eſt magis connaturalis ipſi animæ, quàm ſit cognitio habita in ſtatu ſeparato; non enim res fertur ſemper appetitu innato in melius, ſed in illud, quod ipſi eſt magis connaturale, quamuis in eo genere ſit aliquid perfectius Item quamuis reſurrectio ſit actio ſupernaturalis quoad modum, tamen natu rali appetitu poteſt appeti àb anima, ſicut viſus appetitur à cæco.

Obiectio, & ſolutio illius.

37. Obijcies Si anima ſeparata haberet hunc appetitum naturalem, pateretur perpetuam violentiam, ſed hoc non eſt dicendum; ergo nec illud vnde ſequitur. Reſpondetur tamen violentiam ſolùm dari, quãdo res effectiuè reſiſtit illi ſtatui, quem habet: anima verò non reſiſtit effectiuè illi ſtatui, & ideo non patitur violentiam. Quód autem anima per vnionẽ ad corpus impediatur ab aliquib⁹ actionib⁹, quas extra corpus expeditiùs exercet, hoc non tollit naturalẽ inclinationem ad ipſum corpus, vt iam ex dictis conſtat

38. Obijcies ſecundò. Si anima

Reſurrectio an ſit naturaliter cognoſcibilis.

ſeparata haberet naturalem appetitum ad corpus, iam reſurrectio foret naturali lumine cognoſcibilis; ſed hæc ſola fide cognoſcitur; ergo non datur talis appetit⁹ in anima ſeparata. Reſpondetur tamen reſurrectionem hominis naturaliter non deberi ipſi homini, ſicut nec viſus debetur cæco poſtquam illũ ſemel amiſit. Hoc tamen non tollit, quominùs appetatur appetitu naturali. Quòd autẽ ſit poſsibilis reſurrectio hominum euidentibus ferè rationibus demonſtrari poteſt. Quòd autẽ de facto ſit exhibenda, ſolũ conſtat certò fidelibus ex diuina reuelatione; ex ratione tamen naturali conſtare non poteſt; etiãſi ad hoc aliquæ probabiles coniecturæ poſsint inueniri.

DE PRINCIPIIS, PER QVÆ Anima ſeparata cognoſcit.

QVÆSTIO II.

Vtrùm potentiæ cognoſcentes dentur in anima ſeparata?

CAPVT I.

1. Omnes potentias cognoſcẽtes, & appetẽtes comitari animã hinc abeuntem tenuere conſequẽter illi, qui ſolũ virtualiter ipſas diſtinguunt ab animæ ſubſtãtia. Quia tamẽ horũ Autorũ opinionem iam ſupra reiecimus aſſerendo potentias animæ diſtingui realiter ab ipſa, ideo in præſenti etiam aſſerimus poſse potentias aliquas ſeparari ab ipſa, vel ſaltem deſinere quando anima à corpore ſeparatur.

Potentiæ aliquæ poſſunt ab anima ſeparari.

2. Aſſerimus ſecundò omnes potentias materiales, quãuis immediatè, & effectiuè manent ab anima, ſi tamen recipiuntur in organo corporeo quando anima ſeparatur à corpore extingui, ac deſinere. Et ratio eſt, quia tales potentiæ ſunt corporeæ; ergo naturaliter non poſsunt in anima ſubiectari, neque cum illa diſcedere quoad ſuum formale eſſe. Deinde materia vt ſuſtentet has potentias homini proprias, neceſſe eſt, vt ĩformetur per formã hominis, quia, iuxta probabiliorẽ opinionẽ pẽdẽt iſtæ potẽtiæ vitales ab eſſẽtiali vita perpetua quadam emanatione; ergo abeunte forma rationali non poſſunt perſeuerare potentiæ materiales ipſius hominis cum forma cadaueris, vt experientia oſtẽdit; ergo pereũt.

Potentiæ materiales pereunt quãdo anima ſeparatur.

3. Quòd autem illæ potentiæ ſint materiales, oſtenditur primò ex ſubiecto, in quo recipiuntur. Deinde ex obiecto, in quod tendunt

Probatur dari in homine potẽtias materiales.

tendunt, quod eſt tantùm ſingulare materiale. Tertiò ex modo tendendi in obiecta, & ex actibus ipſis, qui ſunt imperfecti. Quartò, quia iſtæ potentiæ in homine, & in brutis, iuxta probabiliorem opinionem, ſunt eiuſdem ſpeciei; ſed in brutis ſunt materiales; ergo etiam in homine.

Potentiæ ſpirituales comitãtur animam ſeparatam.

4. Dico tertiò. Potentiæ ſpirituales, quæ immediatè in anima rationali ſubiectantur, ſimul cum anima recedũt à corpore, & eam comitantur. Hæc eſt omnium cõmunis, & patet, quia anima rationalis eſt ipſa vita ſubſtantialis, & ſubſtantia ſubſtantialiter viuens; ergo debet habere ſecum aliquas potentias vitales, per quas accidentaliter viuat: ſed non poteſt habere potentias materiales, & corporeas; ergo habebit ſaltem ſpirituales, quales ſũt intellectus, potẽtia volitiua, & motiua. Deinde Animæ beatæ in patria, etiam antequam corporibus reuniantur, vident clarè Deum, ac ipſum amant, & ad diuerſa loca mouentur. Similiter animæ, quæ apud inferos puniũtur, ſuam miſeriam agnoſcunt; alioqui nullam ſubirent pænam; ergo omnes animæ ſeparatæ ſecum deferunt has tres potentias, nempe intellectum, & voluntatem, ac potentiam motiuam.

5. Atque ex dictis colliges neque phantaſiam, neque ſenſum communem, neque ſenſus externos diſcedere cum anima, ſed ad illius ſeparationem extingui in corpore, quia omnes ſunt potentiæ materiales. De intellectu agẽte, ſi à patiẽte ponatur diſtinctus, poteſt eſſe dubium, an animam comitetur. Et ratio pro parte negatiua eſſe poteſt, quia anima ſeparata non acquirit iam ſpecies rerum per ſenſus, ac proinde nec ex opera intellectus agentis; ergo otioſus erit in eo ſtatu talis intellectus.

Intellectus agens an comitetur animam.

Probabiliùs tamen eſt etiam hunc intellectum comitari animam, quia eſt perfectio ipſius animæ, & cùm anima adhuc in eo ſtatu appetat vnionem ad corpus, & ſit vera forma corporis, ſaltem aptitudinaliter, debet ſeruare ea omnia, quæ ad tale munus ſunt neceſſaria ex parte ipſius formæ, quamuis pro eo ſtatu ſeparationis intellectus agens non inſeruiat ad aliquam operationẽ.

Probabiliùs affirmatur.

9. Dices. Potẽtiæ materiales eodem modo emanant ab anima rationali, quo emanãt potẽtiæ ſpirituales; ergo ſi potẽtiæ ſpirituales comitantur animã, etiam materiales ipſam comitabuntur. Reſpõdetur negato antecedente: nam potentiæ materiales emanant per actionem tranſeuntem, & recipiuntur in materia; at verò potẽtiæ ſpirituales emanant per actionem immanentẽ, & recipiuntur in ipſa ſubſtantia animæ.

Potentiæ ſpirituales aliter emanant ab anima, atq; materiales.

Inſtabis. Criſtus Dominus loquens de tormentis quæ animæ patiuntur apud inferos docuit, ibi *futurũ fletũ, & dentium ſtridorẽ*, & ſimilia, quæ indicant potentias ſenſitiuas; ergo animæ damnatorum ſecũ deferunt has potentias.

Inſtantia.

Reſpõdetur Chriſtum Dominum ibi vel loqui de tormentis, quæ erunt poſt diem iudicij, quãdo animæ ſimul cum corporibus ibi erunt, vel, ſi loquatur de ſupplicio animarum

Inſtantiæ ſolutio.

ante

ante diem iudicij, eſſe intelligendum per metaphoram, ita vt fletus nomine intelligatur vehemẽs quædam triſtitia, ac mæror animorum. Per dentium verò ſtridorem inteſtinum odium, quod in damnatis animabus ardet. Et iuxta hunc dicendi modum explicandi ſunt Theologi quando dicunt animas ſeparatas apud inferos torqueri, non ſolùm pœna damni, ſed etiam pœna ſenſus.

Vtrùm habitus naturales noſtris actibus acquiſiti in hac vita, & ſpecies intelligibiles comitentur animam ſeparatam?

CAPVT II.

Varij habitus, qui in hac vita acquiruntur.

7. HAbit⁹, quos anima noſtra in hac vita acquirit, multiplices ſunt: quidam enim ſunt habitus virtutum, alij vitiorum, quidam erronei, alij ſcientifici, quidam euidentes, alij ineuidentes, quidam perficiũt ſimpliciter ipſam animam, & potentias illius; alij tantùm ſecundùm quid. Tandem aliqui ſolùm in hac vita habent proprium obiectum, alij tam in hac vita, quàm in ſtatu ſeparationis. Quia tamen per omnes hos habitus longum eſſet diſcurrere, ideo proponemus generalẽ doctrinam, & poſtea colligemus inde aliqua in particulari.

Prima concluſio.

8. Dico igitur primò. In anima ſeparata inueniuntur omnes habit⁹ ſpirituales, quos acquiſiuit in hac vita, præter illos, quos in ipſo ſeparationis inſtanti abiecit per contrarios habitus, & actus, quos elicuit. Loquimur autem de anima ſeparata naturaliter ſpectata, & de habitibus naturalibus. In quo ſenſu eſt concluſio communis, & patet, quia habitus nõ pẽdent in conſeruari effectiuè ab ipſa anima, ſed tantùm vt à cauſa materiali, & poſtquam producuntur non poſſunt corrumpi, niſi à contrario habitu; ergo dũ contrarius habitus non aduenerit, perſeuerant habitus præjacẽtes in ſuo eſſe, cùm non habeant à quo corrumpantur.

Poteſt anima ſeparata deperdere aliquos habitus per habitus contrarios.

9. Quód autem in eo inſtanti ſeparationis poſsint corrumpi aliqui habitus præjacentes probatur, quia in eo inſtanti poteſt anima cognoſcere euidẽter multa obiecta, circa quæ, dum erat in corpore, habebat habitus erroris, vel opinionis, aut fidei tantùm humanæ; ergo per iſtos actus poterit in ſe generare habitus contrarios præiacentibus, illoſque expellere. Quód ſi hoc totum nõ poſsit efficere in primo inſtanti ſeparationis, poterit per ſubſequentes actus euidentes in ſe generare habitus euidentes, & per hos habitus expellere contrarios; præſertim ſi admittamus naturales habitus in ſubſtantijs ſeparatis. Imò quamuis in angelis illos non admittamus circa obiecta naturalia, adhuc poſſumus illos admittere in anima ſeparata, quia eſt ſubſtantia imperfectior, & habet imperfectiorem modum cognoſcendi, & tendendi in obiecta.

10. Atque hinc colliges primò

Quos habitus ſecum deferat anima ſeparata.

animã deferre ſecum omnes habitus ſcientificos, quos in hac vita acquiſiuit, & omnes habitus virtutũ naturaliũ, & moralium, quos comparauit. Tertiò omnes habitus vitiorum: cum hoc tamẽ diſcrimine, quòd illi habitus virtutũ, aut vitiorum, qui ſuos actus exercere non poſſunt ſine corpore, vt eſt habitus intemperantiæ, actualiter non inclinent ipſam animã ſeparatam ad proprios actus, quos ipſa non poteſt exercere ſine corpore: reliqui verò habitus maximè. Colliges ſecundò poſſe animã ſeparatã in ipſo inſtanti ſeparationis, vel etiam poſtea amittere habitus erroneos, vel opinatiuos, quos in vita habebat circa aliqua obiecta, quæ in ipſo ſtatu ſeparationis cognoſcit euidenter, & antea cum eâdem euidentia nõ cognoſcebat. Colliges tertiò animam ſeparatam per ſuos actus in ſtatu ſeparationis elicitos poſſe intendere habitus, quos hinc defert, vel alios de nouo cõparare.

Secunda concluſio.

11. Dico ſecundò. Species intelligibiles, quas anima in corpore acquiſiuit, comitantur ipſam in ſtatu ſeparationis. Hæc eſt omnium communis, & patet, quia iſtæ ſpecies, licèt pendeant in fieri à phantaſmatibus, & ab intellectu agente, vel patiente, non pẽdent in conſeruatione effectiua, ſed poſtquam ſemel producuntur ſemper manent; præſertim, quia non habent contrarium, à quo corrumpantur: nec enim ſpecies intelligibilis repræſentans album contrariatur ſpeciei repræſentãti nigrũ; ergo poſtquám ſemel producuntur in intellectu, cùm intellectus ſit ſubiectum proximũ incorruptibile, & immortale, etiam ſpecies intelligibiles, quas anima acquirit in hac vita, tales erunt. Deinde probatur, quia animæ ſeparatæ recordantur præteritarũ rerum, quas geſſerunt in hac vita; ergo per ſpecies memoratiuas, quas hinc ſecum deferunt.

Quæſtiones duæ ad Theologos ſpectantes.

12. Vtrùm verò animæ damnatorum in pœnam deperdant omnes habitus virtutum, etiam naturalium, quos acquiſierunt, quæſtio eſt ad Theologos ſpectans, ſicut etiam illa, quæ petit vtrùm animæ beatæ, vel beatificandæ ex diuina, & ſupernaturali Dei prouidentia debeant exuere omnes habitus vitioſos, & ineuidentes, quos in diſceſſu fortaſſe habuerunt. In qua quæſtione pars affirmans videtur omnino certa; quia perfectio illius ſtatus beatifici exigit omnem puritatem, & ideo ab illo exulat omnis vmbra mali, vt latiùs docent Theologi; præſertim, quia tales habitus videntur pugnare cum beatifica viſione, & amore beatifico. Vnde etiam communis ſententia eſt in beatis non manere habitus noſtræ Theologiæ ſupernaturalis, quia ſunt ineuidentes, & pugnãt cum ipſa viſione beata. Quamuis alij aliter dicant.

Vtrùm Anima ſeparata præter ſpecies, quas hinc defert, alias de nouo acquirat?

CAPVT III.

13. ANima ſeparata in eo ſtatu ſeparationis multa alia cognoſcit, quæ in hac vita non cognoſcebat, ſaltē euidēter, & clarè, cùm enim animæ ſeparatæ inter ſe, & cum Angelis habeant communem ſocietatem, ſine dubio multa cognoſcent, quæ ad talem ſocietatem, & rempublicam ſpectabunt, & in hac vita non cognouerunt. Deinde. Cognitio harum rerum non deber eſſe confuſa, & in alio, ſed clara, & de rebus vt ſunt: ergo debet fieri in animabus ſeparatis per proprias ſpecies, & non ſufficiunt illæ, quas hinc deferunt. Vnde communis ſententia eſt animam ſeparatam præter ſpecies hinc exportatas nouis alijs ſpeciebus conſignari.

Anima ſeparata cognoſcit multa, quæ hic non cognoſcebat.

Ideo nouis ſpeciebus conſignantur.

14. Dubium tamen eſt, quænā ſit cauſa efficiens harum nouarum ſpecierum: quidam enim aſſerunt has ſpecies fluere immediatè à ſubſtantia animæ rationalis, & idem tenent de ſpeciebus conceſsis Angelo in ſua prima creatione: putant enim emanare immediatè ab ipſa ſubſtantia Angeli, vel ab intellectu eiuſdem. Hæc tamen ſententia ex eo refellitur, quia ſi ſpecies emanarent à ſubſtantia animæ, vel ab intellectu per modum proprietatum, nō eſſet maior ratio, cur emanarent ſpecies harum rerum, & non omnium poſsibilium, ac proinde iam anima ſeparata cognoſceret omnia poſsibilia naturaliter, clarè, & diſtinctè: nam fluxus ille ſpecierum ab anima, cùm eſſet naturalis, non poſſet naturaliter impediri, & ſi alio modo impediretur, fieret animæ violentia. Secundò probatur, quia ſi hoc ita ſe haberet, iam anima ſeparata comprehendens ſe ipſam poſſet in ſe naturaliter cognoſcere omnia poſsibilia, & videre omnes ſpecies rerum, quæ ab illa per modum proprietatum poſſunt emanare, ſed hoc eſt falſum, & abſurdum, ergo & illud.

Quæ ſit cauſa efficiens harum ſpecierum.

15. Thomiſtæ igitur, duce ſancto Thoma 1. p. q. 89. artic. 1. & 2. contra gentes cap. 96. aſſerunt animam ſeparatam accipere à Deo has ſpecies vt à cauſa efficiente. Et probant primò, quia ſpecies, quas anima rationalis ſeparata comparat de nouo, non fluunt ab eſſentia ipſius animæ: non etiam acquiruntur medijs ſenſibus; ergo nulla alia ſupereſt cauſa effectiua harum ſpecierum, niſi ſolus Deus, vt Auctor naturæ eſt. Antecedēs quoad primam partem iam proximè probatum eſt; quoad ſecundam verò partem probatur, quia obiecta materialia ex ſe non mittūt, niſi ſpecies materiales nimiùm craſſas, idque in aliqua certa diſtantia, & cum alijs ſimilibus conditionibus, quibus animæ rationales ſeparatæ non poſſunt addici: alioqui non cognoſcerent ſonum in qualibet diſtantia, aut colores in tenebris; ergo non accipiunt ſpecies ab obiectis: præſertim, quia in ſtatu ſeparato nullos habent ſenſus: obiecta verò materialia mittunt primò immediatè ſuas ſpecies in ſenſus externos, & non in potentias ſpirituales. Obiecta verò ſpiritualia

Opinio Thomiſtarū, & rationibus probatur.

ritualia nullas ex ſe fundunt ſpecies ad extra, cùm nihil ad extra poſsint producere, niſi motum localem, vt eſt communis Philoſophorum, ac Theologorum ſenſus.

Opinio Scotiſtarũ aſſerit animam ſeparatam accipere ſpecies à rebus.

16. His non obſtantibus familia Scoti in 4.d.45.q. 2. cum ſuo duce arbitratur animam ſeparatam accipere plures ſpecies ab obiectis mediante intellectu agẽte, quem admittunt tam in Angelis, quàm in anima ſeparata. Quo ſuppoſito ita probat ſuam ſententiam. Potentiæ animæ ſeparatæ in ſtatu ſeparationis meliùs, ac perfectiùs exercent ſuas operationes, vt patet in intellectu poſsibili, voluntate, & potentia motrice; ſed anima defert ſecum intellectum agentem, vt ſupra diximus probabiliùs; ergo etiam ipſe intellectus agens perfectiùs, ac meliùs exercebit ſuum munus, quod eſt conficere ſpecies intelligibiles; ac proinde cùm ſit in ſtatu magis libero, non egebit coniunctione cum phantaſmatibus, ſed ſufficiet coniunctio cum ſpecie materiali immediatè facta ab obiecto.

17. Et confirmatur: nam ea, quæ nimiùm diſtant ab anima ſeparata naturaliter non cognoſcuntur ab ipſius intellectu; ergo hoc ideo fit, quia intellectus agens non habet principium iuuãs ad efficiendam ſpeciem intelligibilem. Illa verò, quæ ſunt in diſtantia conuenienti omnia cognoſcuntur ab anima ſeparata: ergo ſignum eſt, quòd ſaltem aliquas ſpecies accipiat ab obiectis mediante intellectu agente. Tandem, quia non bene intelligitur, quomodo anima ſtatim in ipſo ſeparationis momento accipiat ſpecies omnium rerum naturalium, quas in perpetuum cognoſcet, & tamen non poſsit eaſdem res ſtatim cognoſcere vbiprimum accipit ſpecies; ergo non illas accipit ſtatim, ſed decurſu temporis haurit ſpecies ab obiectis, præſertim materialibus: nam de obiectis ſpiritualibus probabilius eſt eas accipere á Deo, vel ſtatim quando ſeparatur, vel quando tale obiectum eſt cognoſcendum.

Fertur iudicium de opinione Scoti.

18. Hæc ſententia Scoti ita explicata eſt probabilis, & ſoluit facilè præcipuam difficultatẽ, quæ contra ſententiam Thomiſtarum ſolet obijci, quæ eſt hoc vltimum fundamentum, quod vltimo loco propoſuimus. Verùm incurrit in alias difficultates, quas propoſuimus probando ſententiã Thomiſtarum, & in ea latitudine in qua aſſeritur ab Scoto probari nõ poteſt: nam ipſe docet animam ſaparatam accipere ſpecies ab obiectis etiam remotiſsimis, cùm tamen certum ſit agentia naturalia non poſſe agere in quãcumque diſtantiam, vt iam ſupra tractatu primo, quæſtione ſexta, capite quinto, numero vigeſimo nono docuimus.

Approbatur opinio ſancti Thomæ, & ſoluitur præcipua ratio Scoti.

19. Sententia igitur S. Thomæ eſt probabilior, & ex eius fundamentis facilè poſſunt euerti rationes Scoti. Quamuis vltima aliquantulùm vrgeat, & variæ ſolutiones ei adhibeantur, quarum nulla videtur plenè ſatisfacere. Solùm ergo proponam pro-

babiliores ſolutiones. Prima aſſerit omnes ſpecies rerum, quas Angelus, vel anima ſeparata ſolùm cognoſcet abſtractiuè, ſtatim á principio ei infundi; ſpecies verò aliorum obiectorum, quæ cognoſcet intuitiuè, & quæ aliquando exiſtent, & cognoſcentur intuitiuè, non ſtatim infundi, ſed tunc quando occaſio poſtulabit. Vnde etiam ſpecies repræſentantes futura contingentia, quæ Angelus, vel anima rationalis cognoſcet, vel naturaliter, vel ex locutione alterius, eidē animæ, vel Angelo ſucceſsiuè infunduntur.

Prima ſolutio.

20. Alia reſponſio eſt omnes ſpecies rerum, quas Angelus, vel anima ſeparata aliquando cognoſcet ipſis infundi ſtatim in pūcto creationis, vel ſeparationis: & tamen per illas non cognoſcere de facto res futuras quatenus futuras, quia tales ſpecies, vt repræſentent actualiter ſua obiecta vt exiſtentia, requirunt eorūdem exiſtentiam vt conditionē, ſine qua repræſentare non poſſunt actualiter. Tertia ſolutio aſſerit ſpeciem intelligibilem alicuius obiecti futuri non repræſentare quaſi complexè rem eſſe, vel futuram eſſe, ſed ſimpliciter repræſentare illam. Et ita ex vi ſpeciei ſolùm cognoſcitur res repræſentata ſimplici cognitione. Vnde ſi res non exiſtit ſolùm cognoſcitur incomplexè per ſpeciem rei eſſentia, & exiſtentia, vt poſsibilis in hoc, vel illo tempore. An verò in aliquo tēpore futura ſit, nec ex vi ſpeciei repræſentatur, nec in ipſo obiecto apparet quamdiu actu non eſt. Poſtquam verò res iam exiſtit habet in ſe intrinſecè actualem exiſtentiam, quæ videri poteſt, & ideo eadem ſpecies, quæ de ſe repræſentat rem indifferenter, eſt ſufficiens principium illius actus, quo res videtur exiſtens, quia actus ipſe cognoſcendi, quando terminatur ad rem, inuenit illam actu exiſtentem, & ad illam vt ſic terminatur, & in ea videt determinationem cauſæ, quæ talem rem contingenter iam produxit.

Secunda

Tertia.

21. Quarta ſolutio, & fortaſſe aptior, & quæ magis explicat præcedentem, eſt ſi dicamus ſpeciem, quæ in ſeparatione infunditur animæ ſeparatæ de re futura non repræſentare illam potiùs vt præſentem, quàm vt futurā, aut præteritam, ſed vt abſtrahentem ab hac temporum differentia, exprimere tamen rem ſub eſſe exiſtentiæ, non verò exiſtentiam cum re connexam pro tempore futuro. Quando autem res exiſtit actualiter, & verum eſt dicere rem iam habere actualem exiſtētiam, tunc lumen intellectus cum ſpecie terminorum eſt potens cognoſcere actualem, & contingentem conueniētiam, & connexionem, quæ datur inter prædicatū, & ſubiectum, ſeu determinatam veritatem propoſitionis contingentis, quæ eſt veritas complexa, & non eget aliqua ſpecie, per quam repræſentetur habitualiter, ſed ſufficit ſpecies repræſentans ſimpliciter extrema cum lumine intellectus, quod eſt potens per ſpecies termi-

Quarta ſolutio aptior.

norum

notum ſimplicium cognoſcere connexionem, quæ datur, vel non datur inter ipſos terminos. Et ideo quamdiu non datur con nexio contingens, & actualis nō poteſt lumen intellectus talem connexionem attingere : illa verò data iam poterit cognoſcere rem contingenter exiſtere, quia iam datur veritas propoſitionis contingentis.

DE ACTV, ET OBIECTO COGnitionis Animæ ſeparatæ.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Anima ſeparata actualiter cognoſcat, & quomodo?

CAPVT I.

Animæ beatæ habēt actualē cognitionem.

1. ANimam ſeparatam habere cognitionē actualem, ſi eſt beata, eſt certum de fide, quia cognoſcit Deum, in qua cognitione cōſiſtit tota animæ beatitudo, vel ſaltem ſine illa non poteſt conſiſtere. Loquimur ergo de anima ſeparata naturaliter ſpectata, & inquirimus, vtrùm habeat aliquos actus cognitionis? In quo dubio pars affirmans eſt omnino certa: nemo enim credet animas ſeparatas perpetuó otiari, ac veluti torpere. Deinde vnumquodque eſt propter ſuam operationem, ſed anima ſeparata habet potentiam intelligendi, & ſpecies intelligibiles, omniaque principia, vt actualiter poſſit intelligere; ergo intelligit.

Anima ſeparata cognoſcit actualiter.

Tertiò. Anima rationalis mouetur localiter à ſe ipſa, ſed ad hūc motum debet præcedere cognitio in intellectu; ergo &c. Vtrùm verò actuale intelligere competat animæ in eo ſtatu naturaliter, an præter naturam, quæſtio eſt de nomine.

2. Ego potiùs dicerem ſuppoſito eo ſtatu conuenire illi naturaliter intelligere. Imò in omni ſtatu naturaliter illi conuenit intelligere, quia eſt forma intellectiua, & eam naturaliter comitantur principia omnia intelligendi. Vtrùm etiam anima in eo ſtatu intelligat *vt quod*, vel *vt quo*, parùm refert ad præſentem quæſtionem. Certum etiam eſt animam ſeparatam per ſpecies memoratiuas, quas hinc ſecū defert, & in ſtatu ſeparationis poteſt acquirere, poſſe etiam elicere actus recordatiuos, ſeu memoratiuos, vt etiam de Angelis dicunt communiter Theologi.

In omni ſtatu conuenit animæ intelligere.

Poteſt anima ſeparata elicere actus memoratiuos

3. Petet tamen aliquis, vtrùm anima ſeparata cognoſcat cum diſcurſu, an ſine formali diſcurſu:

An cognoſcat per diſcurſum variæ ſententiæ.

ſi accedat obiectum, quod in hac vita non poterat cognoſcere, niſi per diſcurſum? Qui ponunt intellectum noſtrum eſſe eiuſdem ſpeciei cum intellectu Angelico, conſequenter aſſerunt animas ſeparatas non cognoſcere per diſcurſum ea obiecta, quæ Angelus cognoſcit ſine diſcurſu, quia intellectus animæ ſeparatæ habet tantum luminis in hac opinione, quantum habet intellectus Angelicus. Alij veró aſſerunt animã ſeparatam componere quidem, ac diuidere circa obiecta naturalia, non tamen diſcurrere. Caietanus 1.p.quæſt.89 art.5. Richardus 3.diſt 31.in 3.principali.quæſt. 1. & citatur etiã S.Thom. q. 24. veritate artic.11. & 3.contra gent. cap.8.(quatenus aſſerit animam extra corpus intelligere more Angelorum) exiſtimant animam ſeparatam non componere, neq; diſcurrere.

Reſoluitur quæſtio.

4. Quia tamen probabiliùs iudicamus intellectum noſtrũ eſſe multò imperfectiorem Angelico, etiam probabilius ducimus animas ſeparatas circa naturalia etiã obiecta, & naturali modo cognita frequenter diſcurrere; quamuis multa alia cognoſcant in eo ſtatu ſine diſcurſu, quæ dum erãt vnitæ corpori ſine diſcurſu cognoſcere non poterant. Prima huius reſolutionis pars ex eo probatur, quia modus, quo anima rationalis tendit in obiecta per intellectum, eſt magis imperfectus, quàm ille, quo tendit Angelus, cùm etiam intellectus noſtræ animæ ſit imperfectior; ſed intellectus Angelicus tendit in obiecta naturalia ſine formali diſcurſu; ergo anima tendet in eadem obiecta cum diſcurſu; & in hoc apparebit minor perfectio animæ ſeparatæ, & intellectus illius. Secunda pars ex eo probatur, quia anima dum eſt in corpore impeditur, ne circa aliqua obiecta eliciat cognitionem ita perfectam, vt poſſet elicere, ſi non eſſet corpori vnita; ergo dum eſt in corpore cognoſcit per diſcurſum aliqua obiecta, quæ ſine illo poſſet cognoſcere, ſi eſſet libera à corpore, & remotis impedimentis.

Probatur ratione.

Anima ſeparata elicit perfectiores cognitiones.

5. Atque hinc oritur ſecunda dubitatio, quæ petit, vtrùm anima vtendo iiſdem ſpeciebus in hac vita, & in ſtatu ſeparato eliciat nobiliores, & perfectiores cognitiones quando eſt libera á corpore, quàm dum eſt corpori coniuncta? Reſpondetur probabiliùs affirmatiué, quia in eo ſtatu eſt lumen intellectus maximè expeditum, & poteſt vti perfectiùs ſpeciebus acquiſitis. Dubitabit tamen aliquis, vtrùm perfectiùs intelligat per ſpecies à Deo acceptas, an per acquiſitas? Reſpõdetur meliùs, & diſtinctiùs cognoſcere per ſpecies à Deo acceptas; quæ ſicut habent perfectiorem cauſam, ita in ſe ſunt perfectiores, & clariùs, ac diſtinctiùs ſua obiecta repræſentant.

Vtrùm anima vel angelus ceſſet aliquando à propria ſui cognitione.

6. Tertia dubitatio eſt, vtrùm anima ſeparata ſẽper ſit in actuali cognitione ſui ipſius, vel alteriꝰ obiecti à ſe diuerſi? Quã quæſtionẽ ſolẽt tractare Theol. in materia de Angelis 1.p. & alibi ſæpè. Et aliqui affirmant probabiliter Angelum nunquam ceſſare ab

actuali cognitione ſuæ eſſentiæ Quod pari ratione dici poteſt de anima ſeparata: præſertim cùm non fatigetur ex actuali contemplatione ſui, imò potiùs delectetur. Alij aſſerunt poſſe Angelũ, & animam rationalem per aliquod tempus á ſui cognitione feriari, quia cùm ſit agens liberum, & à nullo obiecto creato poſsit neceſsitari, poterit voluntas intellectui imperare, vt relicta actuali cognitione ſui cogitet de alijs obiectis maximè diuerſis, & in tanta multitudine, vt non ſuperſit virtus in intellectu ad cogitandum de ſe ipſo, neque de ſubſtantia animæ, vel Angeli. Nunquam tamen poterit anima ſeparata, vel Angelus ab omni prorſus cognitione ceſſare, quia cùm ſint ſubſtantiæ viuentes debent actualiter viuere per ſuos actus.

Per quas ſpecies fiãt actus memoratiui in anima ſeparata.

7. De actibus recordatiuis iam ſupra diximus poſſe dari in anima ſeparata, idque per ſpecies memoratiuas, quas hinc deferunt, vel per alias, quas acquirunt per proprios actus, vt etiam de Angelis tenet probabilior ſententia Theologorum: cognoſcit enim Angelus res præteritas per ſpecies memoratiuas relictas ex actibus cognoſcitiuis iam præteritis. Et iſtæ ſpecies non ſunt à Deo inditæ Angelis in prima creatione, ſed ſunt acquiſitæ, & immediatè, ac primariò repræſentant actus præteritos, per quos Angeli cognouerunt primò rem exiſtentem.

(∴)

Quæ obiecta poſsit anima ſeparata naturaliter cognoſcere?

CAPVT II.

Obiecta intellectus ſũt in multiplici ordine.

8. INter materialia obiecta intellectus quædam ſunt entia naturalia õnibus modis: quæda omnibus modis ſupernaturalia: quædã veluti media, quæ dicũtur etiã ſupernaturalia quoad modum, quia ſcilicet in entitate ſunt naturalia, non tamen poſ ſunt produci naturali modo, nec per cauſas naturales, ſaltem facta aliqua ſuppoſitione. Addi etiam poſſunt alia entia, quę ſint in ordine morali, vt ſunt actus liberi, & cogitationes cordis De his omnibus generibus entium eſt dubiũ, vtrùm cognoſci poſsint ab anima ſeparata naturaliter.

Prima concluſio.

9. Dico igitur primò. Anima ſeparata poteſt cognoſcere naturaliter omnia obiecta purè naturalia, quæ exiſtunt actualiter, ſaltẽ diuiſiuè Hæc eſt communior, & probabilior ſententia, præſertim loquendo de cognitione naturali angelorum, quia hoc ſpectat ad naturalem perfectionem Angelorum; ſed etiam ſpectat ad naturalem perfectionem animæ ſeparatæ, vt cognoſcat omnia obiecta naturalia, quæ actualiter exiſtunt; ergo non eſt illi denegãdũ quód illa poſsint cognoſcere, ſaltem diuiſiuè. Dixi *ſaltem diuiſiuè*, quia propter ſuam limitatam virtutem non poterit ſimul cognoſ-

cete

cere omnia obiecta etiam natura lia,& actualia: poterit tamen cognoſcere plura per modum pluriū, vel per modum vnius,& omnia ſigillatim,ac ſucceſſiuè per diuerſos actus.

Primum corollariū. 10. Atque hinc colliges primò animam ſeparatam poſſe diſtinctè cognoſcere omnia obiecta ſenſibilia,quorum ſpecies habet acquiſitas,vel à Deo inditas. Verū verò animæ ſeparatæ cognoſcant ea omnia obiecta ſenſibilia, & naturalia omnino, quæ apud nos ſunt,& verùm habeant ſpecies illorum omnium,nobis certò non conſtar, cùm hoc pendeat ex libera voluntate Dei concedentis has ſpecies,& non illas. Certum tamen videtur cōcedi à Deo animę ſeparatę tales ſpecies,per quas ſimul cum naturali lumine poſsit ſine errore iudicare de obiectis ſcientiarum naturalium, quas nos hìccum tanto labore comparamus.

Secundum. 11. Colliges ſecundò animam ſeparatam poſſe cognoſcere ſe ipſam, ſuoſque actus, ac potentias,& habitus perſuammet ſubſtãtiam abſque ſpecie ſui impreſſa: neque enim hoc excedit perfectionem ipſius animæ, quæ etiā in rationę obiecti proportionati eſt ſibi maximè præſens,& ideo non eget ſpecie alia impreſſa,per quam ſe ipſam,ac ſua omnia naturalia cognoſcat. Colliges tertiò vnam animam ſeparatā cognoſcere alias animas clarè, & diſtinctè, non per ſuam ſubſtantiam, nec per ſubſtantias earumdem, ſed per proprias earum eſpecies, quas á Deo accipit, vt etiam dicunt Theologi de Angelis, quatenus aſſerunt vnum angelum cognoſcere alium, vel alios per ipſorum ſpecies,quas à Deo acceperunt omnes Angeli in ſua creatione.

Tertium.

12. Colliges quartò animam ſeparatam cognoſcere clarè,& diſtinctè Angelos,& eorum naturales proprietates,& operationes,ſi cordis cogitationes excipias. Doctrina huius corolarij ſolùm ponitur vt probabilior. Ratio verò eſt,quia animæ ſeparatæ habebūt cum Angelis communem ſocietatem,qualis decet illum ſtatum ſeparationis; ſed ad hanc decentem ſocietatem opus eſt,vt anima ſeparata cognoſcat Angelos, cum quibus loquitur,& verſatur; ergo illos clarè, & diſtinctè cognoſcit; alioqui anima erit veluti cæca in ea nobiliſsima Republica. Neque obſtar,quòd anima ſit inferioris naturæ,quā Angeli; alioqui Angelus inferior non poſſet cognoſcere ſuperiorem,quod eſt falſum. Quod attinet ad obiecta ſupernaturalia Quartum.

Secunda concluſio. 13. Dico ſecundò. Animæ ſeparatæ poſſunt naturaliter cognoſcere euidenter eſſe Deo poſsibilia multa obiecta, quæ omnem vim naturæ creatæ excedant. Et ratio eſt,quia poſſunt cognoſcere naturaliter Deum eſſe omnipotentem, & poſſe condere plura, quàm condidit, & modis diuerſis res producere,quàm naturali ordine producantur, quæſertim quia animæ noſtræ,etiam dū ſunt in corpore, poſſunt hoc naturaliter cognoſcere; ergo á fortiori in ſtatu ſeparationis.

Dico

Tertia concluſio.

14. Dico tertiò. Qualitates ſupernaturales in entitate non poſſunt ab anima ſeparata intuitiuè, aut quidditatiuè naturaliter cognoſci in ſe ipſis, etiam quando exiſtunt. Et ratio eſt, quia intelligibilitas cuiuſque rei eſt proportionata entitati; ſed entitas eſt ſupernaturalis; ergo intelligibilitas talium qualitatum, ſaltem intuitiua, & clara, etiam eſt ſupernaturalis, ac proinde non poteſt naturali lumine diſtinctè percipi. Secundò, quia animæ ſeparatæ non debentur naturaliter ſpecies rerum ſupernaturalium in entitate: ergo non poſſunt illas naturaliter cognoſcere, vt in ſe ſunt.

Quarta concluſio.

15 Dico quartò. Modi in ſua modali entitate ſupernaturales non poſſunt intuitiuè cognoſci naturaliter ab anima ſeparata. Fũdamentum eſt, quia tales modi nõ ſpectant ad naturalem ordinem vniuerſi, & ideo animæ non habent illorum ſpecies. Vnde colliges animam ſeparatam non cognoſcere modum vnionis hypoſtaticæ, neque illum, quo exiſtit Chriſtus Dominus in Euchariſtia, & alios ſimiles modos ſupernaturales in entitate.

Quinta concluſio.

16. Dico quintò. Effectus ordinis naturalis, qui fiunt modo ſupernaturali, verbi gratia, viſus cæco reſtitutus, poſſunt clarè, & intuitiuè cognoſci ab anima ſeparata poſtquam primò fiunt, nõ minùs, quàm ſi fierent modo naturali, ſi anima habeat ſpecies naturales talium effectuum. Quia tales effectus ſimpliciter loquendo non tranſcendunt ordinem obiecti naturalis, cuius cognitio debetur, vel ſaltem eſt poſsibilis in anima ſeparata. Quando autem effectus naturalis in entitate orietur à Deo ſimul, & à cauſa creata eleuata per potentiam obediẽtialem, non eſſet opus, vt talis actio naturaliter cognoſceretur áb anima ſeparata, quia tales actiones non reperiuntur in cauſis merè naturalibus, aut naturaliter operantibus.

Vtrùm anima ſeparata poſsit naturaliter cognoſcere res futuras?

CAPVT III.

17. AGimus hoc loco tantùm de futuris naturalibus, quia de contingentibus patebit inferiùs non poſſe cognoſci certò, & euidenter, etiam quoad an erunt. Futura igitur naturalia ſunt ea, quæ oriuntur à cauſis naturalibus, & naturaliter operantibus, nulla ibi interueniente cauſa libera, quæ tales cauſas impediat à ſua operatione, vel aliò applicet: quales ſunt .v. g. motus cæli cras futurus, eclypſis futura poſt annum, maris acceſſus, & receſſus, aliaque ſimilia. Hæc autem futura vel poſſunt cognoſci ſolũ quoad an erunt, vel poſſunt cognoſci clarè, & diſtinctè in ſe ipſis prout erunt, ac per proprias ſpecies. Cognoſci quoad an erũt eſt cognoſci tales res in tali, vel tali tempore eſſe habituras exiſtentiam, quamuis ipſæ res in ſe clarè,

Futura naturalia quæ ſint.

Dupliciter poſſunt cognoſci.

& diſtin-

& diſtinctè non attingantur. Hoc poſito

18. Dico primò. Intellectus animæ ſeparatæ poteſt naturaliter certò cognoſcere futura naturalia ſaltem quoad an erunt. Hæc eſt omnium communis, & probatur, quia hæc futura neceſſariò emanant á ſuis cauſis naturalibus; ſed cauſæ naturales poſſunt naturaliter cognoſci ab anima ſeparata; ergo etiam poteſt cognoſci, quòd tales effectus ſint producturæ. Et confirmatur: nam eclypſis cras futura oritur à motibus cælorum vt à cauſa neceſſaria; ſed iſte motus cognoſcitur ab anima ſeparata; ergo etiam naturalis effectus, qui inde orietur. Imò poterit anima ſeparata cognoſcere numerū rerum futurarum, quæ ab aliqua cauſa neceſſaria de facto orientur, dummodo non impediatur à cauſa libera, quia cognoſcit ad quantū ſe poſsit extendere virtus actiua cauſæ, ſi non impediatur. Non poterit tamen cognoſcere inter plura poſsibilia, quæ nam de facto ſint producenda, quia hoc non continetur intra limites naturales creati intellectus.

Anima poteſt cognoſcere futura naturalia quoad an erunt.

19. Dico ſecundò. Anima ſeparata non cognoſcit res naturaliter futuras in ſe ipſis clarè, & euidenter, ac intuitiuè per ſpecies proprias dum tales res non exiſtunt. Hæc concluſio eſt cōmunior inter Philoſophos, ac Theologos, qui idem docēt de intellectu Angelico. Non reddunt tamen omnes eamdem rationem: nam Scotus aſſerit ideo non cognoſci res iſtas futuras quandiu non exiſtūt, quia ſolū poſſūt naturaliter cognoſci per ſpecies, quas mittūt in intellectum animæ ſeparatæ, vel Angelicum; ſed res quandiu non exiſtit non poteſt ex ſe mittere hanc ſpeciem; ergo ideo anima ſeparata, vel Angelus nō cognoſcit futurum naturale in ſe ipſo, quia non habet ſpeciem talis futuri.

Non tamē cognoſcit hæc futura in ſe ipſis clarè, & diſtinctè.

Diuerſæ rationes aſsignātur.

20. Alij dicunt intellectum Angelicum, vel animæ ſeparatæ habere quidem à Deo inditas ſpecies horum futurorum, ſed has ſpecies non repræſentare res ipſas vt futuras, ſed tantùm repræſentare res abſolutè, & quaſi abſtractiuè, non verò vt futuras tali, vel tali tempore. Ad hoc verò, vt per illas ſpecies cognoſcantur intuitiuè obiecta requirere exiſtentiam actualiter exercitam vt conditionem ſine qua non cognoſcuntur. Et ratio huius conditionis videtur eſſe, quia ille modus attingēdi futura in ſe ipſis, & per modum exiſtentium in tempore futuro antequam in re ipſa ſint, eſt proprius Dei propter ſuam immutabilitatem, & æternitatem, ratione cuius ſemper habet omnia præſentia, non per realem exiſtentiam rerum, ſed per præſentiā obiectiuam. Vnde ad hunc cognoſcendi modum requiritur vis infinita cognoſcendi, quæ in Angelis, vel in anima ſeparata non datur. ſicut etiam non datur æternitas, aut immutabilitas. Et ita obiectum futurum quatenus futurū dicitur improportionatum intellectui creato, & ſpeciei impreſſæ ipſi inditæ antequam obiectum ſit præſens, quia cognoſcere rem ex ſe non neceſſariam, nec per

Ratio.

aliquod

aliquod medium exiſtentiæ,& attingere illud,quod non eſt,ac ſi iam eſſet,indicat ſublimem quẽdam modum cognoſcendi proprium Dei.

21. Quomodo autem poſsit fieri,vt anima rationalis, vel Angelus à principio habeat ſpecies rerum futurarum ſibi naturaliter inditas,& tamen res ipſas futuras non cognoſcat, iam diximus ſupra quæſtione ſecunda,capite vltimo ſoluendo quandam rationem Scoti, vbi varias ſolutiones adduximus,quæ ibi poſſunt videri. Dices poſſe animam ſeparatã cognoſcere hæc futura quatenus experitur ſe habere ſpecies rerũ, quæ aliquando ſunt futuræ. Reſpondetur hoc imprimìs non eſſe certum; poterit enim anima ſeparata habere ſpecies rerum purè poſsibilium, & tunc non diſcernet inter res, quæ de facto erunt,& inter eas, quæ nunquam erunt. Deinde,quamuis admittatur antecedens,non ſequitur animam habere cognitionem rerum futurarum in ſe ipſis,ſed ad ſummum coniecturalem,& in alio.

Oblectio.

Soluitur.

Vtrùm Anima ſeparata poſsit naturaliter cognoſcere futura contingentia, vel cordis ſecreta?

CAPVT IIII.

22. PRima concluſio. Futura contingentia, ſiue habeãt contingentiam intrinſecã, ſiue extrinſeceam, nõ poſſunt certò,& euidenter cognoſci in ſe ipſis ab anima ſeparata. Hęc eſt omnino certa, & maximè conſona noſtræ fidei. Probatur autem primò,quia in Scriptura paſsim dicitur eſſe proprium Dei hæc futura contingentia cognoſcere, ac præuidere, illaque certò annuntiare. Secundò, quia animæ ſeparatæ non debentur naturaliter ſpecies,quæ repræſentent hæc futura; imò neque etiam Angelis; ergo non poſſunt illa certó cognoſcere naturaliter. Tertiò probatur ex dictis capite præcedente:nam ſi anima ſeparata nõ poteſt clarè,& euidenter cognoſcere futura naturalia in ſe ipſis,à fortiori non poterit cognoſcere cõtingentia,cùm ſint magis recondita. Tandem probatur,quia nullum aliud apparet mediũ naturale,per quod futura contingentia poſsint clarè,& in ſe ipſis cognoſci; cùm neque per ſe, neque ex terminis ſint nota, nec detur ſpecies naturaliter debita, nec teſtimonium aliquod humanum, per quod cognoſcantur. Imò ipſa anima nõ cognoſcet certò eos actus,quos ipſius volũtas eſt operatura,ob eaſdem rationes.

Prima concluſio.

Probatur primò.

Secundò.

Tertiò

Vltimò.

23. Secunda concluſio. Aliqua futura contingẽtia poſſunt aliquo modo cognoſci,ſaltem quoad an erũt,ab anima ſeparata,idque per ſigna aliqua externa,& coniecturas,ſed tamen minori certitudine, quàm futura naturalia. Hæc etiã à nemine negatur, & patet, quia voluntas hominum ſæpius accõmodatur naturali inclinationi appetitus ſenſitiui,& ſequitur naturalem cõplexionẽ; ſed actus appetitus

Secunda concluſio.

petitus

peritus corporei merè naturales, & naturalis cuiuſque hominis cõplexio cognoſcũtur optimè ab intellectu animæ ſeparatæ, & ab intellectu Angelico; ergo ex his tãquã ex ſignis poterit anima cognoſcere quid volũtas creata hominis in tali, vel tali occaſione ſit operatura; nõ tamẽ poterit certò id ſcire, quia volũtas eſt libera, & poſita quacũque inclinatione extrinſeca, adhuc poteſt non operari. Quod aliter accidit in cauſis purè naturalibus.

Cogitationes cordis an poſsint naturaliter ab anima cognoſci.

24. De cogitationibus cordis, ſeu de futuris contingẽtibus, quãdo actualiter exiſtunt, eſt maius dubium, vtrùm poſsint cognoſci ab anima ſeparata, vel etiam ab Angelo abſque cõſenſu illius, qui tales actus cõtingẽtes exercet. Et ratio dubij eſt, quia anima ſeparata videtur habere ſpécies horũ actuũ inditas, quæ vt repræſentẽt actualiter ſolùm requirunt actualem exiſtentiam illorum; ſed tales actus iã exiſtunt, vt ſuppono; ergo poſsunt naturaliter cognoſci ab anima ſeparata, quãuis alia anima, vel homo aut Angelus nolit. Et confirmatur, quia iſti actus contingentes non ſunt præſtantioris entitatis, quàm ſit ipſa ſubſtantia animæ, Angeli, aut hominis, ſed anima ſeparata cognoſcit clarè, & diſtinctè alias animas, & ſubſtantias Angelicas; ergo à fortiori poterit cognoſcere cogitationes cordis, & actus voluntatis quando iam exiſtunt.

Ratio dubij.

Variæ opiniones.

25. Propter hæc fundamenta non defuere aliqui, qui aſſererent Angelos, & animas ſeparatas cognoſcere clarè, & intuitiuè, ſeu euidenter omnia ſecreta cordis, & cogitationes, quæ ſunt in alio Angelo, homine, vel anima. Alij dicunt poſſe quidem has cogitationes naturaliter cognoſci, impediri tamen à Deo naturalem cognitionem earum per ſubſtractionem generalis concurſus, qui non tribuitur, niſi quando v.g. Paulus vult, vt anima Petri intelligat voluntatem Pauli, vel illius cogitationes. Tertiò aſſerũt alij iſtos actus cognoſci quidem naturaliter quoad ſubſtantiam, non tamen cognoſci quoad moralitatem eorum. Alij aliter rem explicant, ſed minùs aptè.

Non poteſt anima naturaliter certò cognoſcere actus liberos alterius.

26. Certum igitur primò eſt non poſſe animam ſeparatam naturaliter cognoſcere certò, & euidenter actum liberum voluntatis creatæ ſine conſenſu, & manifeſtatione alterius, ſed hoc eſſe proprium ſolius Dei. Hæc eſt communiſsima Patrum ſententia, deducitur que ex varijs locis ſacræ paginæ, in quibus Deus dicitur cordium ſcrutator, & cognoſcere ſolus corda hominum. Hinc etiã Patres probant veram diuinitatẽ in Chriſto Domino, quòd ſecreta alieni cordis certò cognoſceret, & aperiret. Hoc ipſum docẽt Theologi cum S.Thom.1.part q. 57.art.4.& alibi ſæpe. Vnde neque etiam intellectui Angelico naturaliter ſpectato concedi poteſt, quòd certò, & euidenter cognoſcat actum liberum voluntatis alienæ creatæ, aut cordis cogitationes. Reddere tamen rationem huius doctrinæ ita eſt difficilè, vt aliqui viri doctiſsimi fateantur humani ingenij tenuitatẽ

Difficilis ratio huius doctrinæ.

Digitized by Google

in ea aſſequenda; addantque non eſſe mirum,quòd ignoremus huiuſce rei cauſam,præſertim in intellectu Angelico,& in anima ſeparata (eſt enim eadem ratio) quia modus cognoſcendi harum ſubſtantiarum eſt maximè á noſtris ſenſibus remotus.

Quæ videatur eſſe germana ratio.

27 Nihilominus germana ratio,ob quam neque anima ſeparata,neque Angelus poſſunt cognoſcere ſecreta cordis alterius, affectus voluntatis, & cogitationes intellectus, eſſe videtur, quia neque anima in inſtanti ſeparationis, neque Angelus in ſua prima creatione acceperunt ſpecies repræſentantes actus voluntatis, aut intellectus alterius creaturæ rationalis, & ideo ſi tales ſpecies ſucceſſu temporis non comparent, vel á Deo accipiãt, non poterunt cognoſcere ſecreta cordis alterius clarè, & in ſe ipſis,quamuis actualiter exiſtant, ſine conſenſu alterius. Et hanc rationem reddit Richardus in ſecundo,diſtinctione octaua, articulo 2. quæſtione 4. Capreolus ibidem quæſtione 1.art.1.Et Soar. tractatu de Angelis lib.2. cap.20.

Angeli, & anima ſeparata non accipiunt naturaliter horũ actuũ ſpecies.

28. Quòd autem anima ſeparata, & Angelus non accipiant naturaliter has ſpecies ſine conſenſu alterius, probatur, quia neque animæ ſeparatæ, neque Angelo debentur naturaliter, niſi illæ ſpecies, quæ repræſentant obiecta purè naturalia, & ordinis naturalis, ſed actus voluntatis creatæ, & intellectus, quos vocamus generali nomine cogitationes cordis, non ſpectant ad ordinem naturalem, ſed reponuntur in ordine morali; ergo non debentur intellectui Angelico, aut animæ ſeparatæ ſpecies repræſentantes prædictos actus, dum alter non vult, vt ſui actus voluntatis, & intellectus manifeſtentur: alioqui orirentur inter rationales creaturas maxima odia, & contentiones. Et confirmatur,quia rationalis creatura naturaliter appetit ſuos actus occultare, præſertim liberos; ergo ſpecies, quæ repræſentant tales actus, non poteſt eſſe connaturalis alteri creaturæ rationali inuito illo, qui eſt dominus actus interni.

An detur inter ipſas animas mutua locutio.

29. Poſſet hoc loco inquiri, ſuppoſito quòd Angeli, & animæ ſeparatæ non cognoſcant clarè, & euidenter cogitationes, & ſecreta cordis in ſe ipſis, vtrùm ſaltem per mutuam inter ſe locutionem poſſint ſibi inuicem ſuos actus liberos,& cogitationes intellectus manifeſtare; & quomodo hæc manifeſtatio fiat inter ipſas animas ſeparatas, vel inter Angelos, vel inter animas, & Angelos, vel etiam inter homines dum ſunt in hac vita, & ipſas animas,vel Angelos. Et ſuppoſita parte affirmante, quæ eſt omnino certa, quatenus aſſerit animas ſeparatas, & Angelos inter ſe mutua habere colloquia, & manifeſtare ſuos conceptus, & actus voluntatis, poſſet inquiri modus, quo iſta locutio inter ſubſtantias ſpirituales fiat. Verùm hæc quæſtio eſt Theologorum propria, qui in varias ſententias abiere, quas longum eſſet, atque ab inſtituta breuitate

Pars affirmans vera eſt.

alienum recenſere.

Quomodo fiat hæc manifeſtatio.

30. Solùm breuiter aſſero hãc manifeſtationem fieri, dum ſuppoſita voluntate loquentis, per quam vult, vt ſuus actus voluntatis, vel intellectus alteri manifeſtetur, ipſe Deus vt Auctor naturæ confert ſpeciem de nouo, & illam producit in mente audientis, quæ ſpecies repræſentat actũ, qui datur in intellectu, aut voluntate loquentis. & per hanc ſpeciẽ de nouo productã excitatur anima, vel Angelus audiens, vt cognoſcat ſecretum cordis, quod eſt in loquente. Iſte tamẽ modus locutionis inter ſubſtantias ſpirituales aliquas patitur difficultates, quas non poſſumus pro dignitate expendere, & ideo intactas relinquimus.

Primus explicandi modus.

Secundus modus aptior, & facilior.

31. Alius modus locutionis, qui pauciores videtur habere difficultates, eſt ſi dicam⁹ fieri hãc locutionẽ, dũ ad voluntatẽ loquentis excitat Deus in mente audientis ſpecies vocũ ſignificatiuarũ, per quas ſubſtantia audiens cognoſcit conceptus medios talium vocum, qui ſunt in mente loquentis, & cognoſcit internum actum voluntatis, & intellectus, qui eſt in loquente, non quidem in ſe ipſo clarè, & euidenter, ſed tãtùm in atteſtante, vt vocant: nam iuxta hunc dicendi modum vitantur multa difficilia, quæ in quocumque alio deuoranda ſunt. Saluatur etiam quomodo vnus Angelus, & vna anima ſeparata poſſit alteri mentiri, quod in primo dicendi modo vix ſaluatur. Declaratur etiam optimè quomodo vnus Angelus poſsit alium illuminare de myſterijs ſupernaturalibus, quin aliquid ſupernaturale producatur in intellectu audientis.

Occurritur obiectioni.

32. Neque obſtat, quòd hic modus cognoſcendi videatur imperfectus, & minùs decens perfectionem Angelicam, vel animæ ſeparatæ; nam cum illi actus interni non ſint obiecta naturaliter cognoſcibilia ab Angelo, vel ab anima ſeparata, non eſt neceſſe, vt quando illos cognoſcunt modo poſsibili, cognoſcant illos perfectiſsimo modo, ſed ſatis eſt, quòd aliquo modo cognoſcãtur, & cum aliqua euidentia, ſaltem in atteſtante.

Tertius dicendi modus.

33. Tertius modus, quo fieri poteſt hæc locutio inter animas ſeparatas, vel inter Angelos, eſt ille, quem ſequitur Suarez loco ſupra citato, aſſerendo actum liberum voluntatis, vel intellectus, qui eſt in mente ſubſtantiæ loquentis, producere in mente audientis quamdam ſpeciem impreſſam, per quam repræſentatur talis actus voluntatis, aut intellectus, & per productionem huius ſpeciei excitari Angelum, vel animam vt audiat, & percipiat illud, quod alter vult manifeſtare.

Difficultates, quas patitur.

34. Hic etiam modus habet plures difficultates, & fortaſſe maiores, quàm præcedentes, præſertim, quia hinc videtur ſequi non poſſe vnũ Angelũ loqui alteri in quacumque diſtantia, vel poſſe agere in remotum nihil agendo in propinquum. Deinde, quia Angeli ad extra nihil poſſũt producere præter motũ localẽ. Tertiò, quia

vel ille actus producit liberè ſui ſpeciem, vel neceſſariò: ſi neceſſariò producet in intellectu omniũ Angelorũ, ac proinde nõ dabitur ſecretum inter Angelos: non eſt dicendum quòd producat liberè: nam ille actus poſtquã egreditur à voluntate, ſi eſt cauſa ſpeciei, eſt cauſa naturalis, ſicut ille actus, qui oritur à ſenſu communi, naturaliter producit ſpeciem ſui in phantaſiam. Quartò, quia tunc videtur ſequi non poſſe vnum Angelum ſimul pluribus, neque omnibus alijs loqui, cùm non poſsit tot actiones, & tot ſpecies ſui actꝰ ſimul producere. Mitto plures alios modos, quibus alij Auctores dicunt fieri loquutionem inter ſubſtantias ſeparatas, præſertim Angelicas; quia ex omnibus ſolùm iſti tres, quos propoſuimus, ſunt probabiles; quamuis primus, & ſecũdus ſint probabiliores.

DE VOLVNTATE ANIMÆ ſeparatæ, & de actibus illius.

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm detur voluntas in Anima ſeparata, quid ſit illius obiectum, & quæ libertas.

CAPVT I.

Datur in anima ſeparata voluntas.

DAti in anima ſeparata volũtatem patet ex ſupradictis. Et ampliꝰ probatur, quia omnis ſubſtãtia intellectiua ſimul eſt volitiua, ſed hactenus oſtẽdimus dari veras intellectiones in animabꝰ ſeparatis; ergo etiam dãda eſt potentia appetendi, quæ dicitur *Voluntas*. Idem etiam probari poteſt ex Scriptura multis in locis, in quibus animæ ſeparatæ dicuntur habuiſſe deſideria, & alios actus voluntatis. Eſt autem hæc volũtas in anima ſeparata quædã potẽtia diſtincta à ſubſtantia ipſius animæ, & ab intellectu, vt alibi probatum eſt. Deinde eſt eadẽ potẽtia, per quam anima coniuncta corpori aliquid volebat. Eſt etiam potentia eiuſdem ſpeciei in omnibus animabus, ſicut etiam intellectus, iuxta probabiliorem opinionem.

Et quæ potentia ſit.

Illius obiectum eſt bonum.

2. Adæquatum obiectum illius eſt bonum in communi prout abſtrahit à triplici ratione boni, nimirum honeſti, iucundi, & vtilis. Si autem voluntas animæ ſeparatæ etiam verſatur circa malum, non verſatur circa illud per actum proſecutionis, ſed per actum odij, vel fugæ, & ſolùm intendẽdo deſtructionem mali, quæ bona eſt.

3. Dubium tamẽ eſt, vtrùm anima ſeparata ſecum deferat appe-

Anima non defert ſecũ appetitum corporeum.

titum iraſcibilem, & concupiſcibilẽ, qui ſunt appetitus corporei à voluntate diſtincti? Reſpondetur negatiuè. Et ratio patet ex dictis, quia iſti appetitus ſunt corporei, & non ſubiectãtur immediatè, niſi in ſubiecto corporeo: anima verò eſt ſubiectum ſpirituale; ergo quando ſeparatur à corpore non defert ſecum appetitus ſenſitiuos.

Neque elicit actus illius.

Vnde anima ſeparata non poteſt exercere actus proprios taliũ appetituum, verbi gratia actũ cõcupiſcentiæ corporeum, vel actũ iræ, & ſimiles. Poteſt tamẽ per voluntatem elicere alios actus reſpõdẽtes iſtis, qui etũt ſpirituales: poteſt enim elicere amorẽ cõcupiſcentiæ, & actum delectationis, ſeu fruitionis. Similiter actũ ſpei, timoris, deſperationis, & iræ, quia omnes iſti actus poſſunt egredi à voluntate animæ in ſuo gradu ſpirituali.

Voluntas in anima ſeparata eſt potentia libera.

4. Poſſet etiã aliquis dubitare, vtrùm hæc voluntas in anima ſeparata ſit potentia libera, ſeu liberum arbitrium? Reſpondetur affirmatiuè, quia libertas arbitrij ſequitur intelligentiam, ſeu rationem, & ex illa oritur tanquam ex radice; ſed in anima ſeparata datur vſus rationis, & datur potentia intelligendi; ergo etiam datur potentia libera.

Subſtantia intellectiua nõ volitiua videtur impoſsibilis.

Imò impoſsibilis videtur ſubſtantia intellectiua, quæ volitiua non ſit; nam menſura, & menſuratum ſe mutuó reſpiciunt, ſed intellectus eſt menſura voluntatis; ergo non eſt poſsibilis ſubſtantia intellectiua, quæ nõ ſit etiã volitiua. Aduettẽ dum vlteriùs eſt voluntatem animæ ſeparatæ eſſe liberã, non tantùm quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpeciem, ſaltem circa aliqua obiecta, vt magis patebit ex capite ſequenti.

De actibus voluntatis Animæ ſeparatæ.

CAPVT II.

5. Extra controuerſiam eſt poſſe voluntatem animæ ſeparatæ aliquos actus elicere. Dubitatur tamen primò, vtrùm anima ſeparata ſemper ſit in aliqua actuali volitione, vel vtrùm poſsit pro aliquo tempore ſuſpendere omnem actum voluntatis? Pro parte affirmante videtur ſtare libertas ipſius voluntatis, quæ poteſt ſingulos actus elicere, vel non elicere. In contrarium eſt, quia ad perfectionem animæ ſeparatæ ſpectat, vt nunquam ſit priuata omni actu voluntatis, ſed anima non poteſt ſe eximere ab hac perfectione; ergo ſemper habebit aliquem actum voluntatis realem, ac poſitiuum, præſertim, quia in hoc non laſſatur, & alioqui maximè perficitur. Vtraque pars eſt probabilis, ſed hæc vltima probabilior.

An volũtas poſsit ceſſare ab omni actu.

6. Dubitatur ſecundò, vtrùm detur aliquis actus voluntatis in particulari, à quo animæ ſeparatæ voluntas ceſſare non poſſit? Procedit veró dubium de anima ſeparata naturaliter ſpectata, non autem de anima beata. Et hæc eadem quæſtio ſolet fieri in Angelica voluntate natu

Opinio aliquorum circa amorem actualem animæ ſeparatæ erga ſe ipſã.

taliter ſpectata. Quidam igitur aſſerunt Angelum, vel animam ſeparatam neceſſariò amare ſe per aliquem actum amoris ſingularẽ, á quo naturaliter ceſſare nõ poſſit. Ita aſſerit Valentia. Alij tamen negant aſſerentes in voluntate ſubſtantiæ ſeparatæ extra viſionem beatam nullum eſſe actum á quo ipſa ceſſare non poſſit; & quem neceſſariò exerceat Ita Ferrarienſis, & Vaſques 1. part. q. 60. art. 3.

Alia opinio.

Media ſententia eligitur.

7. Media tamen ſententia videtur probabilior, ſcilicet ſubſtãtiam ſeparatam neceſſarió habere aliquem amorem erga ſeipſam, ſiue iſte amor ſit complacentiæ, & veluti amor amicitiæ, ſiue cõ cupiſcentiæ; nullum tamẽ in particulari eſſe neceſſarium, ſed à ſingulis actibus amoris erga ſe ipſam ceſſare poſſe, ita tamen, vt ceſſante vno, eliciat alium; qui actus procedat ex naturali inclinatione, quam habet talis ſubſtantia vt ſe ipſam amet. Neque hinc ſequitur, quòd anima ſeparata nihil aliud poſſit amare, niſi ſe ipſam. Quia cum iſto actu poteſt ſtare amor circa alias res externas, & virtus voluntatis non eſt ita limitata, vt non poſſit ſimul elicere plures actus amoris circa diuerſa obiecta. Et hæc ſententia ita explicata eſt Soarij in materia de Angelis.

Cum actu amoris animæ poteſt ſtare aliarũ rerũ amor.

Anima ſeparata non amat Deũ neceſſariò.

8. Dubitatur tertiò, vtrùm anima ſeparata Deum neceſſariò diligat per aliquem actum amoris naturalem? Reſpondetur negatiuè, ſiue loquamur de amore concupiſcentiæ, quo anima ſibi Deum diligat, ſiue de amore amicitiæ, quo ipſum diligat ſuper omnia. Et ratio eſt, quia cum Deum clarè, & intuitiuè non videat, neceſsitari non poteſt ad illius amorem. Deinde. Animæ dãnatorum non habent aliquẽ Dei amorem, ſed potiùs maximum odium illius; ergo anima ſeparata non diligit Deum amore aliquo neceſſario, etiam quoad ſpecificationem: nam actus neceſſarius quoad ſpecificationem non admittit actum contrarium. Atque hinc etiam fit, vt anima ſeparata nullo actu determinato, & quoad exercitium naturaliter Deum diligat, quamuis ſeipſam diligat aliquo actu amoris, ſaltem ſub diſiunctione neceſſario, vt proximè diximus probabiliùs; quia talis actus, ſi eſſet neceſſarius in exercitio, non admitteret ſecum Dei odium, vt per ſe patet.

Ratio.

9. Atque hinc etiam colligitur animam ſeparatam non diligere alias creaturas amore aliquo neceſſario. Ad alias verò animas, & fortaſſe etiam ad Angelos diligendos attenta ſola ratione intrinſeca diligendi poterit anima naturaliter inclinari ad eliciendum aliquem actum amoris. Quia tamen aliæ animæ, vel Angeli propter extrinſecas rationes poſſunt odio haberi, ideo illa dilectio non poterit dici naturalis, vel neceſſaria, etiam quoad ſpecificationem abſolutè, & ſimpliciter loquendo.

Et a fortiori neque alias creaturas.

10. Colligitur ſecundò poſſe animam ſeparatam relictam ſuæ naturæ eligere bonum honeſtum, vel malum illi contrarium, & cõſequenter peccare, verbi gratia,

Poteſt anima ſeparata eligere bonum honeſtum, vel etiã malũ

proferendo mendacium, vel eliciendo actum ſuperbiæ, vt patet etiam in dæmonibus, qui multa faciunt contra legem naturæ, vt mentiri, inducere homines ad malum, & ſimilia. Peccata tamen ſurreptionis non ita facilè poterũt reperiri in anima ſeparata, propter modum perfectiorem, & & expeditiorem, quem habet in cognoſcendo: & quia peccatum ſurreptionis in nobis ortum habet á ſenſibus, qui media phantaſia excitant intellectum ad cogitandum aliquid, quod voluntatẽ ſubitò mouet, priuſquam intellectus deliberare poſsit. Anima verò ſeparata non habet cognitionem ſenſitiuam, & alioqui habet perfectam cognitionẽ ſui, & ſuarũ ſpecierum, à qua cogitatione naturali non mouetur anima, niſi ad amorem ſui. Ad cogitandum veró de alijs obiectis procedit intellectus ex imperio voluntatis, & ideo quidquid inde ſequitur non poteſt ſequi ordinariè loquendo, niſi ex libera, & plena deliberatione.

Peccatum ſurreptionis non facilè reperietur in anima ſeparata.

11. Vltimò dubitatur, vtrùm voluntas animæ ſeparatæ poſt liberam electionem adhuc maneat indifferens ad oppoſitum volendum, vel potiùs ita liberè velit vnam rem, vt, poſtquam illã primó voluit ſemper neceſſariò perſeueret in ea volitione, neque poſſit eam relinquere, & contrarium eligere? Prima ſententia in hac re, & in alia ſimili de voluntate angelica aſſerit voluntatem ſubſtantiæ ſeparatæ, & præſertim Angelorum poſt factam primam electionem cum ſufficiente deliberatione eſſe immutabilem, præſertim circa bonum naturale. Et probatur, quia intellectus ſubſtãtiæ ſeparatæ immobiliter adhæret ijs, quæ ſemel iudicat, & ob ſuam perſpicaciam ſtatim videt quidquid eſt in obiecto naturali; ergo etiam voluntas adhærebit immobiliter bono per intellectũ repræſentato.

Vtrùm voluntas animæ ſeparatæ, vel Angeli ſit inflexibilis.

Opinio affirmans.

12. Nihilominus probabilior eſt ea ſententia, quæ aſſerit voluntatem ſubſtantiæ ſeparatæ ex præciſa ratione ſuæ naturæ non eſſe inflexibilẽ ſimpliciter, nec immutabilẽ in ſuis electionibus. Ita Scotus, Durandus, Gabriel, Okamus in hac materia, & alij quám plures Theologi, quos ipſi citant. Fundamentum eſt, quia ſubſtantia ſeparata in eligendo eſt libera; ergo ſicut modo eligit hoc, ita poſtea poterit hoc relinquere, & amare aliud. Deinde. Poſita quacũque cognitione in intellectu non neceſſitatur voluntas ad eligendum; ergo neque ad perſeueran dum in electione: alioqui dicẽdũ foret malos Angelos neceſſariò nunc perſeuerare in ſuo peccato, & non poſſe aliter facere ſtando in principijs tantùm naturalibus. Tertiò confirmatur, quia Angeli mali in primo inſtanti habuerunt bonam voluntatem erga Deum, & poſtea mutarunt illam ad malum; ergo iam mutarunt liberam electionem. Boni autem Angeli ita perſeuerarunt in prima electione bona, vt poſſent non perſeuerare dum erant in via; ergo voluntas ſubſtantiarum ſeparatarũ non eſt omnino inflexibilis, & poſt primam electionem poteſt

Sententia negãs probabilior.

cõtrarium eligere. Atque hæc de voluntate animæ ſeparatæ ſuffici- ant, reliqua ſunt Theologorum propria.

DE POTENTIA MOTIVA Animæ ſeparatæ.

QVÆSTIO V.

Vtrùm in anima ſeparata detur potentia motiua?

CAPVT I.

1. Cvm anima rationalis ſit ſubſtãtia quædam viuẽs, quæ modò eſt in vno loco, & modò in alio, & quæ nũc eſt in corpore, nunc in cælo, vel inferno, & inde huc reuerti poſſit, dubiũ eſt, vtrũ in anima ſeparata detur aliqua potentia motiua ipſi intrinſeca, & diſtincta à ſubſtãtia ipſius animæ, per quam anima immediatè exequatur iſtum motum, vel vtrùm iſte motus fiat ab aliquo principio, & motore extrinſeco.

2. Et ratio dubitandi eſt, quia licèt extra dubium ſit in Angelis dari potentiam motiuam, quia in Scripturis dicuntur ſe ipſos mouere ex vno loco ad alium, & deſcendere de cælo, circumire terrã, & eam perambulare, ac ſimilia paſſim, tamen de anima ſeparata hæc non habentur, ſed contraria; nam anima Lazari mendici dicitur portata ab Angelis in ſinum Abrahæ. Deinde, ſi anima haberet potentiam motiuam, etiam illam haberet dum eſt in corpore, & illa vteretur, ſed non vtitur; ergo illam non habet etiam quando ſeparatur; alioqui iam in homine eſſet duplex potentia motiua, vna corporea, altera ſpiritualis. Tertiò Anima ſeparata nihil pati poteſt ſibi noxium naturaliter loquendo, cùm ſit immortalis; ergo non eſt cur habeat potentiam motiuam, per quam poſſit declinare res ſibi noxias, aut commodas comparare.

In Angelis datur potẽtia motiua.

Rationes dubitandi in anima ſeparata.

3. Atque in hanc partem negatiuam, quòd ſcilicet in anima ſeparata nulla ſit potentia motiua ab intrinſeco, videntur inclinaſſe Durandus in 3. diſtinct. 22 q. 3. Et Picus Mirandula q. 1. Apologetici, quatenus veriſimile exiſtimarunt maximo cum errore Animam Chriſti Domini non deſcendiſſe realiter, & præſentialiter ad inferos, ſed tantùm in effectu; quatenus ſcilicet noua luce, & gaudio affecit animas Patrum, quæ apud inferos detinebantur. Hic tamen ſenſus maximè alienus eſt à Catholica fide, quæ nobis credendum proponit Animam Chriſti verè, & pro-

Qui in negantẽ partem inclinent.

Reijcitur error Durandi.

ptiè ad inferos deſcendiſſe.

Aliorum ſententia exploditur.

4. In eandem ſententiam videntur inclinare illi, qui dicunt immateriales ſubſtantias eſſe loci incapaces,ac proinde etiam motus localis: aſſerunt enim ad hoc, vt res aliqua dicatur propriè eſſe in loco,neceſſariò requiri, vt externa aliqua, & corporea ſuperficie circumſcribatur. Hoc tamen principium eſt omnino falſum,& contra Ariſtotelem aſſerentem Angelos eſſe formas cælo aſsiſtentes,quod fieri non poteſt,niſi Angeli ſint cælo præſentes, & indiſtantes. Deinde.Quælibet res creata poteſt de vno loco ad aliũ transferri,vel à ſe ipſa, vel ab extrinſeco motore ; ergo non eſt neceſſe, vt loco circumſcribatur, quia hoc eſt proprium corporũ.

Alij dicunt animã non moueri niſi ab extrinſeco.

5. Alij Autores aſſerunt animam ſeparatam poſſe quidem moueri ab extrinſeco motore,nõ tamen à ſe ipſa, & ideo non habere propriam potentiam motiuam. Fundamenta ſunt rationes dubitandi factæ ad initium capitis. Quæ ſententia tribuitur Sancto Thomæ,ſed immeritò.

Vera ſententia.

6. Vera igitur ſententia tenet Animam ſeparatam moueri ab intrinſeco, & habere potentiam motricem ſibi propriam,qua mediante ſuum motum localẽ exerceat.Hæc eſt omnium communis ſententia,eamque tenet S.Thom. 1.p.q.89. art.8.ad ſecundum,qua ten⁹ aſſerit animas ſeparatas poſſe exire de locis ſuis, & apparere viuis; & q.53. art.1. ex motu animæ Chriſti Domini ad inferos probat in Angelis etiam dari potentiam motiuam, & motum localem. Ratio autem eſt,quia anima ſeparata eſt ſubſtantia quædã perfecta, & viuens, quamuis incompleta ; ſed tales ſubſtantiæ habent principium intrinſecum, à quo poſsint moueri; ergo anima rationalis etiam habet hoc principium,quod aliter vocamus *Potentiam motiuam*. Vnde anima ſeparata poteſt moueri non ſolũ motu per accidens,ſeu ad motum alteri⁹ rei vt mouetur dũ eſt vnita corpori ad motũ ipſius corporis, ſed etiam motu per ſe tendente ad præſẽtiam animæ ſeparatæ in diuerſo loco.

Rationibus probatur.

Potentia motiua animæ rationalis eſt ſpiritualis.

7. Atque hinc colliges hãc potentiam motiuam animæ proprium eſſe ſpiritualem , & non corpoream,quia ſubiectatur immediatè in ipſa ſubſtantia ſpirituali animæ.Eſt tamen dubium, vtrùm hæc potentia in anima ſeparata diſtinguatur ab intellectu,& volũtate ipſius?Reſpondetur probabilius eſſe hanc potentiam eſſe realiter diſtinctam ab intellectu, & voluntate.Primò , quia habet effectum maximè diuerſum. Secũdò,quia intellectus,& volũtas ſũt potentiæ, quæ operantur immanenter: hæc verò potentia motiua operatur tranſeunter, nec recipit in ſe immediatè effectum, quem elicit;ergo diſtinguitur ab intellectu,& voluntate . Tertiò, quia per eamdem potentiam,per quam anima ſe ipſam mouet,per eamdem mouere poteſt alias res corporeas;ſed neque intellectus, neque voluntas immediatè poſſunt mouere res corporeas externas per motũ localem,ergo prædicta potentia motiua diſtinguitur

Et diſtincta ab intellectu,& voluntate.

tur

tur ab intellectu, & voluntate, idque reali diſtinctione. Tandem, quia potentia motiua corporea in animantibus differt realiter ab appetitu ſenſitiuo, & à phantaſia; ergo etiam potentia motiua ſpiritualis differt ab appetitu rationali, & ab intellectu.

Soluuntur rationes dubitandi. 8. Ad primam rationem dubitandi reſpondetur animas iuſtorum, ſi quando dicuntur deferri in paradiſum, vel in ſinum Abrahæ, id potiùs ad dignitatem, quã ad neceſsitatem ſpectare, in eo ſenſu, quo nobiles aliqui dicũtur deferre aliquem ad Regem, quã do ipſum in regiam comitantur. Poteſt etiam in anima damnata portatio illa ſpectare ad iuſtitiã, ſicut reus dicitur deferri ad patibulum, quamuis ipſe eat. Ad ſecundam reſpondetur hanc potentiã motiuam ſpiritualem tribui animæ, vt ſuos actus exerceat in ſtatu ſeparationis. Dum autẽ anima eſt in corpore non eſt opus, vt exerceat actus huius potentiæ, quia ad motum localem, quem edit in corpore, ſufficit potentia motiua corporea, quam homo habet cõmunem ſibi cum brutis, de qua iam egimus ſupra in tractatu de anima ad finem: quamuis Henriquus, quodlibeto .11.q.14. multis contendat animam, etiam dum eſt in corpore, vti ſua potẽtia motiua ſpirituali, vt ſe moueat, & ſimul vt moueat corpus; quæ tamen ſententia eſt minùs probabilis. *Sententia Henrici.* Ad tertiã reſpondetur quãuis anima ſeparata nihil poſsit pati noxium à cauſis naturalib⁹; tamen indigere ſæpiùs, vt locum mutet, ſaltem vt operetur, & ideo eget potentia motiua, per quam immediatè hunc motum exerceat. Vnde ex diuina diſpenſatione aliquando animæ defunctorum ad nos veniunt, vt anima Samuelis ad Saulem 1. Reg. c. 28. iuxta probabiliorem hoc tempore ſententiam. Redibunt etiam animæ ſeparatæ in die reſurrectionis ad ſua corpora informãda.

De actu huius potentiæ motiuæ in anima ſeparata.

CAPVT II.

9. EX dictis patet per hãc potentiam motiuam moueri animam ſeparatam de vno loco ad alium, & primarium actum talis potẽtiæ eſſe, vt moueat animam, in qua eſt, ad diuerſa loca. *Actus huius potẽtiæ quis ſit.* Supponit verò hæc doctrina animam ſeparatam eſſe in loco extrinſeco, non quidem circumſcriptiuè, ſed per indiſtantiam, & realem præſentiam, v. g. cum aere, aut alio corpore, vel ſubiecto reali: nã ſubſtantiæ ſpirituali non repugnat eſſe ita in loco, vt patet in Deo, *Quomodo ſpiritualis ſubſtantia ſit in loco.* & in anima Chriſti Domini, quæ in triduo paſsionis fuit apud inferos, & poſtea ingreſſa eſt ſepulchrum. Animæ etiam damnatorum realiter exiſtunt in inferno, ſicut animæ Beatorum in cælo. Cùm autem conſtet nullam animam ſeparatam eſſe vbique, ſed certo loco definiri, vt poſtulat limitata perfectio cuiuſque, inde fit, vt quælibet per ſuam poten-

tiam motiuã poſsit deſerere vnũ locum,& alium acquirere per motum: præſertim,quia anima ſeparata naturaliter ſpectata, ac de ſe non eſt vni tantùm loco addicta, aut alligata.

Anima poeſt moueri de loco ad locum.

10. Hac igitur doctrina ſuppoſita vt omnino vera poſſent in præſenti multæ fieri quæſtiones, quæ de motu Angelorum communiter fieri ſolent. Prima eſt, vtrùm ſubſtãtia ſeparata quando mouetur acquirat aliquid ſibi intrinſecum,& diſtinctũ á loco extrinſeco. Cui quæſtioni reſpondetur affirmando: acquirit enim præſentiam localem,ſeu modum quẽdam,qui dicitur *Vbi*, ſeu *Præſentia intrinſeca definitiua*: nam motus localis eſt actio recepta in re mobili, ſed omnis actio habet aliquem terminum realem, qui recipitur in eodẽ ſubiecto,in quo recipitur actio,ergo &c.

Quid acquirat anima quando mouetur.

11. Secunda quæſtio eſt,vtrùm illud vbi animæ ſeparatæ,vel Angeli,quando reſpondet ſpatio diuiſibili habeat partes formales,in quas ſit diuiſibile? Pro parte affirmatiua eſt,quia nihil indiuiſibile poteſt eſſe formalis ratio reſpondendi ſpatio diuiſibili,ſed vbi ſubſtãtiæ ſeparatæ eſt illud,per quod ipſa reſpondet ſpatio diuiſibili; ergo tale vbi habet partes formales ratione ſpatij,in quas ſit diuiſibile,quãuis ratione ſubiecti ſit indiuiſibile. Deĩde,quia vnio animæ rationalis ad materiam eſt diuiſibilis,& tamen tenet ſe ex parte ipſius formæ rationalis,& cum illa identificatur; ergo ſimiliter præſentia ſubſtantiæ ſeparatæ,per quam reſpondet ſpatio diuiſibili, erit diuiſibilis,ſaltem ratione ſpatij. Tertiò,quia non omni rei ſpirituali repugnat omnis diuiſibilitas: nam motus ſpiritualis etiam habet partes,in quas poſsit diuidi, & qualitas ſpiritualis capax intenſionis habet partes intenſiuas: ergo etiam vbi ſubſtantiæ ſeparatæ poterit eſſe aliquo modo diuiſibile.

An præſentia animæ ſit diuiſibilis.

Rationes pro parte affirmatiua.

12. Pro parte negatiua ſtat,quia illa præſentia identificatur realiter cum re omnino indiuiſibili,qualis eſt anima ſeparata, vel Angelus: ergo etiã recipitur indiuiſibiliter, ac proinde non habet partes, in quas poſsit diuidi. Deinde,quia ſi illud vbi eſt diuiſibile,& habet partes, iam anima per illud non erit tota in toto ſpatio,& tota in qualibet parte ſpatij, ſed per vnã partẽ vbi reſpondebit parti ſpatij, & non omnibus partibus, ſed hoc non poteſt dari in ſubſtantia,& in re omnino indiuiſibili; ergo præſentia ſubſtantiæ ſeparatæ nullo modo poteſt eſſe diuiſibilis. Vtraque ſententia eſt probabilis,vtraque habet acerrimos propugnatores, ſed prima videtur probabilior, & melioribus nixa fundamentis,vt latiùs oſtendunt aliqui Theologi in materia de Angelis.

Rationes pro parte negante.

Fertur iudicium.

13. Tertia quæſtio eſt, vtrùm vna anima ſeparata poſsit ab vno loco tranſire ad alium non percurrendo medium, verbi gratia, vtrùm poſsit fieri præſens huic domui,cum antea eſſet in cælo, quamuis non tranſeat per totum ſpatium, quod interiacet inter hanc domum, & ipſum cælum. Pro vtraque parte ſunt varij Au-

Anima an poſsit tranſire de vno loco ad alium nõ percurrendo medium.

ctores loquendo de ſubſtantijs Angelicis. Probabilius tamen eſt, neque Angelum, neque animam rationalem poſſe tranſire de vno loco ad alium, niſi per medium.

Ratio.

Et ratio præcipua eſt, quia difficilè à nobis percipitur, quomodo hic tranſitus poſsit fieri naturaliter, & ideo videtur ſuperare modum agendi cauſæ naturalis ſe naturaliter mouentis de vno loco ad alium diſtantem; ſiquidem aliæ ſubſtantiæ naturales non poſſunt naturaliter moueri de vno loco ad alium non tranſeũdo per medium: ergo neque ſubſtantia ſpiritualis creata hoc poterit naturaliter facere.

Anima poteſt ſe mouere ſucceſſiuè.

14. Quartò quæritur, vtrùm anima ſeparata ſe poſsit mouere motu continuo, vel tantùm diſcreto, & per inſtantia? Reſpondetur primò animam poſſe ſe ipſam mouere localiter ſucceſsione continua. Et ratio eſt, quia Angelus, vel anima ſeparata exiſtẽs in ſpatio ſuo adæquato poteſt pro ſua libertate ſe contrahere ad minorem, & minorem locum, idque ſucceſsiuè; ergo tunc mouebit ſe continua quadam ſucceſſione, ſeu motu. Et idem dici poteſt quando anima de minori ſe extendit ad maius ſpatium.

Poteſt etiã in inſtanti relinquere totum ſpatium in quo erat.

Reſpondetur ſecundò poſſe animã ſeparatam in inſtanti relinquere totum illud ſpatium, in quo nunc erat, & in eodem eſſe in alio totali ſpatio diuerſo, & immediato illi, in quo antea erat.

Ratio.

15. Ratio eſt, quia anima ſeparata exiſtens in loco diuiſibili totum illum ſimul poteſt dimittere: nam permanentia in illo, & in qualibet parte eius eſt animæ libera; ergo totum ſimul poteſt dimittere, & aliud ſpatium totale diuerſum comparare. Et confirmatur, quia anima rationalis, quãdo ſeparatur à corpore in eodẽ inſtanti deſinit informare omnes partes corporis; ergo in eodem inſtanti poterit relinquere omnes partes ſpatij, in quo antea erat.

Nõ poterit tamen mutari in inſtanti ad alium locũ remotum.

Non poterit tamen anima ſeparata in inſtanti mutari de vno loco totali ad alium totalem remotum, & diſtantem, quia non poteſt hoc facere, niſi tranſeũdo per medium. Poterit tamen in diuerſis inſtantibus deuenire ad ſpatium remotum, ex quibus inſtantibus conficiatur vnum tempus diſcretum, vt facilè patebit conſideranti ea, quæ proximè diximus.

Quanta ſit vis, & celeritas, qua potentia motiua poteſt animã mouere.

16. Vltimò quæritur in hoc capite, quanta ſit potentia motiua animæ ſeparatæ, & quanta velocitate poſsit ipſam animam mouere? In hac tamen quæſtione nihil certò definiri poteſt. Solùm aſſero motũ animæ ſeparatæ, qui ſit per ſpatium aliquod continuũ, verbi gratia deſcendendo à cælo Empyreo vſque ad terram, eſſe velociſsimum, neque poſſe illi cõferri quemcumque alium motum corporeum in velocitate. Vnde iſta velocitas motus comparatur illi, qua Sol apparens in oriente diffundit ſuam lucem per totum ſpatium noſtri hemiſphærij. Imò aliqui aſſerunt potentiam motiuam ſubſtantiæ ſeparatæ quoad velocitatem motus non habere vllum terminum velocitatis, ſed dato vno motu velociſsimo, poſſe

adhuc

adhuc elici ab eàdem potentia alium velociorem, & ſic in infinitum. Et fundamentum eſt, quia ſubſtantia ſpiritualis mouetur ſine vlla reſiſtentia mobilis, aut medij; ergo poteſt moueri velociùs in infinitum.

Probabilius eſt habere certum terminum quoad velocitatem motus.

17. Hic tamen modus philoſophandi videtur repugnare, quia virtus motiua cuiuſcumque ſubſtantiæ creatæ, & viuentis eſt finita, & limitata: ergo etiam quoad velocitatem motus debet habere determinatam, ac certam velocitatem, ad quam poſſit peruenire, & non ad maiorem: alioqui omnes Angeli tam ſuperiores, quàm inferiores æquali celeritate mouerentur. Quamuis autem ſubſtantia ſpiritualis in ſuo motu non habeat reſiſtentiam ex parte mobilis, nec ex parte medij, habet tamen aliquam ex parte ſpatij percurrendi; ſicut corpus, quod mouetur in vacuo non poſſet efficere motum in inſtanti; quia debebat vincere reſiſtētiam, ſaltem negatiuam, quæ daretur ex parte ſpatij.

De ſphæra, cui poteſt reſpondere anima rationalis.

18. Et quando in præcedentibus quæſtionibus mentionē fecimus de ſpatio totali, & de ſpatio maiori, & minori, dubitabit aliquis, vtrùm anima rationalis ſeparata habeat certam ſphæram ſpatij cui poſſit coexiſtere, & reſpondere, ita vt non coexiſtat maiori? Reſpondetur affirmatiuè, quia hoc etiam reperitur in ſubſtantijs Angelicis, quarum vna quæque habet certum, ac determinatum ſpatium ſuæ ſphæræ, cui poſſit reſpondere, & non maiori; ergo à fortiori idem erit in anima ſeparata admittendum. Quantum verò ſit hoc ſpatium non poſſumus certò definire. Aliqui dicunt eſſe tantum ſpatiū, quātum occupat maximum corpus humanæ ſpeciei, quando perfectè nutritur; ſi enim anima in ampliorem ſphæram poſſet extendi, etiam extenderet ipſum corpus dum eſt in illo, & habet omnia requiſita ad nutritionem. Quoad minimum veró non habet hoc ſpatium animæ ſeparatæ vllum terminum, quia poteſt anima eſſe in minori, & in minori in infinitum, quouſque ſe contrahat ad punctum indiuiſibile. Cùm autem ſubſtantiæ ſpirituales non occupent locum, in eodem ſpatio poterunt ſimul eſſe plures animæ ſeparatæ, vel plures Angeli.

In eodem ſpatio poſſunt eſſe plures animæ.

De Motu, quem Anima ſeparata poteſt exercere in alias res à ſe diſtinctas.

CAPVT III.

Quos motus nō poſſit exercere anima in res alias.

19. Suppono primó vt certum animā ſeparatam per ſe, & directè non poſſe exercere in rebus á ſe diſtinctis motum alterationis, per quem in ipſis producat aliquas qualitates corporeas, verbi gratia calorem, lucem, frigus, & ſimiles, quia anima non habet principium aliquod effectiuum harum qualitatum. Secundò ſuppono vt certum animam ſeparatam per ſe ſolam non poſſe generare a-

liam

liam ſubſtantiam ex præſuppoſita materia, ſicut neque ſubſtantia Angelica, ſed tantùm applicando actiua paſsiuis poterit efficere, vt reſultent inde aliqua viuentia imperfecta, vel aliæ ſubſtantiæ corporeæ, & qualitates corporeæ.

De motu locali circa alias res eſt totū dubiū.

20. Totum dubium eſt, vtrùm anima ſeparata poſsit per motum localem mouere alias res, verbi gratia corpora, Angelum, aut aliā animam ſeparatam, vel illam detinere in aliquo loco, ita vt inde non poſsit exire, quamuis velit.

Fiunt rationes pro parte negante.

Et quòd anima ſeparata non poſſit mouere aliqua corpora videtur probari, quia anima ſeparata non poteſt eſſe cauſa aliorum motuum ad qualitates corporeas, verbi gratia ad frigus; ergo neque poteſt eſſe cauſa motus localis, neque termini ipſius, qui eſt quid corporeum. Deinde virtus motiua animæ determinatur ad mouendum tantùm illud corpus, quod anima ipſa viuificat; ergo quando anima fuerit ſeparata á corpore non poterit mouere aliquod corpus, & ita tenet Sanctus Thomas 1. parte quæſtione 117. artic. 4. & Caietanus ibidem. Scotus in 4. diſtin. 45. quæſt. 1. artic. 3. Soar. diſp. 35. ſuæ Metaphyſicæ ſec. 6. n 33.

Pars affirmans probabilior.

21. Probabilius tamen eſt animam ſeparatam poſſe mouere corpora externa, quamuis illa non viuificet. Et probatur, quia potentia motiua, per quam anima ſeparata ſe ipſam mouet, non eſt eadem, per quam coniuncta corpori mouet ipſum corpus, cùm hæc ſit corporea, & illa ſpiritualis, vt patet ex ſupra dictis: ergo quamuis per potentiā corpoream non poſsit mouere, niſi illud corpus, quod viuificat, poterit mouere alia corpora per potentiam motiuam ſpiritualem.

Probatur rationibus.

Deinde per hanc potentiam corpoream, dum eſt in corpore, mouet alia corpora; ergo per potentiam ſpiritualem mouebit etiam quando eſt ſeparata. Et confirmatur, quia potentia motiua ſpiritualis animæ ſeparatæ eſt valde ſimilis potentiæ motiuæ Angelorum, ſicut etiam ipſa ſubſtantia animæ eſt ſimilis ſubſtantiæ Angelicæ; ſed Angelus poteſt mouere corpora externa, vt patet ex pluribus locis ſacræ paginæ, & ex communi ſenſu Philoſophorum aſſeterentiū cælos moueri ab Angelis; ergo anima ſeparata per ſuam potentiam poteſt mouere corpus externum.

22. Idem etiam probatur, quia anima ſeparata poteſt aſſumere corpus ex aere, vel ex aqua, ſed hoc ſtare non poteſt, niſi poſsit idem corpus mouere, ergo &c.

Quanta ſit hæc vis motiua reſpectu rerum externarū.

Quāta verò ſit hæc potētia animæ reſpectu corporum non videtur conſtare, ſolùmque poteſt dici eſſe minorem, quàm potentiam motiuam Angelorum, quia ſicut anima ſeparata eſt imperfectior ſubſtātia, ita etiam illius potentiæ ſunt imperfectiores, quàm potētiæ Angelorum. Dici ſecundò poteſt potentiam motiuam animæ ſeparatæ eſſe maiorem etiā quoad effectum qualibet potētia motiua corporea, quæ datur in viuētibus corporeis.

23. Quamuis autē anima ſepa-

rata non poſsit efficere alias qua litates corporeas in ſubſtantijs corporeis, hoc non tollit quominus poſsit efficere motum localem, vt etiam de Angelis dici ſolet, quia motus localis minùs immutat ſubiecta, & conuenit omnibus corporibus etiam incorruptibilib⁹, & ſuo modo Angelis, & animæ ſeparatæ, & eſt mot⁹ perfectior reliquis corporeis. Reliqui autē motus ad ſubſtantiam, vel ad qualitates corporeas, maximè immutant ſubiecta, & ſunt magis imperfecti, exiguntque in cauſa creata potentias corporeas, à quibus immediatè egrediantur; motus verò localis poteſt egredi à potentia ſpirituali, vt patet in motu cælorū facto ab Intelligentia.

Soluuntur rationes partis negãtis

Vtrùm vna anima poſsit aliam mouere naturaliter.

24. Sed poterit ne vna anima ſeparata aliam mouere ſtando in pura natura? Reſpondetur, ſi altera anima velit reſiſtere, toto conatu non poſſe moueri ab alia. Et ratio eſt, quia reſiſtentia vnius animæ eſt æqualis actiuitati alterius; ſed actio non eſt, niſi à vincente; ergo ſi vna anima velit reſiſtere, non poterit moueri ab alia. Quod ſimiliter intelligendum eſt de Angelis comparatis ad animam ſeparatam, non enim poterit anima ſeparata mouere Angelum, ſi ipſe reſiſtat, ſicut neque Angelus inferior ſuperiorem, aut æqualem. Poterit tamē anima ſeparata mouere aliam, ſi ipſa non reſiſtat, & ſimiliter Angelū, ſi Angelus permittat, ſicut etiam Angelus inferior mouebit ſuperiorem, ſi ſuperior non reſiſtat. Dixi *Stando in pura natura*, quia ſi animæ ſeparatę ſpectentur prout ſubiacent diuinę voluntati, poterit anima Beata compeſcere, & fręnare animam damnatā, illamque detinere in aliquo loco, ne exeat: & ſimiliter inter ipſas animas beatas poterit dari aliqua ſubordinatio in ordine gratiæ.

Vtrū quando anima mouet rem aliam exerceat iſtum motum imprimendo impulſum?

25 Maius dubium eſt, vtrùm, quando vna ſubſtantia ſeparata mouet aliquid à ſe diſtinctum, exerceat iſtum motum mediante aliquo impulſu producto in rem, quæ mouetur? Reſpondent aliqui non ſemper ſubſtantiam ſeparatā ex ſe producere impulſum, mediante quo rem aliam ſiue corpoream, ſiue ſpiritualē moueat, ſed multoties poſſe rem mouere, quin producat impulſum, vt quādo mouet rem motu tractionis, ſeu trahens ſecum ipſam rem: qua ratione homo defert ſecum veſtem, qua eſt indutus. Vnde Angeli hoc genere motus mouent ea corpora, quæ aſſumunt. Et hac etiam ratione poſſunt mouere corpora humana, ſi ipſis fiant præſentes ſecundum omnes illorum partes, & ipſa corpora non reſiſtant: & ſic de alijs rebus corporeis.

26. Secundò aſſerūt poſſe ſubſtantiam ſeparatam mouere aliud corpus ſi hoc motu tractionis deferat ſecum vnam tātùm partem illius, ita vt iſta pars alias trahat per impulſum corporeum, & ita non produceretur impulſus immediatè à ſubſtantia ſeparata, ſed tantùm mediatè. Vnde Angelus mouēs cælum poterit ipſum hoc modo mouere, quamuis nullum impulſum corporeum immediatè producat: præſertim ſi Ange-

lus

lus ipſe moueatur motu per accidens cum eádem parte cæli, vel etiã cum diuerſis. Et ita philoſophatur Soares in Metaphyſica diſp.35.ſec.6. & in tract.de Angelis lib.4.c.31. vbi videtur inclinare in eam ſententiam, quæ aſſerit non poſſe ſubſtantiam ſeparatã producere immediatè impulſum corporeum in corpora quæ mouet.

Probabilior reſponſio.

27. Nihilominus probabilius videtur ſubſtantiam ſeparatam poſſe per ſuam potentiam motiuam producere ſimul impulſum ſpiritualem ad mouendas res ſpirituales,& corporeum ad mouẽdas res corporeas,præſertim quãdo eas mouerit motu proiectorum. Hanc ſentẽtiam tenet Vaſques 1.p.diſp.192.n.6.& diſp.218. n.9. Curſus Conimbricenſis. de Anima ſeparata diſp.6. art.4. vbi generaliter aſſerit non poſſe Angelum,vel ſubſtantiam ſeparatam mouere aliquid ad extra, niſi per qualitatem impulſus impreſſam ab ipſa potentia motiua,tamquã per inſtrumentum omnino requiſitum: neque enim apparet alius modus,quo res vna externa poſsit ab alia moueri.

Occurritur obiectionibus.

Si autem illi obijcias impulſum rebus corporeis impreſſum eſſe corporeũ, & non poſſe egredi à potentia ſpirituali, reſpondet potentiam motiuam ſubſtantiæ ſpiritualis eſſe talis naturæ,vt poſsit ſimul producere vtrumque impulſum. Si obijcias ſecundò potentiam motiuam habere immediatum ordinem ad motum,& ideo non egere alio inſtrumento, præſertim quando eſt ſufficienter approximata, occurrit potentiam motiuam reſpectu rerum externarum non ordinari immediatè ad motum illarum,ſed medio impulſu.

Media ſententia.


28. Et quamuis hæc ſententia in hac latitudine ſit maximè probabilis, tamen non videtur negandum poſſe animam ſeparatam, vel Angelum, quando eſt ſufficienter approximatus, mouere aliud ſine impulſu impreſſo, ſicut etiam mouet ſeipſum immediatè per ſuam potentiam ſine alio inſtrumento. Quando verò res fuerit diſtans, vel quando mouerit motu proiectorum, tunc non eſt dubium requiri qualitatem impulſiuam, quæ ſuppleat abſentiam potentiæ mouentis, vt patet in reliquis motoribus extrinſecis. Vnde probabilius eſt Angelum per impulſum ita impreſſum mouere totum cælum. Hæc ſunt,quæ de anima ſeparata cognoſcere oportet naturalem philoſophum,qui, dum intra hos limites continetur, alienam ſegetem non inuadit.Et dum habet perſpecta,& ſatis intellecta ea omnia, quæ hactenus docuimus,rerum omnium naturaliũ ſcientia nõ mediocriter inſtructus euadit.

DOCTRINA PHILOSOPHICA.

TRACTATVS VIII.

In Libro; Ethicorum.

PROÆMIVM.



Vtilitas huius doctrinæ.

P*Ræſens doctrina eſt maximè vtilis perfecto Philoſopho; quæ optimas tradit regulas benè, beatèque viuendi, & ad virtutes omnes, vel ſaltem præcipuas comparandas. Quæ ſunt vera, ac perfecta, & præcipua ornamenta, quibus anima in hac vita exornatur, & poſt calamitoſam hanc, in aliam meliorem, iucundioremque diuino mediante auxilio feliciter poſſit euolare. Vbi perpetua quies, felicitas conſumata, & gloria perfecta inuenitur.*

DE

DE BONO.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Bonum.

CAPVT I.

2. BOnum, relictis varijs Auctorũ definitionibus, definiuit Ariſtoteles lib. 1. Ethicorum c. 1. in hunc modum, *Eſt id, quod omnia appetunt.* De formali ſignificat relationẽ conuenientię, ſiquidem eatenùs appetitur, quatenus conueniens eſt, aut tale putatur. Vnde bonum, & perfectum, quamuis aliqui idem eſſe arbitrentur, nihilominus tamen inter ſe differũt, quòd bonum (ſi ſecundum ſuam propriam, formalemque rationẽ ſpectetur) ſignificat relationẽ cõuenientiæ. Perfectum verò, vt eſt aliquid tranſcendens, importat negationem defectus.

Quid ſit bonum.

Bonum, & perfectum differunt.

3. Dubium tamen eſt, quonam appetitu omnia bonum appetãt? Ad cuius dubij ſolutionem aduertendum eſt appetitum aut eſſe innatum, aut elicitum. Appetitus innatus *Eſt propenſio ingenita ab Auctore naturæ qua vnumquodque ad id, quod conueniens eſt, inclinatur.* Hic verò appetitus diuiditur in tria alia membra, nimirum in naturalem, ſenſitiuum, & intellectiuum. Appetitus naturalis *Eſt appetitus innatus, quo res abſque vlla notitia inclinatur ad id quod, ſibi conueniens eſt:* & hoc modo materia appetit formam. Appetitus ſenſitiuus *eſt appetitus innatus, quo res fertur in bonum ſibi conueniens præeunte notitia ſenſus.* Diſtribuiturque in iraſcibilem, & concupiſcibilem, de quibus infra. Appetitus intellectiuus *Eſt appetitus innatus, quo res appetit bonum ſibi conueniens præuia notitia intellectus,* quia appetitus idem eſt ac voluntas. Denique appetitus elicitus eſt appetendi actus, quo potentia præeunte cognitione fertur in ſuum obiectum. Huiuſmodi ſunt amor, ſpes, deſideriũ, & alij ſimiles actus, quibus in res ab intellectu, aut ſenſu propoſitas incitamur.

Quo appetitu bonũ appetatur.

Varia genera appetitus.

4. Vnde ad dubium ſupra poſitum reſpondetur appetitum, quo omnia bonum appetunt, eſſe indiſcriminatim quẽlibet ex ijs appetitibus, quos ſupra recenſuim⁹. Neque obſtat, quòd appetit⁹ ſenſitiuus aliquando inclinetur ad malum, quia ſolùm dicitur moraliter, phyſicè autem ſemper tendit in bonum abſolutè, vel ſaltẽ vt tale putatum ſub ratione iucũditatis, vel delectabilitatis vt in proprium obiectum. Vnde fit, quòd appetitus ſemper tendat in bonum (quidquid alij contradicant.) Ratio eſt, quia bonum eſt obiectum appetitus; nulla verò potentia fertur, niſi in ſuum ob-

Reſolutio quæſtionis.

Appetitus ſemper fertur in bonum.

iectum. Deinde, quia quò vnumquodque obiectum melius eſt, eò magis ad ſui amorem allicit. Id autem planè indicat eſſe bonitatem, quæ in qualibet re appetitum ad ſe rapit.

De Diuiſione Boni.

CAPVT II.

Prima diuiſio. 5. BOnum in communi diuiditurà Platone 1. de legibus in bona diuina, & humana. Bona diuina ſunt *Prouidentia, Temperantia, Iuſtitia, Fortitudo*, & ſimilia. Humana verò ſũt *Valetudo, Forma, Robur, Diuitiæ.* Secunda. Diuus Auguſtinus lib. 2. de libero arbitrio cap. 19. & in lib. de cognitione veræ vitæ c. 7. illud diuiſit in quatuor gradus rerum, nimirum exiſtentium, viuẽtiũ, ſenſibiliũ, & intelligẽtiũ. Tertia. Diuidit deinde bonũ in bonum, quod per ſe ipſum bonũ eſt, & in bonũ, quod ab alio eſt bonum, id eſt in bonum per ſuam eſſentiam, quod eſt ſolus Deus, & in bonum participatione.

Quarta. 6. Alij diuidunt bonum, ita vt quædam ſint bona maxima, & alia media, alia infima, ita vt maxima ſint virtutes, quibus rectè viuitur. Media animæ facultates, ſine quibus, vt nec viuere, ita nec rectè viuere quiſquam poteſt. Infima ſunt bona corporis, & fortuita, temporariaque omnia.

Præcipua diuiſio boni. 7. Præter has diuiſiones eſt alia quædam cõmunis apud Theologos, & Patres, nempe in bonũ honeſtum, vtile, & iucundum, ſeu delectabile. Vnumquodque dicitur bonum prout apperibile eſt, & vt terminat motum, ſeu quaſi motum facultatis appetẽtis. Motus autem terminatur ſimpliciter quidem ad vltimum; ſecundum quid verò ad medium, quo ad vltimum itur; & vltimum, vel ſe habet vt res, quæ per ſe appetitur, vel vt quies in re adepta. Vnde etiam bonum tripliciter dici poteſt, videlicet id, in quod tendit appetitus tanquam in rem per ſe deſideratam, vocaturque bonum honeſtum; & id ad quod fertur tamquam ad medium, quo quidpiam aſſequatur, quod dicitur vtile. Tertiò id, quod terminat motum, vt quies, ſiue delectatio, quæ capitur poſt adeptionẽ rei, quod nuncupatur bonum iucundum. Vnde hæc diuiſio ſupra poſita, vt tenet S. Thom. 1. p. q. 5. art. 6. non eſt vniuoci, ſed analogi, quod à ſuis membris inæquabiliter participetur, quia bonum primò dicitur de honeſto; ſecundò de delectabili; tertiò de vtili. Ratio. Ratio eſt, quia honeſtum appetitur propter ſe: vtile propter honeſtũ: delectabile verò rei poſſeſsionẽ comitatur.

DE FINE.

Vtrùm Finis, & bonum ſint idem inter ſe?

CAPVT III.

8. ORdo doctrinæ poſtulat, vt poſt tractationem de bono ſequatur agendum de fine. Senſus quæſtionis.

Vnde ad quæſtionis ſolutionem aduertendum eſt dupliciter hoc poſſe quæri, vel formaliter, ita vt vtriuſque ratio formalis ſit eadẽ, vel quoad fundamenti reciprocationem, ita vt nihil ſit bonũ, quod etiam rationem finis non ſortiatur, & alijs etiam diuerſis modis.

Prima cõcl. Dicendum tamen eſt bonum, & finem non eſſe idem formaliter quoad reciprocationem reſpectu Dei (ſi ſermo ſit de actionibus diuinis internis.) Bonum autem actu, & finem actu etiam certum eſt non eſſe idem cõparatione creaturarum quoad reciprocationẽ, eſſe tamen aliquo modo idem, ſi ſecundum poteſtatem ſumantur.

Confirmatur concluſio. Ratio primæ partis eſt, quia licèt omne, quod eſt actu finis rei creatæ, ſit actu bonum, non tamen quidquid eſt actu bonum eſt etiã actu finis, vt patet experiẽtia, quia aurum quamuis in ſe ſit bonũ, ab eius contemptore minimè procuratur, ac proinde non eſt finis reſpectu illius. Altera pars concluſionis oſtenditur, quia quidquid poteſt reddi bonum, & cõueniens reſpectu alicuius, etſi nunc comparatione illius non ſit actu bonum, & conueniens poteſt ab ea ſuapte natura appeti, habereque rationem finis reſpectu illius, & è conuerſo, quidquid poteſt ab aliquo expeti, & obtinere rationem finis comparatione illius poteſt eſſe idem bonum, & conueniens, vel ſaltem vt tale appeti.

Agere propter finem cuius ſit. 9. Dubium tamen eſt, vtrùm ſoli naturæ intellectuali conueniat agere propter finem? Reſpõderur tamen, quidquid alij contradicant, ſi agere propter finem abſolutè ſumatur, omnia agentia agere propter finem. Ratio eſt, quia omnia agentia dum operãtur intendunt aliquod bonum, ad quod vel ſe ipſa dirigunt, vel ab Auctore naturæ diriguntur. Operari autem hoc modo eſt propter finem operari. Agere verò propter finem dirigendo ſe ad illum, proprium eſt intellectualis naturæ. Probatur autem iſta concluſio, quia ſe ipſum dirigere eſt eius naturæ, quæ delectu, & arbitrio ſuo agit, quod ijs omnibus, ac ſolis conuenit, quæ intelligendi, & appetendi vi pollent, & prædita ſunt. Vnde cæteræ res dicuntur tendere in finem ab alio directæ, ſiue ferantur in ipſum aliqua notitia præeunte, vt belluæ, ſiue nulla, vt arbores, & elementa, quæ tendunr in finem impulſa à primo motore, nimirum Deo. Ratio.

10. Petes ſecundò, vtrùm ſit aliquis finis vltimus humanarum actionum. Reſpondetur, in quolibet genere humanarum actionũ dandum eſſe aliquem finem vltimum. Probaturque hoc ex eo, quia ſicut in mouentibus per ſe ordinatis, quorum ſcilicet vnum pendet ab alio in cauſando, non poteſt dari progreſſus in infinitũ, ſed neceſſariò deueniendum eſt ad aliquod primum, alioqui non eſſet motus, ita in finibus conſiſtendum eſt in aliquo vltimò, quod ſit principium mouens finaliter, in quo appetitus cõquieſcat: alirer nulla eſſet appetitio. Omnis autem appetitio tendit in vltimum finem, & in ſummum bonum. Hæc eſt ſententia Ariſtotelis Dandus eſt aliquis finis vltimus.

Digitized by Google

ſtotelis primo Ethicorum cap. 7. & aliorum grauium Auctorum. Suadetur autem ex eo, quia quidquid appetitur, non niſi ſub ratione boni alicuius appetitur; vel ergo huiuſmodi bonum eſt omnino perfectum, & ita eſt vltimus finis, vel non eſt perfectum omnino, ſicque appetitur in ordine ad perfectum; ergo, &c. Deinde probatur, quia ita ſe habet vltimus finis in mouendo appetitum, ſicut in alijs motibus primum mouens: ſicut ergo cauſæ ſecundæ nō mouent, aut quidquam agunt, niſi concurrente, aut mouente prima, ita creata, & ſecundaria appetibilia non mouebunt, niſi mouente fine vltimo, ſaltem quatenus omne bonum creatum eſt participatio increati.

DE FELICITATE.

In quo conſiſtat felicitas huius vitæ.

CAPVT IIII.

Quid ſit felicitas.

11. Beatitudo nihil aliud eſt, quàm *Summum hominis bonum.* Definiturq; à Boetio lib. 2. & 3. de conſolatione proſ. 2. *Status omnium bonorum aggregatione perfectus.* De felicitate igitur variæ fuerūt veterū, diſcrepanteſque ſententiæ, quibus relictis. Dicendum eſt felicitatē non conſiſtere in diuitijs, vt aliqui volebant, neque in poteſtate, & potentia, nec in honore, & fama, aut gloria humana, & mundana: eſt enim felicitas *Solidum, verūque bonum*, qualia non ſunt ea, quæ hactenus numerauimus. Vnde colligi poteſt felicitatem non etiam conſiſtere in bonis corporis, neq; in voluptatibus, cùm hæc omnia ſint terrena, & valde mutabilia, & caduca, quæ humanam voluntatem ſatiare non poſſunt. Ideo nec vera felicitas in hoc miſero ſtatu corporis euenire poteſt, cùm hæc omnia potiùs ad mala, & peccata, quàm ad virtutes comparandas videantur inſeruire.

12. Vnde dicendum eſt felicitatem noſtram in ſolis animæ bonis, vt in præcipuis, permanentibus, & ſtabilibus conſiſtere. Sunt verò animæ bona duplicia. Quædam ſunt potentiæ, alia operationes. Felicitas igitur non in potē tijs, ſed in operationibus animæ conſtituenda eſt.

13. Petes, in qua nam operatione felicitas conſiſtat? Ad cuius dubij ſolutionem aduertendum eſt felicitatem, ſeu beatitudinem duplicem eſſe, ſupernaturalem ſcilicet, & naturalem. Rurſus vtrāque illarum dupliciter diuidi, nimirum ſupernaturalem in eam, quæ ad hanc mortalem vitam, & in eam quæ ad aliam vitam pertinet. Item naturalem in ſpeculatiuam, & practicam. Supernaturalis beatitudo, quæ in alia vita obtinetur, conſiſtit in intuitiua diuinæ naturæ contemplatione, vt tenet D. Thomas.

In qua operatione conſiſtat beatitudo.

D. Thom. 1. 2 q. 2 & lib. 3. cōtra gentes à cap. 25.

14. Felicitas autem naturalis huius vitæ duplex eſt, vt ſupra diximus, altera practica, quæ vitæ actiuæ finis eſt, altera contemplatiua, quæ eſt vitæ contemplatiuæ

Felicitas quotuplex.

finis.

finis. Felicitas practica, cùm neceſſariò ſita eſſe debeat in actione vitæ practicæ, vtique conſiſtit in operatione ſecundum virtutẽ moralem, & præcipuè prudentiã, quæ eſt virtutum regula, atque inter eas principatum habet. Contemplatiua ſita eſt in contemplatione potiſsimùm Dei, & aliarum etiam ſubſtantiarum materiæ expertium ſiquidem hæc eſt nobiliſsima ſpeculatiui intellectus operatio, nec in hoc ſtatu ſecundũ naturæ vires perfectiori modo Deum poſsidemus.

Definitur felicitas. A. iſt. 1. eticor. cap. 7.

15. Vnde facilè poteſt intelligi definitio felicitatis tradita ab Ariſtotele, nimirum. *Felicitas eſt operatio animæ per rationem, aut non ſine ratione, ſecundum virtutem in vita perfecta.* Dicitur. *Operatio animæ per rationem, ſiue intellectum*, id eſt operatio edita à potentia intellectiua. *Vel non ſine ratione*, id eſt, vel ab intellectu præſcripta, & regulata; ſiquidem actiones humanæ, vel ab intellectu per ſe eliciuntur, vel ab alijs potentijs, quas intellectus regit, & gubernat. Dicitur *Secundum virtutem*, quia oportet actionem, in qua felicitas ponitur, ſtudioſam eſſe, rectæque rationi conſentaneam. Additur poſtremò, *In vita perfecta*, quia vt vna hirundo nõ facit ver, ita nec dies vnus, vna ve operatio reddit hominem felicem, ac proinde vt quis felix dicatur, oportet totius vitæ decurſu, aut longo tempore eam actionem, in qua beatitudo conſiſtit, exercere.

Quædam corollaria.

16. Ex dictis ergo colliges primò cùm in hac vita tot ærumnis, & incommodis animi, corporiſque obnoxia, neque actiua, neque contemplatiua felicitas perfectè poſsideri queat, neutram in hoc ſtatu appetitum hominis ſatiare, eſtò illum aliquo modo expleat extrinſecè. Colliges ſecundò felicitatem contemplatiuam naturalem non eodem prorſus modo eſſe in contemplatione ſitã, quo beatitudo ſupernaturalis alterius vitæ in intuitiua diuinæ naturæ cognitione. Colligitur tertiò felicitatem contemplatiuam perfectiorem eſſe, quàm actiuam, quia contemplatio, cùm ſuapte natura propter ſe quæratur, nobilior, & excellentior eſt, quàm praxis, vt tenet Ariſtoteles lib. 6. Ethicorũ cap. vlt. & lib. 10. eiuſdem operis cap. 7. & lib. 7. Politic. cap. 2.

Bona externa quomodo ad felicitatem requirantur.

17. Vltimum dubium eſt, vtrũ ad felicitatem externa bona requirantur? Variæ fuerunt hac de re contentiones inter Stoicos, & Peripateticos. Reſpondetur tamẽ cum Ariſtotele ad felicitatem nõ qualemcumque, ſed hominis politici, & qui in reipublicæ luce verſatur requiri externa bona, tamquam inſtrumenta ad beneficentiam exercendam, ad propulſandas iniurias, & alia ſimilia munia.

DE TRIBVS PRINCIPIIS HVMANOrum actuum, Voluntate, Intellectu, & Appetitu ſenſitiuo.

QVÆSTIO II.

Vtrùm omnes actus humani à libera voluntate proficiſcantur?

CAPVT I.

Actus humanus quotuplex.

1. AD faciliorem quæſtionis intelligentiã aduertendũ priꝰ eſt actum aliquem dupliciter poſſe dici humanũ. Vel quoad ſubſtantiam, aut entitatem: quo pacto omnes, ac ſolæ operationes, quæ manant à proprijs hominis potentijs, humanæ dicũtur, vt ratiocinari, flere, & ſimiles. Vel quoad operandi modum. Quia verò proprius modus operandi prout à belluis diſtinguitur eſt ita agere, vt ſuarum actionum dominium, & libertatem gerat, fit, vt poſteriori modo eæ tantùm actiones humanæ vocentur, quas homo in libera poteſtate habet. Voluntas autem non ideo dicitur libera, ſeu deliberata, quòd ipſa deliberet, (iſte enim actus potiùs ad intellectum, quàm ad voluntatem pertinet) ſed quia præeuntem intellectus deliberationẽ ſequitur. Quo fit, vt illa actio dicatur à libera voluntate proficiſci, quæ à voluntate intellectus deliberationem ſequente elicitur, aut imperatur.

Deliberata actio quid.

Reſolutio quæſtionis

2. Vnde dicendum eſt omnes actus humanos proficiſci á libera hominis voluntate. Ratio eſt, quia quamuis radix libertatis ſit in intellectu, formalis tamen libertas à ſola voluntate eſt. Et confirmatur, quia libertas dicitur, qua aliquid vt libet eligimus; electio autem fertur in bonum, quod cùm ſit obiectũ voluntatis conſequens eſt, vt formalis libertas pertineat ad voluntatem.

Quomodo voluntas moueat intellectũ, & intellectus voluntatẽ.

3. Maius tamen dubium eſt, vtrùm voluntas intellectum, an intellectus voluntatem moueat? Reſpondetur tamen dupliciter poſſe aliquam facultatem animæ eſſe in potentia. Vel quoad eliciẽdam, vel non eliciendam actionẽ: quod vocatur *Eſſe in potentia ad exercitium actus*. Vel quoad hoc, illudue agendum, id eſt quoad producendum actum huius, aut illius ſpeciei: quod dici ſolet *Eſſe in potentia quoad actus ſpecificationem*. Vnde dicimus voluntatem quoad exercitium mouere intellectum, ſicut & reliquas potentias quoad actꝰ humanos. Ratio eſt, quia principium actus cuiuſcumque potentiæ actiuæ eſt ex fine: finis verò actuum intellectus continetur ſub fine voluntatis, ac

Ratio.

proinde intellectus ad actus ſuos eliciendos á voluntare moueri debet. Diximus in concluſione *Quoad actus humanos*, quia ad actus ſubitos, qui omnem actum volũtatis antecedunt, non mouetur intellectus à voluntate, ſed ab obiecto interuentu ſpeciei intelligibilis, & phantaſmatis.

4. Dicendum ſecundò eſt intellectum quoad ſpeciem actus mouere, & determinare voluntatem. Probatur autem iſta concluſio ex eo, quia intellectus proponit voluntati obiectum, à quo tãquam à principio formali externo actus voluntatis ſpeciem ſumunt. Vbi notandum eſt bonum cognitum non ſolùm ſe habere ad actus voluntaris, vt cauſam formalem externam prout illis tamquam terminus ad quem referũtur, ſpeciem tribuit, ſed vt finem, quatenus motu metaphorico allicit voluntatem.

Vtrùm voluntas moueat omnes alias potentias ad ſuos actus exercendos?

CAPVT II.

5. REſolutio ſit voluntatẽ mouere aliquo modo ad ſuos actus exercẽdos reliquas animi potentias, quæ ſuapte natura eius imperio ſubduntur. Hæc eſt ſententia D. Auguſt. lib. 12. de ciuit. Dei cap. 6. & aliorum Patrũ. Suadetur autem, quia contẽplamur, legimus, loco mouemur, cæteraque id genus ſimilia, cùm volumus, præſtamus; ergo, &c.

6. Dubium tamen eſt, quomodo ſe habeat voluntas in præſtando hanc motionem? Reſpondetur primò non mouere alias potentias applicando, ſi loquamur de ea applicatione, qua res applicata aliquam præuiam motionẽ ab applicante accipit, vt cũ quis admouet ſecurim ad ſcindenda ligna, imprimendo illi impulſum: voluntas autem non inijcit potentijs aliquam præuiam motionem. Reſpondetur ſecundò voluntatem mouere alias potentias non concurrendo cum illis tamquam cauſa verè efficiens, ita vt ex potentia, cum qua voluntas concurrit, & ex ipſa voluntate fiat integra cauſa, á qua vna, eademque numero actio manat, ſed concurrere tantùm per imperium, ſuppoſita ſubordinatione, & ſympathia potentiarum.

Quomodo voluntas moueat potentias.

7. Petet tamen aliquis quo pacto voluntas moueat ſenſus internos? Ad cuius dubij ſolutionẽ aduerte duplex eſſe imperium, alterum *Deſpoticum* ſeu *Dominicum*, alterum *Politicum*, ſeu *Ciuile*, quod etiam *Regium* appellatur. Imperium deſpoticum eſt, quo dominus imperat ſeruis, qui facultatem reſiſtendi non habent, cùm nullo modo ſui iuris ſint. Imperium politicum eſt, quo Princeps reipublicæ imperat ciuibus, qui tametſi eius præceptis obediant, tamen cùm liberi ſint aliquid ſuum habent, quo eius imperio reſiſtere valeant.

Duplex imperium.

8. Senſus igitur quæſtionis eſt, vtrùm voluntas moueat ſenſus internos imperio ciuili, an deſpotico? Reſ-

Senſus interni quomodo obediant voluntati.

co?Reſpondetur tamen nunc cũ S.Thoma 1.p.q.81 arr 3.ad 2.cogitatiuam,quæ etiam ratio particularis dicitur,regi, mouerique á ratione,& voluntate imperio deſpotico,non ita verò reliquos ſenſus internos.Tenacitas autẽ cogitationum prouenit ex multis cauſis,ſed præcipuè ex his, nimirum ex reali præſentia obiecti ſeſe per externos ſenſus ingerentis,vel ex interna inſtigatione dæmonum, qui imagines interiùs aſſeruatas agitatis ſpiritibus huc,illuc tranſferunt,& ad rerum, quæ ijs repræſentantur,apprehenſion ẽacuunt, accommodantque. vel etiam ex affectione organi,ſiquidem maléncholici, qui ſicco, & frigido ſunt temperamento,in eiuſdem rei apprehenſione diutius inſiſtunt. Vel potiùs ex affectu appetitus ſenſitiui,cùm certum ſit ijs magis affigi internum ſenſum, ad quæ appetitus maiori impetu fertur.

Appetitus ſenſitiuus quo pacto moueatur à volũtate

9. Petes ſecundó, qua ratione voluntas appetitum ſenſitiuum moueat? Dicendum igitur eſt, illum á voluntate imperio politico, non autem deſpotico moueri. Hæc eſt communis ſentẽtia Ariſtotelis in calce lib.1.Ethicor.& 1. Polit.cap.3.& aliorum,& probatur ex ſacra pagina, ex verbis illis cap.4.Geneſeos. *Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius.* Et ex D.Paulo 7.ad Romanos. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.*

10. Ordinatius autem modus, quo voluntas mouet appetitum, eſt per apprehenſionem ſenſus interni,id eſt mouendo imaginatricem facultatem, verbi gratia, vt de hac,aut illa re cogitet, quã deinde appetitus amplectatur, aut fugiat.

Membra externa.

11. Petes tertiò, quo pacto voluntas externa membra moueat, quibus latio arbitraria exercetur? Reſpondetur membra externa exerceri, & moueri à voluntate imperio ſeruili,ac citra vllam repugnantiam,niſi aliquo impediãtur morbo, vt accidit in paralyſi laborãtibus. Vnde colliges, quòd voluntas in viribus animæ mouet vt agens ſupremum, appetitus vt agens medium, vltimum autem eſt virtus motiua membris inſidens.

Vtrũ appetitus ſenſitiuus moueat voluntatem.

12. Petes quartò, vtrùm appetitus ſenſitiuus moueat voluntatem? Reſpondetur primò, negari non poſſe appetitum mouere voluntatem,quod iam ſupra probauimus ex illo D Pauli: *Video aliam legem in membris meis, &c.* Et confirmatur experientia; nemo enim eſt,qui non experiatur motum appetitus, ſiue iræ, ſiue doloris,aut lætitiæ, inclinare ad ſe voluntatem. Reſponderi ſecundò poteſt appetitum non mouere voluntatem imperando illi;ſolùmque illam mouere ex parte obiecti,hoc eſt interuentu notitiæ intellectiuæ, quæ obiectũ amplectendum,aut declinandũ proponit. Quod duobus modis fieri poteſt.Vno,quia paſsio appetitus in cauſa eſt,vt intellectus hoc,aut illo modo, aliter, atque aliter de re iudicet,quo fit, vt voluntas ſequens iudicium intellectus idem velit,ac repudiet, quod appetitus. Altero modo,quia appetitus mouet voluntatem per notitiam in-

terni ſenſus, quam ipſe ſequitur; quatenus ſenſuum phantaſmata determinãt intellectum ad huius, & illius rei conceptionem.

13. Petes quintò, an appetitus aliquando abſque interuentu notitiæ intellectiuæ immediatè moueat voluntatem per redundantiam, propter ſolam ipſarum potentiarum cognationem, ſeu nexum? Reſpondetur cùm voluntas non tendat in ignotum, eatenus mouere volũtatem, quatenus voluntas in bonum repræſentatum ubi per intellectum maiori impetu fertur, propter inclinationem appetitus. Si appetitus autem adeo ſit vehemens, vt omnino rationis vſum abſorbeat, tũc neceſſariò mouere voluntatem: alioqui non.

Vtrū bonitas, & malitia humanarum actionum petenda ſit ab obiecto, an non?

CAPVT III.

Reſolutio dubij.

14. BOnitas, & malitia humanarum actionũ ſumitur ab obiecto. Ratio eſt, quia humanæ actiones referuntur ad obiectum, vt ad menſuram ſui eſſe, & tanquam ad cauſam formalem extrinſecam, à qua proinde ſpeciẽ, & diſtinctionem capiunt. Vnde aduertendum eſt nomine obiecti hoc loco intelligendam eſſe materiam, circa quam verſatur actio; cuiuſmodi eſt pecunia, in quam fertur appetitio v.g.

15. Aduertendum deinde eſt, quemadmodum libertas humanarum actionum formaliter eſt in voluntate, ita bonitatem, & malitiam moralem ad actiones humanas pertinentem formaliter reperiri in actione interna ipſius voluntatis; licèt obiectiuè ſit in materia, circa quam verſatur. Aduertendum deinde eſt, actionem humanam externam dupliciter ſumi poſſe. Primo modo ſecundũ ſe, prout obiectum quoddam eſt actionis internæ voluntatis conſentaneum rectæ rationi, & diuinæ legi, vel ab ea diſſentaneum, & ſi talis actio à nullo exerceatur; quo pacto dicitur bona, vel mala ſolùm ex prædicta conformitate, vel diſformitate, non tamen formaliter per bonitatem vel malitiã à voluntate diriuatam. Alio modo ſumi, quatenus verſatur in executione, ſicque eſt effectus volũtatis. Vnde tandem ſciendum eſt bonum, & malum morale non eſſe differentias humanarum actionum. Ratio eſt, quia actiones humanæ ſumunt bonitatem, & malitiam ab obiectis, ad quæ reſpectu tranſcendenti ſibi intrinſeco, & eſſentiali referuntur; ergo per bonitatem. & malitiam, quam ab ijs accipiunt, intrinſecè conſtituuntur, ergo &c.

Notationes aliquot.

Actiones vnde ſumant ſuam bonitatem.

Vtrùm bonitas, & malitia humanarum actionum pendeat etiã à circumſtantijs?

CAPVT IIII.

Circumſtãtia quid & quotuplex.

16. CIrcumſtãtiæ humanarum actionum ita dicuntur ex eo, quòd circumſtent actiones humanas, quaſi extrinſecùs ſe habentes ad earum ſubſtantiam, ſiue eſſentiam, vt latè explicat D. Thomas in diſputatis quæſt. 2. de malo art. 6. & alij plures, quæ omnes circumſtantiæ in hoc carmine continentur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.

17. *Quis* ſignificat accidentia perſonæ agentis, vt vtrùm, qui interfecit, ciuis ſit, an peregrinus. *Quid* non ſignificat ipſam actus ſubſtantiam: non enim actus poteſt eſſe circumſtantia ſui ipſius, ſed notat accidentia effectus per actum producti, vt ſi is, qui alium frigida abluit, nocumentum intulit. *Vbi* ſignificat accidentia loci, vt vtrùm palam, an occultè in loco ſacro, an profano ſcelus patrauerit. *Quibus auxilijs*, id eſt, quibus inſtrumentis, aut medijs, vt percuſſerit ne gladio, an fuſte. *Cur*, id eſt, ob quem finem, vt angtatia rei priuatæ, vel ad pattiam liberãdam periculum adierit. *Quomodo* ſignificat actionis modum, vt dolo, an bona fide fecerit. *Quando* ſignificat accidentia tẽporis, vt vtrùm die feſto, an profeſto rem diuinam omiſerit.

18. Vt autem hæc de circumſtantijs clariora fiant, & meliùs intelligantur, aduertendum primò eſt inter circumſtantias, quaſdam notabiliter augere malitiã, vel bonitatem actionum moralium, quaſdam non, verbi gratia. Quidam furto accepit mille aureos, alius quadrantem; quantitas pecuniæ in priori furto reddit illud notabiliter graue, in poſteriori minimè. Aduertendum ſecundò eſt circumſtantiarum quaſdam inuehere difformitatẽ, vel bonitatem eiuſdem ſpeciei, quaſdam ſpecie differentem: nã circumſtantia inſtrumenti, quo quis hominem interimit, nempe gladij, aut fuſtis, non addit homicidio malitiam diuerſam ſpecie, ſed cùm quis interfecit hominẽ, vt eum ſpoliet, circumſtantia ſpoliationis, furtiuè addit homicidio difformitatem nouę ſpeciei ſiquidem furtum ſpecie differt ab homicidio. Aduertendum tertiò eam circumſtantiam addere actui malitiam, vel bonitatem ſpecie differentem, quæ importat ſpecialem ordinem conformitatis, vel difformitatis ad rectam rationem, & legem Dei vt ex dictis patet.

Circumſtã variant actus.

19. His ita poſitis iam facilè erit propoſitæ quæſtioni initio ex citatæ reſpõdere, videlicet bonitatem, & malitiam humanarum actionum pendere etiam à circũſtantijs, quandoquidem hæ talem bonitatem, & malitiam augere, & minuere, atque interdum ad diuerſam ſpeciem trahere ſolent.

Soluitur præcipua quæſtio.

DE

DE AFFECTIONIBVS ANIMI, quæ *Paſſiones* vocantur.

QVÆSTIO III.

Vtrùm Appetitus ſenſitiuus rectè diuidatur in concupiſcibilem, & iraſcibilem?

CAPVT I.

Pars affirmans vera.

1. Eſolutio ſit affirmatiua, quidquid alij contradicant, nimirum appetitum ſenſitiuum rectè diuidi in iraſcibilem, & concupiſcibilem, vt in duas ſpecies realiter diſtinctas. Hæc eſt communis Philoſophorum, ac Patrum ſententia. Veritas autem huius concluſionis ita oſtenditur à D. Thoma 1. p. quæſt. 81. attic. 2. quia ſicut alijs rebus naturalibus corruptioni obnoxijs non ſolùm conuenit inclinatio, ac vis ad cõſectanda ſibi conuenientia, & fugienda aduerſa, ſed etiam ad reſiſtendum contrarijs, vt patet in igni, qui non ſolùm propenſionem, ac virtutem obtinet, vt locum infimum deſerat, & in ſuperum euadat, ſed etiam calorem, vt ijs, quæ ſibi perniciem moliuntur, obſiſtat, ita oportet in ſenſitiua parte dari duplicem vim appetentem, vnam, per quã anima ſimpliciter inclinetur ad proſequenda ea, quæ conueniunt ſecundum ſenſum, & deuitanda noxia, quæ pars *Concupiſcibilis* dicitur: alteram, per quam propulſet aduerſantia, & obluctetur ijs, quæ vtilia, aut ſalutaria remouent, aut nocumentum inferunt. Vnde eius obiectum dicitur arduum, ac difficile, & hæc *Vis iraſcibilis* nuncupatur; quæ eò differt à priori, quód illa tendat in bonum ſenſibile abſolutè; hæc in bonum etiam ſenſibile, ſed tamen quatenus difficilè, & arduum: non quòd ipſam difficultatem expetat, ſed vtilitatem potiùs, quæ in concupiſcibilem redundat. Et hæc potentiæ ſunt inter ſe diſtinctæ, cũ habeant diuerſam ſedem in corpore, vt ex dicendis patebit.

Sedes vtriuſque appetitus.

2. Petes, an vterque appetitus ſenſitiuus in corde ſedem habeat? Plato, & alij Philoſophi, quidam in diaphragmate, alij in felle appetituum ſedem collocabant. Probabilius tamen eſt vtrumque appetitum in corde ſedẽ habere. Hæc eſt opinio Ariſtot. lib. 1. de partib. animaliũ c. 4. & aliorum Philoſophorum. Probatur autem huius ſententiæ veritas ex eo, quia omnis affectus, ſiue iræ, ſiue cupiditatis in corde perturbationem excitat, in eoque mox ſentitur. Deinde, quia cor, vt tenent communiter Philoſophi, eſt origo, & fons omniũ vitaliũ operationũ, in quo proinde appetitus ad ſer-

ad ſeruandam vitam, & pericula propulſanda á natura dati conſiſtere debuerunt. Aduertendum tamen eſt non in eadem cordis parte vtrumque appetitum reſidere, ſed locis aliquantulùm diſtetis ob diuerſam qualitatum compoſitionem, quam ira, & cupiditas exigunt: ira enim affluētia caloris, & ſiccitatis gaudet; cupiditas verò abundantia humiditatis, & caloris.

Definiuntur, & diuiduntur paſsiones.

CAPVT II.

Paſsio definitur. 3. PAſsio definitur à Philoſophis, *Motus appetitus ſenſitiui ex apprehenſione boni, vel mali cum aliqua mutatione non naturali corporis.* Vt autem hæc definitio ampliùs innoteſcat aduertendum primó eſt, paſsionem tripliciter ſumi poſſe. Primò pro receptione cuiuslibet rei, ſiue per eam id, quod patitur, aliquid abijciat, ſiue non. Ex quo rectè intelligi poteſt Diuus Dionyſius 2. cap. de diuinis nominibus, cùm dixit ſanctiſsimum virum Hierotheum diuina patietē multa didiciſſe: ſic etiam aer pati dicitur, cùm Solis luce colluſtratur: Secundò ſumitur paſsio pro receptione cuiuſque rei cū abiectione alterius; ſiue id, quod abijcitur, ſit cōueniens rei naturæ, ſiue repugnās: quo modo aqua patitur cùm refrigeratur, aut calefit. Tertiò pro receptione cuiuſque rei cū expulſione eius, quod naturæ patiētis accomodatū erat. Quę acceptio eſt magis propria, & germana.

Paſsio pluria ſignificat.

4. Aduertendū deinde eſt illum motū perennē, quo cor continuò dilatatur, & cōtrahitur, eſſe naturalē, & animantiū naturæ conuenientē, quādiu fit certa quadā intenſione, quæ cū eorū tēperamēto proportionem habeat; nō verò ab intēſione ordinaria excedat. Aduerte ſecundò.

5. Aduertendum tertiò eſt inter actus omnes potentiarū, tam cognoſcentium, quàm appetentium, eos dumtaxat, qui ad appetitum ſenſitiuum ſpectant, ſuapte natura ſemper fieri cum aliqua transmutatione corporis, quæ animal à ſua naturali diſpoſitione deijciat. Vnde patet paſsiones fieri cū mutatione, quia ijs diſtrahitur cor à motu ſibi naturali. Ex quo fit, paſsiones nō propriè ad appetitū rationalē pertinere, vt patet ex earū definitione. Itaque *Gaudium, Amor*, & *Lætitia*, alijq; ſimiles affectus, prout in volūtate cernūtur, non propriè, ſed ſimilitudine quadā paſsiones vocari poſſunt. Tertiò.

6. Petet tamen aliquis, vtrúm paſsiones cadant in animum ſapientis. Hac de re variæ fuere Philoſophorum ſententiæ pro parte negatiua. Quibus depoſitis probabilius dicendū eſt paſsiones cadere etiā in eos, qui veræ ſapiētiæ, & magnarū virtutum ornamentis ſunt præditi, cùm illæ naturaliter obueniant. Itaque ſi paſsiones ſecundum ſe ſpectentur, id eſt, Vt ſunt motus quidam irrationalis appetitus, nō cōuenit eis malum, aut bonū morale, quod á ratione pendet: cōuenit tamen, ſi cōſiderentur An paſsiones ſint in ſapiente.

rentur prout ſubiacent imperio voluntatis, & rationis, vt tenet D.Aug.lib.4.de ciuitate Dei c.8. *Cupiunt*, inquit, *timent, lætantur, & boni, & mali. ſed illi bene, iſti male: ſicut hominibus, ſeu recta, ſeu peruerſa voluntas eſt.*

Paſsionum genera quatuor.

7. Inter paſsionũ genera quatuot præcipuè à Philoſophis cõmuniter numerantur, ex quibus reliqua diriuantur, nimirum *Gaudium, Triſtitia, Spes, & Timor.* Solēt hæc quatuor paſsionum genera quatuor principalibus ventis cõparari; quia vt hi mare tempeſtatibus, ſic illæ animum turbulentis motibus perturbant. Quo fit, vt numerus harum quatuor paſſionum ſecundum differentiam temporis præſentis, & futuri ſpectetur: motus enim futurum reſpicit, quies in aliquo præſenti eſt. Igitur de præſenti bono eſt gaudium, de præſenti malo triſtitia, de bono futuro ſpes, de malo futuro timor. Reliquæ paſsiones ad has reuocari poſſunt.

Quæ in alias ſubdiuiduntur.

8. Si ergo paſsionum genus in ſuas ſpecies minutiùs expendamus, vndecim inueniemus, quarũ numerus ita colligi poteſt. Paſſionum quædam reſpiciunt bonum, aut malum ſimpliciter, pertinentque ad appetitum concupiſcibilem; aliæ bonum, aut malum arduum, ſpectantque ad iraſcibilem. Illæ ſex ſunt, tres reſpectu boni, totidem reſpectu mali: oblata enim re bona excitatur primò in concupiſcibili amor illius. Quòd ſi talis res abſens ſit cõſurgit deſiderium, ſi præſens delectatio, ſeu gaudium. Similiter oblata re ſub ratione mali oritur primò in concupiſcibili odium amori contrarium. Quòd ſi res, quam odio proſequimur, abſit oritur ſtatim fuga deſiderio aduerſa; ſi adeſt naſcitur triſtitia, ſeu dolor delectationi inimicus. Paſſiones autem, quę bonum, vel malum arduum reſpiciunt, & ad iraſcibilem ſpectāt, ſũt quinque, duæ reſpectu boni, tres reſpectu mali, quia ſi obijciatur res ſub ratione boni ardui, quam quis obtinere ſe poſſe iudicat, prouenit ſtatim in iraſcibili ſpes. Si putet eam ſe conſequi non poſſe exiſtit deſperatio: non eſt enim in iraſcibili aliquis motus reſpectu boni, quod iam adeſt, & poſsidetur. Aliæ verò tres paſsiones iraſcibiles comparatione mali ardui ita colliguntur. Malum arduum, aut præſens eſt, aut non eſt; ſi non eſt oritur timor, vel audacia; timor, ſi id formidemus, & refugiamus; audacia ſi aggrediamur. Si tamen præſens eſt conſurgit ira, qua animus exardeſcit ad ſumendam vindictam, & ad præſens malum depellendum. Vnde fit, vt amor, & odiũ ſint veluti principium motus: his enim inclinamur ad aliquid optandum, vel fugiendum: ſicut lapis grauitate propendet ad deſcenſum. Quædam etiam ex paſſionibus ſe habent veluti motus, nempe deſiderium, & fuga. Aliæ denique, vt quies, & termin' motus, vt delectatio, & triſtitia. Quia tamen principium motus ipſo motu eſt prius, & motus prior quiete, ideo inter paſsiones appetitus concupiſcibilis, quæ circa bonum verſantur, amor eſt prior deſiderio, deſiderium de-

lectatione. Inter eas vetò, quæ ad malum tendunt, odium ptius eſt fuga, fuga prior, quàm triſtitia.

DE VIRTVTIBVS IN communi.

BIBLIOTECA ROMA VITTORIO EMANUELE

QVÆSTIO IIII.

Vtrùm definitio virtutis rectè ſe habeat?

CAPVT I.

1. VAtiæ hac de te fuere opiniones apud Philoſophos. Vt autem quid ſeiri oportet explicemus, aduettēdum prius eſt duo eſſe geneta virtutum. Vnum earum, quæ noſtris actibus acquiri poſſunt, vt *Fortitudo, Temperantia.* Alterum earum, quæ immediatè infunduntur à Deo, vt *Fides, Spes, Charitas.* Item ex virtutibus aliæ ſunt morales, quæ in appetitu, ſiue intellectiuo, ſiue ſēſitiuo inſident, aliæ intellectuales, quæ in intellectu. Inter quas hoc intereſt diſcriminis, quòd morales non ſolùm bonam actionem efficiant, ſed bene, teddantque eius vſum bonum ex parte finis, & aliarum circumſtantiarum quæ ad opus cohoneſtandum requiruntur, & quæ, cùm adhibentur, dicitur opus, non in cotantū genere, ſed abſolutè bonum. Ad rationem verò intellectualis virtutis ſatis eſt efficete actionem, ſiue opus bonum in ſuo genete, quāuis aliunde vitietur.

Virtutū duplex genus

2. His ita animaduerſis dicim' virtutem in toto ſuo ambitu, vt tā acquiſitas, quàm infuſas, tam morales, quàm intellectuales cōptehendit, ita definiri communiter. *Virtus eſt habitus operatiuus boni.* Intellectualis veró ita. *Virtus intellectualis eſt habitus operatinus boni reſidensin intellectu.* Sed virtus infuſa ita ex Auguſt. lib. 2. de lib. arb. c. 8. *Virtus eſt bona qualitas mentis qua rectè viuitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus in nobis ſine nobis operatur.* Moralis virtus ita definitur ab Ariſtotele. 2. Ethic. cap. 6. *Virtus eſt habitus electinus in mediocritate conſiſtens, ea, quæ ad nos eſt definita ratione, & vt definierit ipſe prudens.* Quæ definitio, cùm ſit propria huius loci, accuratiùs eſt explicāda. Dicitur *habitus*, quia eſt diſpoſitio perfecti, habitu autem perfectè diſponimur ad operandum. Vnde particula *habitus* ponitur in definitione virtutis loco generis, ac per eā teijciuntur potentiæ, & paſsiones, cæteraque id genus, quæ habitus non ſunt. Dicitut etiam *habitus electinus*, id eſt per electionem operans, ad excluden-

Definitiones virtutū.

Definitio virtutis moralis.

dam

dam ſcientiam,& alios habitus intellectuales,ad quorum rationem non pertinet,vt actus ab ijs profecti ex delectu,aut voluntariè fiant. Additur, *in mediocritate conſiſtens*, vt reijciantur habitus vitioſi,qui à medioctitate deflectūt. Deniq; addiicitur,*ea,quæ eſt ad nos definita ratione*,vt intelligamus mediocritatem,in qua virtus conſiſtit,non oportere eſse ex natura rei, niſi fortè per accidens,ſed comparatione ſubiecti,& ex arbittio, iudicioque prudentis viri.

virtus moralis eſt habitus bonus.

3. Petet tamen aliquis, vtrùm virtus ſecundum propriam eſſentiam ſit habitus bonus, an non? Partem negatiuam tenuit Scotus in 1.d.17. q.2. aſſerens vnū,eundemque habitum modó virtutē, modò vitium eſſe poſſe. Contraria tamen opinio,quæ ſtatuit virtutem ex ſua natura eſſe habitū bonum, nec vnum, eundemque habitum modò virtutem eſſe, modò vitium, videtur probabilior, & Peripatetica ſententia, eamque tenet,& defendit D. Thomas.in 1.2.q.55.art.1.& 4. & alij. Probatur autem ex Ariſtotele,qui.2.Ethicorum cap.5.inquirens genus virtutis concludit eſſe habitum,eodemque libro c. 8. docet virtutem,& vitium eſſe inter ſe contraria. Hoc autem verū non eſſet,ſi virtus,& vitium formaliter ſignificarent relationes eidem habitui aduenientes: non enim relationes ſunt habitus,nec inter ſe contrarietatem exercēt.

Virtus in medioctitate.

4. Dubitabis ſecundò, vtrùm virtus moralis in mediocritate cōſiſtat? Ad cuius dubij ſolutionem aduertendum eſt dupliciter poſſe virtutem eſſe in medio, nimirum vel quoad eſſentiam, quia eſt habitus inter duo vitia contraria, vel quoad obiectum, quia id in quod tendit rationi eſt conſentaneum, ac proinde medium inter exuperationem, & defectum. Quod in definitione virtutis ſignificauit Ariſtoteles illis verbis, *Ea, quæ ad nos eſt definita ratione*,id eſt virtus conſiſtit in mediocritate ſecundum omnes circumſtantias prudentiæ regula præſcriptas.

Duplex medium.

5. Aduertendū deinde eſt medium,aut eſſe conſtitutum ex natura rei,aut ſumi cōparatione noſtri.Mediū ex natura rei eſt,quod æquè ab vtroque extremo diſtat: quo pacto ſenarius medius eſt inter denarium, & binarium, quia totidem vnitatibus ab vtroque abeſt, nempe quatuor. Medium comparatione noſtri eſt,quod ad nos collatum,neque exuperat,neque deficit,quomodo ea cibi portio,quæ Socrati pro eius temperamento conuenit dicitur mediū reſpectu illius. Non tamen eadē portio omnibus eſt ſatis ad temperamentum,& conſeruationem indiuidui:ſæpe enim id, quod vnius collatione medium habetur reſpectu alterius deficit, aut excedit.

Reſolutio dubij.

6. His ita conſtitutis reſpondemus ad quæſtionem propoſitā, omnem virtutem moralem (excepta Prudentia) conſiſtere in medio quoad obiectum. Hæc eſt ſententia Ariſtot.lib. 2. Ethicorū cap.6.& alijs in locis,& apud Philoſophos cōmunis. Suadetur autem à D.Thom.1.2. q. 64. art. 1 Quia bonum eius, quod regitur

& con-

& conſeruatur, ſitum eſt in adæquatione ad ſuam regulam: cùm enim bonum virtutis moralis à ratione dirigatur, conſequenter poſitum erit in adæquatione ad menſuram rationis. Quæ adæquatio *Eſt æqualitas, ſeu commenſuratio quædam inter exceſſum, & defectum*, id eſt mediocritas, de qua illud Poetæ

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos vltra, citraque nequit conſiſtere rectum.

7. Dicendum deinde eſt omnes virtutes morales, excepta iuſtitia, conſiſtere in medio quoad eſſentiam, hoc eſt inter duos habitus vitioſos poſitæ ſunt. Ratio eſt, quia fortitudo eſt inter vitiũ timiditatis, & audaciæ: liberalitas inter auaritiam, & prodigalitatẽ, & ſic de cæteris. Ratio.

8. Diximus ſupra *excepta iuſtitia*, quia peculiare illi eſt non eſſe inter duo extrema vitia collocatam, & ita tenuit Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum cap. 5 cùm dixit. *Iuſtitiam non eodem modo, quo reliqua virtutes, mediocritatem obtinere*. Poteſt autem hoc ex eo oſtẽdi, quia iuſtitia verſatur inter plus, & minus, quod eſt contra ius. Diximus, *quod eſt contra ius*, quia, qui de ſuo plus dat, vel nullum committit peccatum, vel ſi quod committit, id non ad iniuſtitiam pertinet, ſed ad prodigalitatem, quæ liberalitati opponitur. Vnde fit, vt iuſtitia vnum tantùm habeat extremum cui aduerſetur, nimirum iniuſtitiam, quia prædictum plus, & minus ſemper iniuſtitiam efficit. Vnde colliges iuſtitiam, quia operationes in ordine ad alterũ dirigit, in medio rei conſtitutã eſſe, quia tantùm alteri iubet reddi, quantum ei debetur, & non amplius. Iuſtitia non eſt inter duo extrema.

9. Cùm autem iuſtitia duplex ſit, vt tenet Ariſtoteles loco citato, vna *diſtributiua*, quæ cernitur in diſtributione bonorum Reipub. aut alterius communitatis, iuxta proportionem meritorum vniuſcuiuſque, ita ſcilicet, vt quæ eſt proportio meritorum vnius ad merita alterius, eadem ſit proportio præmiorum ad præmia, altera *commutatiua*, quæ cernitur in commutationibus, & venditionibus, alijſque huiusmodi, fit, vt nõ idem in vtraque medium ſeruetur: nam in commutatiua ſeruatur medium ſecundum proportionem Arithmeticam, vt nimirũ conſtituatur æqualitas inter rem acceptam, & id, quod per eã redditur. In diſtributiua autem tenetur medium ſecũdum proportionem Geometricam, vt eadem in præmijs, quæ in meritis, proportio ſit: verbi gratia, ſi duobus ciuibus loco præmij decẽ aureorum millia diſtribuenda ſint, & ex ijs vnus duplex habeat meritum, alter verò triplex, ſecundũ Geometricam proportionẽ donanda erunt illi quatuor millia, huic autem ſex. Duplex iuſtitia.

Vtrùm ne virtutes homini naturales ſint, an proprijs actibus eas acquirat?

CAPVT II.

Ad

Naturale dupliciter dicitur.

10. AD ſolutionē quæſtionis aduertendū eſt virtutes dupliciter poſſe eſſe nobis naturales. Primò prout naturale idem eſt, atque conueniens naturali inclinationi; ſicque naturalis eſt homini cognitio veritatis. Secundò, vt naturale differt à voluntario: quo pacto ea, quæ nobis à primæua origine, & ex principijs naturæ innata ſunt, & congenita, naturalia dicuntur: vt vis nutriendi, intelligendi, & ſimiles.

In quo ſenſu virtus ſit homini naturalis.

11. Dicendum igitur eſt virtutes eſſe homini naturales primo modo. Ratio huius concluſionis eſt, quia homo natura ſua eſt particeps rationis, eſtque ei naturale ſecundum rationem viuere, quia cùm actiones virtutum ſint conſentaneæ rectæ rationi, conſequēs eſt, vt hominis naturæ conueniētes ſint. Deinde, quia homo per naturam inclinatur ad cognitionem veri teſte Ariſtot. 1. Metaphyſicæ cap. 1. & ad appetitionē boni, teſte eodem Ariſtotele cap. 1. Ethicorum. Virtutes autem intellectuales feruntur in verum, morales in bonum; ergo, &c.

In quo ſenſu non ſint naturales.

12. Dicendum ſecundò virtutes no eſſe homini naturales poſteriori modo. Hæc cōcluſio probatur ex eo, quia ſi virtutes eo modo naturales forent, nemo ijs laudem mereretur, cùm nemo, niſi ex libero actu laudetur. Deinde, quia non poſſent homines vitijs aſſueſcere, ſiquidem, vt tenet Ariſtoteles lib. 1. Magnorum Mor. c. 6. ad id, quod eo pacto eſt à natura inſitum, nihil proficit contraria aſſuetudo, vt patet in terra, v. g. quæ, quia natiuam habet grauitatem, qua deorſum tendit, licèt verſus locum ſuperiorem iaciatur, nunquam ad aſcendendū aſſueſcit. Vnde fit virtutes non eſſe cōtra naturam: alioqui non poſſent homines ijs aſſueſieri.

Virtus acquiſita noſtris actibus cōparatur.

13. Dicendum tertiò virtutes acquiſitas comparari noſtris actibus. Hæc probatur, quia principia operatiua naturæ conuenientia, quæ non inſunt nobis à natura, ſed ex acquiſitione, comparantur noſtris actibus; atqui virtutes acquiſitæ ſunt principia operatiua conuenientia naturæ ad modū ſupra explicatum; ergo comparantur noſtris actibus. Maior conſtat ex doctrina Ariſtotelis lib. 2. Ethicorum: hoc enim eſt diſcrimen inter principia innata, & acquiſita, quòd principia innata antecedunt actus, nec ijs comparantur: aſpectus enim antecedit actionem videndi, nec per eam aſpectus acquiritur.

Virtutes morales an inter ſe cōnexæ.

14. Peres, vtrùm virtutes morales ſint inter ſe connexæ? Non procedit hoc loco quæſtio de virtutibus intellectualibus: certū enim eſt eas non neceſſariò connecti inter ſe, cùm non pendeant à prudentia, cuius nexu inter ſe copulari debent. Solùm ergo procedit quæſtio de virtutibus moralibus, ita tamen, vt hoc nomine etiam prudentia comprehendatur, licèt ad intellectum pertineat. Aduertendum tamen eſt virtutem moralem in vno trium graduum obtineri poſſe, nimirum in gradu continentiæ, in gradu temperantiæ, in gradu heroico. In pri-

mo gradu obtinetur virtus, cùm adhuc paſsiones vehemẽtes ſunt, & tamen ijs reſiſtimus. In ſecundo cúm paſsiones non ita ſunt vehementes, ſed pacatiores. In tertio cùm iam ita cohibitę, ac refrænatæ ſunt, vt ratò admodum, & vix rationi repugnenr. Alij hos gradꝰ vocant *Incipientium, Proficientium, Perfectorum*. De virtutibus igitur in gradu heroico fatentur omnes in hoc gradu eſſe connexas, ita vt v.g. fortitudo perfectiſsima eſſe nequeat abſque aliarum vitturũ ſocietate. Nec etiam eſt quæſtio de virrutibus in gradu continentiæ: conſtat enim dari vnam ſine alijs. Solũ ergo procedit quæſtio de virrutibus ſecundi gradus.

Opinio Scoti.

15. Scotus igitur in.3.diſt.36.ar.1.& alij exiſtimarunt has virtutes non eſſe inter ſe connexas. Contraria ramen ſententia eſt probabilior, & cõmunis Patrũ, ac Theologorum. *Ratio.* Ratio eſt, quia perfecta liberalitas cohibet appetitum pecuniæ in omni euentu: alioqui nõ eſſet perfecta: ſed hoc præſtare non poteſt abſque præſidio aliarum virrutum; ergo liberalitas perfecta tequirit aliarum virtutũ connexionem, atque coniunctionem.

Vtrùm in appetitu ſenſitiuo aliquæ inſint virtutes?

CAPVT III.

Senſus quæſtionis.

16. PRopoſita queſtio nõ de omni virture morali, ſed de ſola temperantia, & fortitudine ſolet excitari: nam, quód iuſtitia in voluntate hæreat, communis eſt Philoſophorũ, ac Theologorum conſenſus. *Sententia Scoti.* Scotus in.3. diſt.33.quæſt.1.duo ſtatuit pronũciata. Primum eſt fortitudinem, & temperãtiã, vt propriè, ac ſimpliciter morales ſunt, reſidere in voluntate. Alterum dari in appetitu, tam iraſcibili, quám concupiſcibili aliquos habitus, quibus circa fortitudinis, & temperãtiæ materiã rectè efficiantur. Qui tamen habitus ad virrutis dignitatẽ non pertingant.

Alia probabilior.

17. Probabilior tamen videtur in hac re ſententia. D.Thomæ in 1.2.q.56.art.4. Caier. & aliorũ, videlicet fortitudinem, & temperãtiam non hærere in voluntate, ſed in appetitu ſenſitiuo. Prior pars huius concluſionis probatur apud. D.Th. quia pro certo ſtatuit nullam potentiam indigere aliqua qualirate, qua inclinetut ad id, ad quod ſuapte natuta propẽſa eſt, quomodo ſe habet voluntas, tum ad bonum in communi, tum ad quodlibet particulare bonum proportionatum ſuppoſito ipſum expetenti. *Cuiuſmodi eſt*, inquit, *omne bonum rationis, quod eſt ordinis naturalis, & proprium tali ſuppoſito, eique comenſuratũ.* Cùm igitur rationis bonum, quod cernitur in cohibendis paſsionibus appetitus ſenſitiui, ſit bonum quoddam ordinis naturalis ipſi expetenri propriũ, nec eius vires excedens, fit, vt voluntas non egeat habitu, quo in tale bonum feratur, egeat tamen appetitus ſenſitiuus, qui ex ſua natura non tendit in bonum rationis, vtpote il

lius

lius menſuram, & aptum exuperans, ſed in bonum delectabile. Nihilominus tamen dabitur in voluntate habitus iuſtitiæ, quia hæc virtus ordinat immediatè affectum hominis ad bonum alterius, ſiquidem iubet reddere vnicuique ſuum. Poſterior ergo pars concluſionis, videlicet, quòd fortitudo, & temperantia inſint in appetitu ſenſitiuo, confirmatur inprimis teſtimonio Ariſtotelis, qui li. 3. Ethic cap. 10. ait *fortitudinem, & temperantiam eſſe partium animæ irrationalium*, hoc eſt, ad appetitum ſenſitiuum pertinere. Et lib. 2. cap. 3. ex inſtituto probat has virtutes verſari in moderandis voluptatibus, & doloribus, quæ ſunt affectiones appetitus ſẽſitiui.

Ariſtoteles ſententia.

18. Ex dictis quiuis intelliget, cũ in Angelis non ſint appetitus ſenſitiui, nõ cõpetere eis habitũ fortitudinis, aut temperantiæ, quidquid in contrarium iudicet Scotꝰ in 3. diſt. 33. q. vnica: non proinde tamẽ deſinent eſſe in Beatis poſt reſurrectionem prædicti habitus, quamuis in eo ſtatu non iam poſſint inſurgere immoderatæ paſsiones, quarum impetum debeant cohibere. Qua propter erunt in Beatis reliqui etiam habitus moralium virtutum, nec ij tantùm, quorum actus ibi exerceri poterunt, ſed etiam reliqui omnes; ante reſurrectionem quidem illi, qui animo hærent, poſtea verò tum hi, tum reliqui in appetitu ſenſitiuo inſident.

Sitne apta virtutum diuiſio, an non?

CAPVT IIII.

19. VAriæ hac de re fuere Philoſophorum ſententiæ. Virtus igitur in communi ſumpta diſtribuitur in intellectuales, & morales docente Ariſtotele 2. Ethicorum cap. 1. Virtutes intellectuales ſunt, quę in intellectu inhærent. Morales, quæ in appetitu ſedem obtinent. Ruſſus virtutum intellectualium aliæ ſunt contemplatiuæ, aliæ practicæ. Contemplatiuæ, quæ in contemplatione, & cognitione veritatis poſitæ ſunt, neque praxim reſpiciunt. Practicæ quæ praxim ſpectant, & in opus incumbunt.

Prima diuiſio.

Secunda.

20. Contemplatiuæ ſunt tres, Intellectus, Scientia, & Sapientia. *Intellectus eſt habitus contemplatiuus, quo quis inclinatur ad aſſentiendum firmiter, & euidenter primis principijs*, cuiuſmodi ſunt hæc. *Omne totum eſt maius ſua parte. Si ab æqualibus demas æqualia, quæ remanent æqualia ſunt.* Scientia, vt á Sapiẽtia diſtinguitur, *Eſt habitus contemplatiuus, quo quis inclinatur ad aſſentiendum firmiter, euidenterque neceſſarijs concluſionibus: non tamen per ſupremas cauſas.* Sapientia *eſt habitus contemplatiuus, quo quis inclinatur ad aſſentiendum concluſionibus neceſſarijs per primas, & ſupremas cauſas*, qualis eſt prima philoſophia.

Intellectus quid.

Habitus ſpeculatiui tres.

Scientia.

Sapientia.

21. Practicæ tres numerantur, nempe *Syndereſis, Prudentia*, & *Ars.*

Virtutes intellectuales practicæ.

Syndereſis

Syndereſis eſt *habitus practicus, quo quiſque redditur propenſus ad aſſentiendum primis, & cõmuniſſimis principijs moralibus*: quale eſt illud. *Bonũ eſt amplectendum, malum vitandum.* Itẽ. *Quod tibi vis, alteri facias. Quod tibi non vis, alteri ne feceris.*

Prudentia. Prudentia eſt *recta ratio agibilium,* id eſt, *actuum humanorum in nobis immanentium*: licèt enim prudentia etiam externos actus regat, circa internos tamen, vnde externi manant, præcipuè verſatur.

Artis definitio. Ars eſt *Recta ratio factibilium.* Factibilia verò appellãtur, quæ fiunt per actionem tranſeũtem: vt domus. Accipitur autem hìc ars preſſè: alioqui etiam ſcientiæ, tam contemplatiuæ, quàm practicæ artis nomine cõpræhenderentur.

Virtus moralis quæ ſit. 22. Virtus moralis dicitur à more, prout, *mos*, naturalem, vel quodammodo naturalem inclinationem ad aliquid agendum ſignificat: talem enim inclinationem potentijs conferunt habitus virtutum moralium, quibus peculiaris eſt huiuſmodi ad actũ propẽſio, quatenus facultas appetẽs, in qua inhærent, alias potentias ad agendum mouet.

Et quotuplex. 23. Cùm autem facultas appetens ſit triplex, videlicet *Voluntas, Appetitus concupiſcendi, & appetitus iræ*, ita ad has animi facultates in officio continendas, ornadasque, tres oportet dari morales virtutes, iuſtitiam in volũtate, temperantiam in appetitu concupiſcẽdi, fortitudinem in appetitu iræ. Si tamen nomen virtutis laxiori ſignificato vſurpetur, hiſçe tribus annumeranda erit prudẽtia, licèt non in appetitu, ſed in intellectu inhæreat. Dicuntur autẽ hæ quatuor virtutes *Cardinales*, quo nomine eas appellauit Diuus Ambroſius ad caput ſextum Lucæ, & Diuus Hieronymus ad caput primum Matthæi, propterea quòd, vt fores cardinibus, ſic illis omnis moralis vitæ honeſtas, & ſanctitas fulciatur.

24. Diuiditur deinde virtus latè accepta in acquiſitam, & infuſam. Virtus acquiſita eſt, quæ noſtris actibus comparatur. Infuſa, quæ non acquiritur noſtris actibus, ſed à Deo infunditur. Tertia diuiſio in acquiſitam, & infuſam. Aduertendum tamen eſt cum S. Thoma in 1 2. q. 52. artic. 4. dupliciter dici habitus infuſos, per ſe, vel per accidens, quia, qui noſtris actibus acquiri poſſunt, & tamen diuinitus tribuuntur, per accidens infuſi vocantur: cuiuſmodi fuit ſcientia Adamo, & Salomoni munere cæleſti conceſſa. Qui verò non aliter, quã diuina infuſione adipiſci queũt, infuſi per ſe dicuntur: vt gratia.

DE

DE PRVDENTIA

QVÆSTIO V.

Vtrùm Prudentia rectè ab Ariſtotele defi-nita ſit?

CAPVT I.

1. HActenus egimus de virtutibus in genere, nunc de ſingulis priuatim ſermo erit, ac primò de Prudentia, quæ inter eas præcipuum locum obtinet: tũ quia reſidet in intellectu, qui appetitu nobilior eſt, tum quia cæteras regit, & alijs de cauſis. Prudentia igitur definitur ab Ariſtotele. *Prudentia eſt habitus agẽdi vera cum ratione circa ea, quæ homini bona, aut mala ſunt.* Dicitur *habitus vera agendi*, id eſt verus, vt reijciantur non ſolùm habitus perpetuò falſi, cuiuſmodi eſt error, ſed etiã ij, qui interdũ in falſitatẽ incurrũt, vt opinio, & ſuſpicio. Dicitur *agẽdi*, id eſt ad actionem dirigens, vt excludantur non ſolùm habitus contemplatiui, v.g. ſcientia, & ſapientia, qui ſola inſpectione veritatis contenti ſunt, nec ad actionem, praximve diriguntur, ſed etiam ars, quæ licèt habitus verus ſit, non eſt tamen habitus agendi, id eſt ex eorum numero, qui in interna actione verſantur, ſed faciendi, hoc eſt, qui in effectionem, ſiue externum opus incumbunt. Additur *circa ea, quæ homini bona, vel mala ſunt*, vt remoueãtur nonnulli habitus, qui licèt veri ſint, & ad imanẽtes actiones præcipuè ſpectent, non tamẽ humanarum actionum probitatem curant, vt Dialectica: id enim prudentiæ munus eſt, vtpote quæ rectè viuendi rationem tradit, & quid fugiendum, amplectendũq; ſit præſcribit. Vnde hæc definitio coinçidit cum ea, quam ſupra aſſignauimus, nimirum. *Prudentia eſt recta ratio agibilium*, ſeu *habitus verus agibilia, id eſt immanentes vitæ humanæ actiones, dirigens.*

Definitio Prudentiæ. Ariſt. lib. 6 Ethicorum. cap. 5.

2. Petet tamen aliquis, quonã modo prudentia dicatur ab Ariſtotele *habitus agendi vera cum ratione*, ſi verſatur circa contingentia, quæ, vt ſuapte natura in vtrãque partem cadunt, ita iudicium intellectus fallere poſſunt. Ad ſolutionem huius difficultatis aduertendũ eſt, quemadmodum intellectus diuiditur in ſpeculatiuũ, & practicum, vt vidimus in tract. de Anima: ita duplicem eſse veritatem, alteram ſpeculatiuam, alteram practicam. Prior ſpectatur penes conformitatem cognitionis, ſiue intellectus cognoſcentis ad rem cognitam: de qua intelligitur illud Ariſtotelis in lib. 1. Perhyerm. cap. 8. *Quia res eſt, aut non*

Quomodo prudentia verſetur circa contingentia.

Duplex veritas.

eſt, ideo oratio vera, aut falſa eſt. Poſterior autem, vt ad præſentem locũ ſpectat, conſiſtit in adæquatione rationis ad appetitum rectum. Vnde ex hac duplici veritatis notione fit, vt nullus habitꝰ ſpeculatiuus ſit abſolutè verus, niſi circa obiectum neceſſarium, & quod aliter ſe habere non poſsit, verſetur, cùm eius veritas à conditione obiecti dependeat. Practicus verò, quamuis tendat in obiectum contingens, poteſt nihilominus eſse veritati conſentaneus, ſi recto appetitui adæquetur, quidquid ſit de conformitate ad obiectum ſecundum ſe, & ex ſua natura ſpectatum.

3. Vnde facilè poteſt intelligi, cur prudentia circa verum perpetuò inſiſtat, neque vnquam erret: nam cùm ſupponat voluntatis certitudinem, oportet eius actum eſse verum practicè, prout habet ordinem ad voluntatem rectam, cui conformatur: & ſi in obiectum contingens tendat, atque adeo ſpeculatiuè falſũ deprehendi poſsit, verbi gratia, quòd mediocritas, quam temperantia requirit, ſit in hac, aut illa cibi quantitate, ex accidente eſt; ſi tamen hæc definita quantitas ſit recto appetitui conformis, vtique certum eſt iudicium, quo intellectus eam quantitatem eſſe mediocrem, ac proinde eligendam præſcribit, quamuis contingat ſpeculatiuè falſum eſſe ob aliquem errorẽ citra culpam iudicantis.

Vtrùm actus Prudentiæ, eiuſque partes rectè tradantur?

CAPVT II.

4. AD quæſtionis ſolutionem aduertendum eſt prudentiã non aſsignare finẽ virtutibus moralibꝰ, quia hoc ſpectat ad naturalem rationem, & ſynderesim, quæ ſe habet ad prudentiam, vt intellectus principiorum ad ſcientiam. Itaque munus prudentiæ eſt per ſe de medijs tantùm, ſeu de ijs, quæ ad finem ſunt, diſponere: dirigendo ſcilicet alias virtutes circa media ad earum fines obtinendos accomodata.

5. Tres autem ſunt actus, qui *Actus prudentiæ præcipuè ſunt tres.* ad prudentiam ſpectant. Primus eſt *Conſultare*, & *Inquirere media*. Conſtituto igitur fine, ad quem quis obtinendum animum applicat, mouet volunras intellectum, vt inueſtiget media ad illum aſſequendum idonea. Secundus eſt, *Iudicare, quæ nam è medijs inuentis ad finem adipiſcendum magis conducant*. Tertius eſt *Præcipere, ſiue imperare, vt ea, quæ iudicata ſunt, perficiantur* qui eſt actus rationis, ſiue intellectus dirigentis, mouentiſque volũtatem ad executionem. Vnde fit quód facta mediorum inquiſitione, & conſentiente volũtate, efficaciterque eligẽte mediũ illud, quod ad finẽ cõſequendum magis conducere viſum eſt,

Digitized by Google

tunc intellectus interna quadam locutione denuntiet, atque intimet quid agendum ſit. Itaque imperium conſiſtit in hac denũtiatione, & intimatione, qua intellectus voluntatem eius, cui imperat, ad agendum permouet. Vnde colliges ad iſtud imperium prærequiri voluntatis conſenſum, & efficacem electionem. Deinde, quòd intellectus excitet voluntatem huius conſenſus, & electionis vi, & vigore. Iſtud autem imperium, vt infra magis conſtabit, peculiariter, & præcipuè conuenit prudentiæ, in quo ratio legis conſiſtit, quidquid alij contradicant.

Partes integrantes virtutis cur ita dicantur.

Partes ſubiectæ.

Potẽtiales.

6 Quod veró attinet ad partes integrantes prudentiæ aduertendum eſt in qualibet virtute tria partium genera inueniri, videlicet integrantes, ſubiectas, potentiales Integrantes ita dicuntur, non quòd ipſam virtutem integrent, & componant, ſed quód ad perfectum illius actum omnes eas concurrere oporteat. Partes ſubiectæ virtutis appellantur, quæ ſub ea continentur: quo etiam modo dicitur homo pars ſubiecta animali. Potentiales partes dicuntur virtutes adiunctæ, quæ ideo potentiales nuncupantur, quia non totam principalis virtutis poteſtatem in ſe cohibent, quemadmodum ſingulæ partes animæ potentiales, vt intellectus, & voluntas, non includunt in ſe totam animi vim, & facultatem.

Partes integrantes prudentiæ octo.

7. Partes igitur integrãtes prudentiæ octo numerantur à Diuo Thoma 2.2. quæſtione 48. nimirum, *Memoria, intelligentia, docilitas, ſolertia, ratio, prouidentia, circumſpectio,* & *cautio* Quarum quinque priores ſpectant ad prudentiam, vt eſt habitus cognoſcendi; tres autem poſteriores ad eandem pertinent, quatenus præcipit applicando cognitionem ad opus. Ratio huius diſcriminis eſt, quia circa cognitionem tria ſunt conſideranda. Primó ipſa cognitio, quæ, ſi præteritorum ſit, dicitur *Memoria*; ſi præſentium, ſiue ea ſint contingentia, ſiue neceſſaria, vocatur *Intelligentia*, ſiue *Intellectus* (qui hic non accipitur pro ipſa potentia intelligendi, ſed prout importat rectam æſtimationem alicuius principij moralis, id eſt à quo prudentia diriuetur.) Secundò occurrit ipſa cognitionis acquiſitio, quæ vel fit per diſciplinam, & ad hoc ſpectat Docilitas, qua quis redditur promptus, ac facilis ad audiendas aliorum ſententias, vel fit per inuentionem: ad quod pertinet ſolertia, cuius eſt repentina mediorum excogitatio. Tertiò expendi poteſt vſus cognitionis, quo mẽs ex quibuſdam antea cognitis ad alia cognoſcenda, iudicandaue progreditur. Quod eſt officium rationis, quam ad prudenter agendum, aptè diſpoſitam, expeditamque eſſe oportet. At veró vt hæc rectè præcipiat trib⁹ indiget, videlicet, *prouidentia, circumſpectione,* & *cautione*. *Prouidentia,* vt res futuras ad finem accommodarè diſponat, & ordinet. *Circumſpectione*, vt negotiorum circumſtantias cautè, diligen

teṙque attendat. Cautione tandē, vt impedimenta, quę accidere poſſunt, declinet, ac remoueat.

Partes ſubiectæ.

8. Cùm ergo agibile in communi varium ſit, & in varias diſtribuatur ſpecies, ita etiam prudentia, quæ circa illud verſatur. Vnde Prudentia in communi varias partes ſubiectas in ſe continet, quarũ præcipuæ ſunt quinque, nimirum *Prudentia ſolitaria, Æconomica, Militaris, Regalis, Politica.* Ratio eſt, quia vel quis ſeſe prudenter gerit erga ſeipſum tantũ, & hæc prudentia dicitur *Solitaria:* vel circa multitudinē gubernādā, quę ſi regatur ad aliquod ſpeciale negotiũ pro certo tempore, vt multitudo militum ad bellum, dicitur *Militaris.* Si autem multitudo certo regimine, & ordine regatur per multum tempus, & quod gubernatur ſit familia, talis Prudentia dicitur *Æconomica.* Si autem ſit Reſpublica, in Principe vocatur *Regalis* ad ſubditos gubernandos: in ipſis verò ſubditis dicitur *Politica,* qua prudenter ſe gerunt Principi obtemperando. Partes autem potentiales prudentiæ ſunt *Eubulia, Syneſis,* & *Gnomi,* quia ſicut ſunt tres actus prudentiæ, vt ſupra vidimus, ita hæc ad ſimile munus exequendum ſunt neceſſariæ, videlicet ad media accommodata facilè inuenienda *Eubulia.* Ad bene iudicandum, de ijs, quæ lege aliqua definita ſunt, *Syneſis.* Ad ferendum verò iudicium, de ijs, quæ non ſunt lege aliqua determinata, & tamen in praxim veniunt, in quibus maior cernitur difficultas, *Gnomi.*

Ratio.

Partes potentiales prudentiæ.

DE CÆTERIS VIRTVTIBVS Moralibus.

QVÆSTIO VI.

DE IVSTITIA.

Quid ſit Iuſtitia, & quæ eius partes integrantes, aut ſubiectæ.

CAPVT I.

Subiectum Iuſtitiæ, & dignitas.

1. INter morales virtutes ſimpliciter nobiliorē, & præſtātiorē locũ ſibi vēdicat Iuſtitia, tam ratione ſubiecti, quã ratione obiecti; ratione ſubiecti, quia cæteræ virtutes in appetitu ſenſitiuo inhærent, vt eius perturbationes moderentur: iuſtitia verò in appetitu rationali, hoc eſt in voluntate inſidet: ratione obiecti etiam, quia præcipuè tendit in bonum, non abſolutè, ſed ſecundum æquabilitatem, & menſuram erga alios. Vnde iuſtitia dicitur

Quid ſit iuſtitia.

bonum alterius. Definitur verò iuſtitia hoc modo. *Iuſtitia eſt virtus, qua ſuum cuique ius tribuit.* Ius autem, teſte Ariſtotele lib. 5. Ethicorum cap. 2. nihil aliud eſt, quàm *Iuſtum*, & *Rectum*. Quod in duo membra diuiditur, nimirum in naturale, & poſitiuum, ſeu legitimum. Ius naturale eſt, *Quod vbique eamdem vim obtinet, & non quia videtur, vel non videtur*, ſeu. *Quod vbique natura ſua neceſſarium eſt, & non quia alicuius arbitrio, vel iudicio ſtatuitur*: quale eſt, vt innocens non occidatur. Ius poſitiuum, ſeu legitimum eſt, *Quod, quà tale, non ex ipſa natura, ſed ex aliqua inſtitutione pendet*: vt quòd frumentum tanto pretio vendatur. Plura de hac re tradidit Ariſtoteles lib. 5. Ethicorum cap. 6. & 7. Hæc tamen ſunt præcipua. Dicitur autem iuſtitia ſuum cuique ius reddere, quia iuſtitiæ munus eſt ius, & æquum ſeruare.

Quid ius, & quotuplex.

Partes integrantes.

2. Partes integrantes iuſtitiæ generatim loquendo duæ ſunt, nimirum *Facere bonum*, & *Declinare à malo*. Malum autem, & bonum hoc loco non ſumuntur, vt abſolutè conueniunt rebus, ſed ita, vt bonum idem ſit, atque alteri debitum: malum verò idem, quod alteri noxium, aut incommodum eſt.

Partes ſubiectæ.

3. Quòd verò attinet ad partes iuſtitiæ ſubiectas, diſtribuitur primò iuſtitia in generalem, & particularem. Iuſtitia generalis (quæ etiam legalis dicitur) eſt, *qua quis iuſtè ſe habet circa bonum commune Principis, vel Reipublicæ*, quod Ariſtoteles vocat, *iuſtum legitimum*, & *legale*, vtpote quòd leges præcipuè intendunt. Iuſtitia particularis eſt, *qua quis iuſtè ſe habet circa bonum particulare alterius.* Diuiditur deinde iuſtitia in diſtributiuam, & commutatiuam. Diſtributiua eſt, *qua rectè diſtribuendo verſatur*. Hæc in duo membra ſecatur, in Remuneratiuam, & Punitiuam. Remuneratiua eſt, *qua iubet honores, magiſtratus, munera, & beneficia, & alia ſimilia, pro cuiuſque dignitate & meritis, ſecundum Geometricam proportionem, diſpenſare*. Punitiua eſt, *qua ſimiliter nocentes, vt par eſt, ſupplicijs affici iubet.* Commutatiua iuſtitia eſt, *qua quis rectè ſe habet in commutationibus, ſuum cuique reddendo ſecundum Arithmeticam proportionem.* Ad hanc pertinent *Contractus*, *Emptiones*, *Vadimonia*, *Locationes*, *Reſtitutiones*, & alia huiuſmodi.

Iuſtitia generalis.

Particularis.

Diſtributiua.

Remuneratiua.

Punitiua.

Commutatiua.

Actus iuſtitiæ commutatiuæ.

4. Iuſtitiæ commutatiuæ, quæ eſt præcipua, duodecim ſunt actus. Primus eſt *Emptio*. Secundus *Venditio*. Tertius *Vſus fructus*. Quartus eſt *Nudus vſus*, quo quis habet ius vtendi rebus alienis ſalua earum ſubſtantia, non tamen fruendi. Quintus eſt, *Locatio*, quæ eſt acceptio rerum mobilium, quas non ſolùm reddere tenetur is, cui locatio fit, ſed etiam pro vſu earum ſatisfacere. Sextus eſt *Conductio*, quæ eſt acceptio rerum immobilium ſub certo pretio, quas etiam reſtituere tenetur is, qui eas pretio vtendas accepit. Septimus *Depoſitum*, ſeu potiùs *Actio deponendi*, qua res alicui traditur, non ad vſum, ſed ad conſeruationem.

Digitized by Google

Octauus eſt *Pignoris acceptio*, cùm res traditur, non ad vſum, ſed cũ obligatione reſtituendi ſoluto eo, cuius gratia pignus accipitur. Nonus eſt *Fidei iuſsio*, cùm ſit promiſsio ſoluendi, reddendique aliquid pro alio, ſi modò ille non ſoluat. Decimus eſt *Promiſsio ſimplex*, quam videlicet non antecedit petitio promiſsionis. Vndecimus eſt *Stipulatio*, quæ eſt promiſſio alicuius præcedente promiſſionis petitione. Duodecimus eſt *Trãſactio*, quæ eſt concordia circa rem litigioſam, ſeu in qua lis præceſsit. Denique pacta õnia, & cõuentiones pertinent ad iuſtitiam commutatiuam, omneſque contractus innominati: quales ſunt. Do, vt des: facio, vt facias: facio, vt des.

Partes potentiales iuſtitiæ.

5. Potentiales verò partes iuſtitiæ hæ præſertim numerantur, *Religio, Pietas, Obſeruãtia, Obediẽtia, Veritas, Gratitudo, Liberalitas, Affabilitas, Amicitia.*

Religio.

Religio eſt *virtus, qua quis rectè afficitur ad Deũ colẽdũ, ac venerandum.* Eius duo ſunt actus interni. *Deuotio*, & *Oratio.* Externi ſex. *Adoratio, Sacrificium, Votum, Iuramentum, Adiuratio, Laus.*

Deuotio.

Deuotio eſt *actus voluntatis paratæ ad præſtanda ea, quæ ad Dei cultum, & gloriam ſpectant.*

Oratio.

Oratio eſt *petitio decentium à Deo.*

Adoratio.

Adoratio eſt, *qua non ſolùm mente, ſed externa etiam corporis ſignificatione Deo reuerentiam exhibemus.*

Sacrificiũ.

Sacrificium latè ſumptum eſt *oblatio, qua Deo aliquid exteriùs offertur ad eum placandum, ſiue vt eius nos imperio ſubditos eſſe profiteamur.*

Votum.

Votum eſt *deliberata promiſsio de aliquo bono facta Deo.*

Iuramentũ

Iuramentum, eſt, *quo Deum vt teſtem aſſumimus in alicuius rei confirmationem.*

Adiuratio.

Adiuratio eſt *inuocatio diuini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo ad aliquid faciendum, vel non faciendum inducimus.* Laus eſt *aſſumptio diuini nominis in vocali cantu.*

Pietas.

6. Pietas eſt, *per quam ſanguine coniunctis, patriæque beneuolis officia, & cultum exhibemus.*

Obſeruantia.

Obſeruantia eſt, *qua dignitate præſtantibus honorẽ, cultumque deferimus.*

Obediẽtia.

Obedientia eſt, *qua voluntas prompta, & facilis redditur ad ſuperioris præcepta implẽda.*

Veritas.

Veritas eſt, *qua quis verbis, & factis talem ſe demonſtrat, qualis in ſe eſt.*

Gratitudo.

Gratitudo eſt, *qua ijs, qui de nobis benemeriti ſunt, gratiam non ſolũ habemus, & agimus, ſed etiam, cùm poſſumus, referimus.*

Libertas.

Libertas eſt, *qua quis diſpenſat pecunias in vſus bonos ſibi, ſuiſque, & alijs.*

Affabilitas.

Affabilitas eſt, *qua quis in communi hominum conſuetudine, & congreſſu mediocriter, & vti decet, ſe habet, ſtudetque, quatenus poteſt, omnibus benignè obſequi.*

Amicitia.

Amicitia eſt, *qua aliqui mutuam, apertamque beneuolentiam habent, & ſe viciſsim bonis affici volunt ob aliquod bonum, & non ob ſolam iucunditatem.* Differt autem affabilitas ab amicitia, quia affabilitas tam erga notos, quàm ignotos, amicitia erga notos dumtaxat verſatur. Deinde affabilitas in ſermone, & vitæ cõſuetudine verſatur: amicitia præſertim in affectu. Ariſtoteles verò ait lib. 8. Ethicor. cap. 2. amicitiam non eſſe ob ſolam iucunditatem, vtilitatemve, ſed propter bonum virtutis, quia amicitia, quæ alia commoda, & emolumẽta conſectatur, non eſt vera, ac ſolida amicitia.

DE FORTITVDINE.

Quid ſit Fortitudo, qui eius actus, & quæ partes?

CAPVT II.

Fortitudo ſumitur dupliciter.

7. AD quæſtionis ſolutionem aduertendum eſt, fortitudinem dupliciter ſumi. Primò vt importat quãdam animi firmitatem, & conſtantiam ad honeſtas actiones obeundas: qua ratione eſt communis conditio cuiuslibet virtutis. Alio modo accipitur fortitudo prout deſignat firmitatem animi in ſuſcipiendis periculis, laboribuſque perferendis: & hoc modo eſt ſpecialis virtus vendicans pro obiecto timorem, & audaciam, quæ in prædictis rebus exiſtunt. Definitur autem ab Ariſtotele lib. 2. Ethicorum cap. 7. & lib. 3. cap. 6. *Mediocritas circa metum, & audaciã*, id eſt, *Virtus, quæ in metu, & audacia moderandis poſita eſt.* Vnde colligitur fortitudinem reſidere in appetitu iraſcendi, ſiquidem metus, & audacia ad huiuſmodi appetitum ſpectant.

Obiectum fortitudinis.

Definitio.

Actus fortitudinis duo.

8. Actus fortitudinis duo ſunt præcipui, *Suſtinere* ſcilicet, & *Aggredi*: am cúm fortitudo circa audaciam, & timorem verſetur, timorem reprimit difficultatem ſuſtinendo, audaciam verò aggrediendo. Ex his aurẽ duobus præſtantior eſt ſuſtinentia, quàm aggreſsio, cùm magis difficile ſit timorem reprimere, quod fit ſuſtinendo, quàm audaciam refrænare, quod fit aggrediendo. Inter peculiares autem actus fortitudinis præcipuum locum obtinet martyrium: proprium enim eſt fortitudinis firmare animum in bono contra timorem: martyr autem firmatur in bono fidei, ac religionis contra timorem rei omnium acerbiſsimæ, ac maximè formidoloſæ, videlicet mortis.

Martyriũ.

9. Partes integrantes fortitudinis potiſsimùm ſunt quatuor, *Fiducia* ſcilicet, *Magnanimitas*, *Magnificentia*, & *Perſeuerantia*, ad quam pertinet *Conſtantia*. Harum numerus ita colligitur. Actus fortitudinis, vt ſupra diximus, ſũt duo, aggredi, & ſuſtinere. Ad aggrediẽdũ verò duo ſunt neceſſaria, vnum ad animi præparationem, ob quã ponitur fiducia, ſeu magnanimitas, qua quis parato, promptoque animo eſt ad res arduas, & difficiles aggrediẽdas. Vnde fiducia definitur à Cicerone 2. de Inuentione eſt, *per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiducia certa cum ſpe collocauit.* Requiritur deinde in aggrediẽdo quo ad operis adminiſtrationem, nimirum, vt animus in re, quam ſemel eſt aggreſſus, non ſuccumbat: & hac de cauſa additur magnificentia, quæ, vt idem Auctor explicat, eſt *rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, & adminiſtratio.*

Partes integrãtes.

Fiducia.

Magnificẽtia.

10. Ad alterum fortitudinis actum, nempe ad ſuſtinendum, duo requiruntur ſimiliter. Primum eſt ne animus propter impendentiũ malorũ difficultatem triſtitia frãgatur,

Patientia. gatur, & hac de cauſa conſtituitur *Patientia*, quæ definitur ab eodem Auctore. *Eſt honeſtatis, aut vtilitatis cauſa rerum arduarum, ac difficilium, voluntaria, ac diuturna perpeſsio*. Huic additur *Longanimitas*, *qua quis res magnas, quæ procul abſunt, ſperat.* Alterũ, quod ad prædictum actum requiritur, eſt, ne ex diuturna rerum difficilium perpeſsione ab incepto animus deſiſtat; & ideo adijcitur *Perſeuerantia*, quæ definitur. *In ratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permãſio.* Perſeuerantiæ tandem additur *Conſtantia*, quæ inter ſe partim conueniunt, partim differũt; conueniunt quatenus beneficio vtriuſque in bono aliquo permanemus. Differunt, quia perſeuerantia reſiſtit difficultati, quæ ex diuturnitate temporis oritur: cõſtantia verò difficultati, quæ ex alio quouis impedimento externo proficiſcitur.

Longanimitas.

Perſeuerantia.

Conſtãtia.

DE TEMPERANTIA.

Quid ſit Temperantia, & quæ eius partes integrantes, ſubiectæ, & potentiales?

CAPVT III.

Obiectum illius. 11. **O**Biectum Temperantiæ præcipuè in voluptatibus ſenſuum, & doloribus moderandis conſiſtit, & hoc eſt præcipuũ eius munus. Definitur igitur ab Ariſt lib. 3. Ethicorum cap. 10. Temperantia eſt *Mediocritas circa tactus, guſtuſque, voluptates, & circa dolores.*

Definitio.

Partes integrantes. Duæ igitur ſunt partes quaſi integrantes tempeantiæ, videlicet *Honeſtas*, & *Verecundia*, quæ aliquo modo ad virtutem ſpectat. Definitur verò ab Ariſtotele loco citato. Verecundia eſt *Metus quidam dedecoris, & infamiæ, quo videlicet ad id, quod turpe eſt, & temperãtiæ contrarium fugiendum inducitur.* Honeſtas verò eſt *Excellẽtia quædã honore digna ob ſpiritualem pulchritudinem, qua quis id, quod turpe, & indecorum eſt, repellit.*

Verecũdia

Honeſtas.

Partes ſubiectæ. 12. Quatuor ergo ſunt partes temperantiæ ſubiectæ, nimirum *Abſtinentia, Sobrietas, Caſtitas*, & *Pudicitia*. Quarum duæ priores in ijs voluptatibus, quæ cibo, & potu capiuntur, mediocritatem conſtituunt. Poſteriores verò duæ in ijs, quæ ad generationem pertinent. Abſtinentia igitur eſt *Virtus, quæ in ciborum delectatione mediocritatẽ conſtituit.* Sobrietas eſt *Virtus, quæ delectationes potus moderatur.* Caſtitas eſt *Virtus, quæ Veneris concupiſcentiam rationis moderamine cohibet.* Quæ triplex eſt, *Virginalis, Vidualis*, & *Matrimonialis*. Pudicitia eſt *Virtus cohibens voluptates eas, quæ reperiuntur in venereorum ſignis*: qualia ſũt, *Impudici aſpectus*, & *Oſcula.*

Abſtinẽtia

Sobrietas.

Caſtitas.

Pudicitia.

Partes potentiales. 13. Potentiales verò partes tẽperãtiæ decem ſunt potiſsimũm. *Continentia, Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Studioſitas, Moderatio, Eutrapelia, Ornatus. Simplicitas.* Continentia eſt *Per quam paruis, ac vehementibus cupiditatibus ad tactũ ſpectantibus aliquis reſiſtit*: & vt ſic non eſt perfecta virtus. Manſuetudo eſt *Virtus, quæ iram moderatur.* Clementia eſt *Virtus, quæ exter-*

Continentia.

Manſuetudo.

Clementia.


nis

n is punitionibus modum adhibet. Et cum hac iungitur **Miſericordia.** Miſericordia, quæ eſt *Virtus, qua alienæ miſeriæ, quantùm poſſumus, ſubuenimus.* Differunt autem Clementia, & Miſericordia, quòd ad illam ſpectet pœnarum ſubſtractione: ad hanc beneficiorum collatione alicuius miſeriæ ſubuenire. **Modeſtia.** Modeſtia eſt *Virtus, quæ circa mediocres honores moderandos verſatur.* **Humilitas.** Humilitas eſt *Virtus, quæ hominis cupiditatem temperat, & cohibet, ne in res magnas, & excelſas immoderatè tendat, ſed potiùs ad infimas ſe deijciat.* **Studioſitas.** Studioſitas eſt *Virtus, qua ſciendi cupiditatem temperat.* **Moderatio.** Moderatio (quæ modeſtia etiam dicitur) eſt *Virtus, quæ corporis motum, geſtumque componit.* **Eutrapelia.** Eutrapelia eſt *Virtus, qua quis in ludis, & iocis moderatè, atque vt decet, ſe habet.* **Ornatus.** Ornatus eſt *Virtus, qua corporis habitum, veſtitumque moderatur.* **Simplicitas.** Huic additur *Simplicitas,* quæ nimiæ in hiſce rebus inquirendis, & concinandis ſolicitudini modum ponit. Hæc, quæ de Ethicorum doctrina hactenus diximus, ſunt præcipua, quæ de hac re ſolent tractari poſſibili breuitate, quæ ſi, vt rerum dignitas poſtulat, eſſent explicāda, procul dubio longiores eſſemus, quā neceſſaria breuitas, initio operis promiſſa, de ſe poſtulabat.

FINIS.

Laus Deo, Deiparæque Virgini.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



Digitized by Google

IHS

INDEX LOCVPLETISSIMVS RERVM PRÆCIPVARVM, QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

In quo Primus numerus paginam, Secundus columnam, Tertius paragraphum indicat.

Abſtinentia.

ABſtinétia quid. pagina 424.colum. 2. num.12.

Abſtractio.

Mathematica agit de ente quanto prout abſtrahit à materia ſenſibili, non tamen intelligibili. pag.2.col.1.ad med.

Metaphyſica agit de ente prout abſtrahit ab omni materia, tam ſenſibili,quàm intelligibili. ibid.

Abſurdum.

Abſurda,in quæ incidebant illi,qui ſtatum ſeparationis non admittebant. pag.363.c.2.n.30.

Accidens.

Accidens vnde dicitur. p.19.c.1.n.1.

Accidentia quomodo pendeant à ſubiecto.pag.20.c.1.n.3.

Accidentia materialia recipiuntur immediatè in quātitate. p.20.c.2.n.5.

Aliqua accidentia modalia recipiūtur immediatè in ſubſtātia. p.20.c.2.n.5.

Subſtantia materialis poteſt ſaltē diuinitùs recipere omnia accidentia realia ſine, interuentu quantitatis. pag.21.col.1.ad init.

Accidentia quæ immediatè vniuntur alteri accidenti, & mediatè ſubſtantiæ non habent duplicem vnionem. pag.22.c.1.n.9.

Accidens poteſt in ſe immediatè recipere aliud accidens.p.22.c.1.n. 10.

Accidens corporeum poteſt ponì diuinitùs in ſubiecto ſpirituali,& è contra.pag.23.c.1.n.12.

Accidens in ſubiecto alieno quomodo exiſtat.pag.23.c.1.n.12.

Accidentia modalia non poſſunt trāsferri ad ſubiectum alienum. pag.23. col.1.n.12.

Accidentia cōtraria quomodo poſsint eſſe in eodem ſubiecto.p.24.c. .n.15.

Accidens latè ſumptum quid. pag. 24. col.2.n.17.

Definitio accidentis. ibidem.

Accidētis logici eſſētia in quo cōſiſtat. pag.25.c.1.n.18.

Accidentis phyſici eſſentia quæ. p.25. col.1.n.19.

Accidentales modi quomodo comparentur ad inhærentiam. pag.25.c.2. num.19.

Accidens

Accidens phyſicum poteſt etiam eſſe accidens logicum. p.25.c.2.n.20.
Accidens,& forma accidentalis in quo differanr. p.26.c.1.ad init.
Accidentalis forma quid.pag.20.c.1.ad inir.
Accidentalium formarum diuerſa genera. pag.26.c.1.n.21.
Accidentia tantùm logica an educantur de potētia ſubiecti.p.26.c.1.n.21.
Accidenria realia efficiunt verum effectum formalem.p.27.c.2.n.25.
Accidentia tanrùm extrinſeca non habenr veros effectus. p.28.c.2.n.18.
Accidentia non attingunt principaliter productionem ſubſtantiæ. p.40. c.2.n.9.
Attingunt tamen vt inſtrumenta.ibid.
Accideus quomodo opererur in virtute ſubſtanriæ.pag.42.col.1.n.14.
Accidens quomodo operetur vt inſtrumentum ſubſtantiæ. p.42.c.2.n. 4.
Accidens extra ſubiectum an poſsit operari.p.42.c.1.n.15.
Accidens contingens producitur medianre alio accidente. p.43.c.1.n.18.
Accidens in productione alterius accidētis poteſt eſſe ptincipium principale.p.43.c.1.n.19. Quamuis alij aliter opinentur.ibid.
Quæ accidenria ſinr principia agendi. p.43.c.2.n.20.
Accidentium durationes quales.p.95.c. 2.n.9.
Vnum accidens poteſt diuinitùs conſeruari extra ſubiectū.p.150.c.2.n.6.
Accidentia modalia non poſſunt eſſe extra ſubiectum.ibid.
Accidenria realia poſſunt ſaltem diuinitùs.ibid.
Accidens ad hoc, vt ſir extra ſubiectū, quid debear acquirere,vel amitrere. ibid.n.7.
Accidens extra ſubiectum non amittit eſſentiam.ibid.
Accidens extra ſubiectum loco inhærentiæ an acquirat aliquem modum de nouo.ibid.n.7.
Accidens extra ſubiectum an poſſit operari.p.151.c.1.n.8.
Accidentium diuerſa genera. p.25.c.1. ad init.

Accidentis Inhærentia.

Inhærentia actualis eſt cauſalitas cauſę mareialis.p.21.c.1.n.8.
Inhærentia actualis quid dicatur.p.18. c.2.n.30.

Acre.

Cur dulcibus ſaturemur citiùs, quàm acribus.p.292.c.2.n.18.

Accretio.

Accretio quid ſit,& quomodo à nutritione differat.pag.175.n.1.
Accretio quibus modis ſumatur. ibid.
Accretio,& decretio in quo differant. ibidem.
Accrerio,& nutritio differunt ſpecie, & cur. pag.175.n.3.
Viuens in quo ſenſu ſemper accreſcat. ibid.n.4.
Accrerio vrrùm fiat in omnibus viuētis partibus.p.176.n.6.
Accretio an ſir motus cōtinuus in quouis poro. ibid.
Accrerio fit in omnibus partibus viuētis. pag.176.n.7.
Accretio eſt motus continuus in quouis poro. ibid.n.8.
Accretio in quo ſenſu nō ſit vnus ſimplex motus. pag.177. n.8.
Cur fontes accreſcant, & decreſcant. pag.212. n.8.
Denres cur ſemper accreſcant. p.346. n.9.

Actio.

Actio iuxta aliquos eſt cauſalitas exēplaris.pag.35.c.1.n.22.
Actiones ſunt ſuppoſitorum quomodo inrelligatur. pag.39.c.2.n.6.
Actio reflexa, & reflexio quid ſit, & quomodo fiat. pag.51.c.1. n. 47.
Actio cauſæ primæ, & cauſæ ſecundæ vna,& eadem. pag.59.n.12.

Actiones in quo ſenſu dicantur ſuppoſitorum. p.61.c.1.n.1.

Terminus totalis indiuiſibilis producitur per vnam totalem actionē ſimiliter indiuiſibilem. p.61.c.2.n.3.

Terminus diuiſibilis habet actionem diuiſibilem. p.61.c.2.n.3.

Actio quælibet in indiuiduo pēdet eſſentialiter ab hoc numero agēte iuxta cōmunē opinionē. p.63.c.2. n.10.

Probabilior tamē eſt oppoſita opinio. ibid.n.11.

Poteſt Deus reproducere eūdē effectū per eādē numero actionē. 64.c.1.n.12.

Cauſa ſecūda creata nō habet certū numerum actionum. p.64.c.2.n.13.

Vna actio nō fit per aliā. p.65.c.2.n.18.

Actio, & paſsio quomodo differant à motu. p.81.c.2.n.5.

Actio ſucceſsiua, & inſtantanea differunt accidentaliter. p.81.c.2.n.5.

Actiones quibus Deus ſe ſolo operatur ad extra ex præſuppoſita materia, in quo ſenſu dicantur generationes. p.156.c.2.n.7.

Actionis generatiuæ terminus qualis. p.158.c.1.n.13.

Nō datur actio ſpecialis terminata ad totū, & ad formā. p.158.n.15.

Vna actio vnum tantùm debet habere terminum. p.159.c.1.

Actiones diuerſæ poſſunt oriri ab eadem forma ſubſtantiali. pag. 159. c. 1. n. 17.

Vtrùm inter agens, & patiens detur actio reciproca. p.179.n.1.

Inter corpora cęleſtia, & ſublunaria nō datur actio reciproca. ibid.

Actio in quo ſenſu dicatur eſſe à vincente. pag.180.n.4.

Actiones, animales pendent maximè à cerebro. p.185.c.2.n.10.

Actiones, per quas potentiæ manant ab anima, non ſunt immanentes, ſed tranſeuntes. p.253.n.44.

Intellectio eſt vera actio. p.303.n.7.

Vtrùm per omnem actionem intellectus producatur verbum. Variæ hac de re ſententiæ. p.305.c.1.n.10.

Actio deliberata quid. pag.402.n.1.

Vtrùm bonitas, & malitia humanarū actionum petenda ſit ab obiecto, an non. pag.405.n.14.

Aliqua aduertenda ad dubij ſolutionē. ibid.c.2.n.15.

Actiones humanæ vnde ſumant ſuam bonitatem. pag.405.c.2.n.15.

Vtrū bonitas, & malitia humanatum actionū pendeat etiā a circūſtantijs. pag.405.c.2.ad fin.

Bonitas, & malitia humanatum actionum pendet etiam à circunſtantijs. pag.406.c.2.n.19.

Actiuitas.

Actiuitas luminoſi qualis. p.134.n.8.

Actiuitas, & efficacia ſemper datur ex parte agentis creati. p.179.n.3.

Actiuitas, & reſiſtentia quatuor primarum qualitatum conferuntur inter ſe. p.180.c.1.n.4.

Actiuitas ignis elemētaris ſuperat actiuitatē aliorum elementorum. ibid.

Qualitatum primarū ordo, reſiſtentia, & actiuitas. ibid.

Ex quatuor qualitatibus duæ ſunt magis actiuæ, duæ ſunt magis paſsiuæ. pag.183.c.1.n.3.

Actus.

Actus vitales contrarij nō poſſunt eſſe ſimul. p.24.c.1.n.15.

Actus virtutū poſſūt eſſe effectus cauſæ exemplaris. p.32.c.1.n.13.

In actibus ſpecificatis nō datur duplex entitas. p.37.c.2.n.30.

Actus poteſt eſſe naturalis, etiāſi obiectum materiale ſit ſupernaturale, & è contra. p.37.c.2.n.30.

Duplex genus actuum datur in volūtate. p.74.c.1.n.12.

Actus efficax in voluntate quid. pag. 74.col.2.ad init.

Actus inefficax quid. ibidem.

Actus Dei ad intra non habent cauſas. pag.77.c.2.n.10.

Actus voluntatis ſunt in duplici genere. p.79.c.1.n.15.

Act⁹ ōnes interni volūtatis creatæ ſūt effectus cauſæ finalis. p.79.c.1.n.16.
Actus externi imperati à volūtate ſūt effectus finis. p.79.c.2.n.18.
Ex actu interno,& externo conflatur vn⁹ totalis effect⁹ finis.p.79.c.2.n.18.
Actus neceſſarij voluntatis an ſint effectus finis.pag.80.c.1.n.19.
Actus naturales nō ſunt propter finē. pag.80.c.2. ad init.
Actus vitales an debeant dari in vtroque loco eidem corpori viuēti. pag. 91.c.2.n.11.
Actus ſcientiæ, & erroris an poſsint eſſe in diuerſis locis in eodem intellectu.pag.91.c.2.n.12.
Actus volūtatis, & appetit⁹ an debeāt eſſe in vtroque loco. p.92.c.1.n.13.
Quid requiratur, & ſufficiat vt actus aliquis ſit vitalis. p.257.c.1. ad init.
De actu ſentiendi, & obiecto illius. p. 262.c.1.n.25.
Actus ſenſus cōmunis,& phantaſiæ an poſsit dici iudicium. p.294. n.7.
Senſus interni non cognoſcunt proprios actus. pag.296.n.12.
De actu intellectus patientis. p. 303. col.1.n.6.
Admiratio ad cuius potentiæ actum ſpectet. p.311.c.2.n.6.
Riſus ad cuius potentiæ actū ſpectet. p.311.n.7.
An ad actū voluntaris ſufficiat notitia apprehēſiua in intellectu. p.313.n.12.
De actu memorādi.p.318.c.1 ad fin.
Actus memorandi duplex eſt, & quales. pag.318.n.9.
Actus reminiſcentiæ quid. pag. 319. col.1.n.20.
